TYROCINIUM CANONICUM, AD MENTEM SANCTORUM PATRUM, PRAESERTIM ILLUMINATISSIMI...

TYROCINIUM CANONICUM,

Ad Mentem Sanctorum Patrum,

Præsertim
Illuminatissimi Ecclesiæ Orthodoxæ Doctoris
S. P. N. AUGUSTINI,
ET
ANGELICI S. THOMÆ AQUINATIS,
IN

TRACTATU

ASCETICO, THEORICO PRACTICO,

Pro solida Novellorum Canonicorum Institutione, aliorum utilitate Regularium, & quorumvis, ad sublimiorem virtutum perfectionem contendentium, sive spiritualem profectum amantium bono conscriptum, novâ, ac Scholasticâ Methodo expositum, succinctis discursibus moralibus dilucidatum, brevi historia seu accomodis exemplis Virorum, Sanctitate, virtute, scientiâ, rerúmque laudabiliter gestarum famâ illustrium, ex S. Canonico Ordine depromptis plerumque comprobatum, atque in duas partes digestum.

AUTHORE
BENNONE ZAISPERGER, Collegiatæ Ecclesiæ Beyrbergensis in Superiore Bavaria Congregationis Lateranensis Can. Reg. Decano, SS. Theol. Doctore, & Notario Publico Apostolico Jurato.

PARS POSTERIOR:

Cui accedunt Institutiones Novitiorum Canonicorum Regularium à M. Hugone de SS. Victore Parisiensi Canonico Regulari conscriptæ.

Cum Facultate Superiorum.

AUGUSTÆ, Sumptibus Georgii Schlütter & Martini Happach Bibliop.
Typis Antonii Maximiliani Heiss, Anno 1723.

PRÆFATIO

Ad Reverendiſsimos, Illuſtriſsimos, Perilluſtres, Prænobiles, & Ampliſsimos D.D. Sacri Canonici & Apoſtolici Ordinis Canonicorum Regularium S. Auguſtini Præſules.

TAndem è tenebris ad lucem eluctatur altera Tyrocinii Canonici Pars tot gratioſis expetita votis, quot impetita curis, & impedita negotiis, aſceticos labores variè retardantibus, ut in umbris etiam pugnandum fuerit, bella movente orco. At omnibus ſuperior Numinis miſerentis gratia, cujus ampliorem gloriam in cunctis apicibus totum opuſculum ſpectat, intendítque, manum auxiliatricem porrexit, & calamum famulantem ad optatum direxit finem,

ut modò totum, licèt exilem, TRACTATUM ASCETICUM THEORICO-PRACTICUM, ſicut in dedicatione prioris partis devotiſſimè obtuleram, Eminentiſſimi Principis, & Clementiſſimi Patroni (che ha degnato impiegare qualchi giorni meno occupato a legere le operi &c. uti teſtantur propria epiſtolæ verba) manibus cum ſacratæ purpuræ oſculo ſubmiſſiſſimè exhibere, Vobis verò Reverendiiſſimi & Ampliſſimi Antiſtites, mediante iſthac humillima præfatione conſignare, atque pro Religionis & religioſiſſimi Zelûs veſtri incremento in veſtra Collegia transmittere valerem. Veſtras etenim virtutes in anteceſſoribus ſpectatas, & etiamnum in vobis vividas, plerumque attraxit Tyrocinium; juſtum proinde, æquúmque erat, digniſſimas hac in parte virtutum præfari laudes, non quidem prolixiori (cui tractatûs integri folia neutiquam ſufficerent) ab bene compendioſo encomio. *Si námque oculos animúmque efferam, & Diœceſin Friſingenſem perluſtrem (in qua ſub ſpirituali Jurisdictione, & Clementiſſima Protectione Reverendiſſimi, & Celſiſſimi D. D. Joannis Franciſci Epiſcopi Ordinarii, ac S. R. I. Principis &c. &c. nullam planè exemptionem exoptantium Canonicorum Collegia ſeptem innixa Aureliano veluti patrocinio, paſtorali cura, vigilantia, ac ſolicitudine paterna conquieſcunt) conſpicio in Reverendiſſimo D. D. Patritio Diœceſis Archidiacono nato, & Vigilantiſſimo Rottenbuechenſi Præſule cumulum quidem perfectiſſimarum virtutum, ſed tantam

tam

tam omnium facilè principem religionem erga Magnam DeiMatrem, &B.B.Cælites,ut Rottenbuechenses,& Beisenbergenses aræ, & auro, pretiosísque lapillis exornata Sacra Lipsana pietatis prodigia aspicientibus videantur. Testantur Religiosissimi Filii *Patritium* suum esse *Patrum Exemplar, Ideam Præsulum, Restauratorem, & Patrem amantissimum, qui suos exemplo trahit, non regit imperio.* Conspicio in Reverendissimo D. D. Aquilino Understorffensis Canoniæ Antistite præclarissimas animi dotes, quibus illecti Venerandissimi Electores dignissimum judicaverunt, cujus virtutes sacræ coronarentur mitrâ.

Conspicio in Reverendissimo D. D. Præsidio Weyarnensi fortissimum Cœnobii majori ex parte funditùs erecti præsidium, admirabilem in conversatione dulcedinem, modestiæ singularis typum, amorem totum suorum filiorum. Conspicio in Reverendissimo D. D. Dietramzellensi disciplinæ regularis petram, devotionis teneritudinem, ferventissimum zelum, curam paternam. Verbo: *Diethramum alterum.*

Conspicio in Reverendissimo D. D. Cajetano Beyrbergensi ingentem in *S. S.* Patronos pietatem, indefessam rei œconomicæ industriam, pro suis Canonicis solicitudinem paternam, & vigilantiam: in Reverendissimo D. D. Georgio Beyhartingensi Præsule incomparabilem animi demissionem, asceticæ fabricæ fundamentum, altissimarum virtutum emporium, & inter eas perspectam agendi prudentiam.

tiam. Conſpicio denique in Reverendiſsimo D. D. Bernardo Schlechdorffenſis Cœnobii digniſsimo Prælato, jubileo Sacerdote, & omnium Bojariæ Prælatorum in dignitate Eccleſiaſtica Seniore maturam cælo canitiem, ſolitudinis cultum, ſilentii obſervantiam, miram in adverſis patientiam, cui Deus liberaliſsimus *hoc donum dedit, ut videret bonum de univerſo labore ſuo. Eccleſ. 3. Bonum* ſcilicet è fundamentis novis exſtructum Collegium. Tantis virtutum ſplendoribus veluti *Septem Stellæ* apocalypticæ irradiatis, Reverendiſsimi Antiſtites, ut gloriari Canonicus poſsit Ordo nullam ſibi deeſſe perfectionis exquiſitæ lucem, prælucentibus tantarum virtutum luminibus.

Si verò vicinam Diœceſin Auguſtanam pertranſeam, occurrit mihi, & in ſtuporem rapit animum, Reverendiſsimi D. D. Alberti Pollingenſis miranda *modeſtia*, qua omnes ad ſe trahit, *zelus domûs Dei*, quo comeditur in exornando prodigioſæ S. Salvatoris Imaginis templo, *Heroica* planè *patientia* in perferendis belli calamitatibus, & Vulcani de cælo fulminantis, totique Collegio ruinam minitantis ictibus, tantus ſuorum *amor timori* conjunctus, tanta agendi *prudentia* & *dexteritas*, ut totum è fundamentis reſurgens, & religioſa majeſtate reſplendens Collegium *alterum Conditorem* ſit celebraturum, quamdiu ſtabit.

Reverendiſsimi D. D. Ivonis Dieſſenſis Sanctos *pro Deo & Eccleſia* ſuſceptos conatus, *charitate* plenam ſuos regendi artem, & altas in alta mente reſidentes virtutes domeſtici,

ci, & exteri deprædicant. Reverendiſsimi D. D. Zachariæ Bernriedenſis miram comitatem, amabilem converſationem, vigilem curam *pro aris & focis*, atque religionis devotionem celebrant, quibus ſincerus Præſulis digniſsimi animus conſtat, cui id laudis accedit, quòd quia illi à *Jove principium*, à cultu divino initium erat, Principis gratiâ tantum ſuæ obtinuerit Canoniæ, quantum tres Anteceſſores incaſſo labore quæſivierunt.

Quod ſi extra Boicam ditionem progrediar in Reverendiſsimo D. D. Auguſtino ad S. Crucem Auguſtæ Prælato, & per Diœceſin Viſitatore Vigilantiſsimo reperiunt omnes Viri docti ſcientiam omnigenam, eruditionem ſolidam, in perorando facundiam & benè paratum conſilium in rebus dubiis: liberalitatem extollunt Religioſi Mendicantes, & hoſpites adventantes, æquitatem, & juſtitiam in judicio æquam juſtámque judicant, quiqui prudentiſsimum arbitrium amplexi ſunt. Immortalis monumentum gloriæ ſit, prodigioſæ Evchariſticæ figuræ altare ſupremum novis ornamentis auctum, fanum admirabili arte renovatum. Prolixiorem complectuntur laudem tot dedicatoriæ Epiſtolæ, quot volumina, & adſcripti libri Reverendiſſimum Auguſtinum Patronum, & Mecœnatem in fronte gloriantur. Reverendiſsimi D. D. Melchioris ad S. Georgium ibidem Præſulis digniſsimi, & optimi virtutes loquuntur extranei, mirantur ſpectantes, felices ſe æſtimant

ſtimant ſub tanti Præſulis obedientiâ viventes, quia vivum vitæ Canonicæ exemplar præ oculis quotidie habent.

Nec ultra progredior ad contemplandas naturæ, & gratiæ dotes, in Reverendiſsimo & Ampliſsimo D. D. Bartholomæo S. R. I. Prælato Wettenhuſano, aliiſque Sueviæ inclytæ, cùm S. Religionis Zelatores ardentiſsimos fama communis referat, ne minùs dixiſſe arguar, præſtat tacere.

Aſt Patriæ noſtræ exempla mentionem adhuc urgent. In Ratisbonenſi ſiquidem Diœceſi velut gemma illuſtris Proſapiæ *de Heydon*, Pater Patriæ, & inclytorum Bojariæ ſtatuum Deputatus, S. Ordinis decus, Reverendiſſimus D. D. Patritius Rhorenſis Antiſtes illuceſcit, & dum nullis parcit ſumptibus in adornandis templis & aris, cœlites ſibi reddit devinctos, & propter laudatiſſimum regimen immemoriale apud ſuos relinquit virtutis monumentum. Sic quoque Reverendiſſimus D. D. Alphonſus ad S. S. Andream & Magnum Pedeponti ad ardua natus, regularis diſciplinæ cultor obſervantiſſimus, réique œconomicæ impensè ſtudioſus Canoniæ fulcrum laudatur. Magna porro S. Ordinis Lumina, Reverendiſſimi *D. D.* Auguſtinus Ranshovienſis Archidiaconus Paſſavienſis Diœceſis, Joſephus S. Nicolai, Herculanus Reicherſpergenſis, Patritius Subenſis &c. quorum fervor religionis, obſervantia Regularis, perfectionis ſtudium, & altioris ſanctitatis indipiſcendæ deſiderium ad alpes uſque Penninas penetrârunt. Silentio involvam hìc Illuſtriſsimæ Auſtriæ virtutum decora.

Tandem

Tandem in Metropolitica *Diœcesi Salisburgensi* tanta Canonicæ disciplinæ monumenta lego, ut in Reverendissimis & Illustriss. *D. D.* Francisco Cathedralis, & Regularis Chiemensis Ecclesiæ Præposito, & Archidiacono, Gelasio Garsensi, Patritio Baumburgensi itidem Archidiaconis natis, Joachimo Auensi, & Florido ad S. Zenonem Prælatis Amplissimis, in Deum & Divos affectus sacratissimos, singularem prudentiam, insuperabilem in adversis constantiam, justitiæ tenacitatem, in omnibus sanctitatis perfectionem celebrare, deprædicare, & extollere laudibus humanis satis nequeat calamus.

Proinde Divino Numini virtutes adeò sublimes post felicissimos regiminis successus, post sanctè administratas dignitates, post exantlatos pro Deo & Ecclesia labores, post sera tandem sæcula æternâ coronandas laurea relinquo.

Interea dum hoc Tyrocinium prudentissimis substerno judiciis vestris, ut pro libitu corrigere, addere, vel demere possitis, tantam mihi exoro gratiam, ne severiorem condemnetis calamum pro vera instructione Novellorum, non pro Superiore dirigendo scribentem. Nec addendas censeo vestræ vigilantiæ ullas pro conservando Tyronum spiritu maximè post emissam professionem admonitiones, cùm satis supérque præ cordibus teneatis aversionem omnis ruinæ ex negligenti legum custodia sequentis, ipsumque periculum in Regula S. P. N. c. 11. bene prævisum.

X In

In quod commentatur noster Magister Hugo. *In periculo magno versatur, quisquis in regiminis loco sublimatur. Nam quanto superior gradus, tanto periculosior casus, & cui plus committitur, plus ab eo exigitur. Grande periculum est sibi & aliis vivere; temporalia simul & spiritualia providere. Sic debet* Prælatus *sui curam agere, ut alios non negligat, sic de aliis cogitare, ut semetipsum oblivis-cendo non derelinquat: sic temporalia procurare, ut non refrigescat à spiritualibus; sic inardescere ad spiritualia, ut sit sollicitus de temporalibus &c.* Qua de re Tyronum spiritus imbibiti conservationem directioni vestræ ardentissimè, hunc verò Tractatum Asceticum, méque gratiosis favoribus vestris humillimè commendo. Beyrbergæ 12. Augusti 1723.

Reverendissimarum, Illustrissimarum, Perillustrium, Prænobilium, & Amplissimarum Dominationum Vestrarum perquam Gratiosarum.

Servus obstrictissimus
Benno Zaisperger
Auctor.

LICENTIA & APPROBATIO.

Reverendissimi Ordinariatûs Frisingensis.

REvisa à Theologis Parte secunda Tyrocinii Canonici ab A. R. P. Bennone Zaisperger Canonico Regulari in Beyrberg, & Decano, damus licentiam imprimendi. Frisingæ die 2. Augusti Anno 1723.

(L. S.)

Jo. Sigismundus Episc. Bellinens. Suffragan. & Vicarius Generalis.

Facultas & Approbatio.

Reverendissimi & Amplissimi D. D. Præsulis.

POsteriorem partem Tyrocinii hujus à priore nec vitæ Asceticæ principiis, nec doctrinæ soliditate alienam à Reverendissimo Ordinariatu, & Theologis judicatam pro incremento Reipublicæ Christianæ typis publicari posse facultatem concedimus A. R. D. Bennoni Zaisperger Collegiatæ nostræ Ecclesiæ Lateranensis Congregationis Canonico Regulari, & Decano, S. S. Theologiæ Doctori, Notario Apostolico, & Authori, Beyrbergæ 10. August. 1723.

Cajetanus Præpositus.

Censura.

QUoniam præsens altera pars Tyrocinii Canonici fundatissima Theologia, præclara eruditione, & prorsus solida Ascesi constet, nullibi verò in bonos mores, aut fidem Romano-Catholicam impingat: hinc utilissimam, & prælo dignissimam censeo. Underſtorffii die 24. Julii Anno 1723.

Augustinus Michel Collegiatæ Ecclesiæ Underſtorffensis Canonicus Regularis, S. S. Theologiæ & J. U. Doctor, Eminentissimi & Serenissimi S. R. Imp. Archi-Episcopi, & Electoris Coloniensis & Celsissimi Principis & Episcopi Frinsingensis Consiliarius Ecclesiasticus actualis, Celsissimi Principis Abbatis Campidonensis intimus &c.

Censura Theologica.

PArs secunda Tyrocinii Canonici ab Admodum Reverendo, Religiosissimo, ac Clarissimo Domino Bennone Zaisperger, Collegiatæ Ecclesiæ Beyrbergensis Congregationis Lateranensis Canonicorum Regularium Decano, S.S. Theologiæ Doctore, & Notario Publico Apostolico Jurato clarâ, nova atque Scholastica simul & Ascetica methodo exactè elaborata, à Prima Parte nec doctrinæ soliditate, nec materiæ utilitate, nec elegantis styli amœnitate diffidet, multò minùs aliquid veræ fidei, sanæ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium continet. Ideóque eodem laudis encomio, lucéque publica pro bono publico dignissimam censeo in Conventu Frisingensi 30. Julii 1723.

Fr. Stanislaus Karg Ord. Min. S. Francisci Reform. S. S. Theologiæ Lector Generalis, & Sacrorum Canonum actualis.

Pro-

Protestatio Authoris.

CUm S. D. N. URBANUS Papa VIII. die 13. Martii Anno 1625. Decretum ediderit, idémque confirmaverit 5. Julii Anno 1634. quo prohibuit *imprimi libros hominum, qui sanctitatis, seu martyrii famâ celebres è vita migraverint* &c. ut constat ex prima Tyrocinii parte. Huic Decreto, Confirmationi, ac Declarationi observantiâ, ac reverentiâ, qua par est, insistendo profiteor, me haud alio sensu, quidquid in hac secunda *Tyrocinii Canonici* parte refero, accipere, & accipi ab ullo velle, quàm quo ea solent, quæ humana duntaxat authoritate nituntur, iis tantùm exceptis, quos eadem S. Sedes Sanctorum, Beatorum, aut Martyrum Catalogo adscripsit. Unde, quæ de vita, doctrina, & virtutibus quorundam Virorum Canonici Ordinis scripsi, ea omnia judicio ac Censuræ S. Matris Ecclesiæ plenissimè subiicio, & non nisi in prædicto sensu accipi volo.

PRO-

PROGRESSUS
TYROCINII CANONICI.
SIVE
PROOEMIUM
Ad ſolidioris virtutis Candidatos, & Religioſos Novitios.

PAlæſtram virtutis ſemel ingreſſis non licet ſine piaculo pedem retrahere, ne retrò reſpicere credantur, & eo ipſo incapaces evadant acquirendi bravii, religioſæ ſcilicet Profeſſionis. *Via* vobis nunc eſt terenda, chariſſimi Tyrones, quæ neſcit *terminum*, ſed in hac parte oſtendetur *terminus*, qui vitam quidem religioſam limitabit, terminabítque, aſt finium, & religioſæ perfectionis indipiſcendæ ſtudio limites nullos ponet. Agemus in hac parte, ſive in *Progreſſu Tyrocinii* non tantùm de acquiſita perfectione, & omnium inordinatarum paſſionum dominio, verùm etiam de *impedimentis ſpiritualem profectum retardantibus*, vel penitus extinquentibus. Documenta ſunt propoſita à magnis Aſceticæ Theologiæ Magiſtris, fideliter ſuo in loco referendis, vel ideo non ſpernenda, quòd veritatem referant, probéntque, quæ probata eſt à Sanctis Patribus, quorum doctrina hìc continetur, non mea.

Cùm autem in progreſſu virtutis Candidatis Religioſis ſcire etiam libeat, quouſque pervenerint, perfectionem ſuam deduxerint, & quàm grandis

grandis ipsis adhuc restet via, certa posuimus indicia, ita ut virtus si non plus ultra, saltem minùs fecisse sibi persuadeat.

Porrò cum nihil Religioso ad perfectionem contendendi observandum magìs sit, quàm observare *claustrales observationes*, & ante eas primarium obtineant locum solemnia Religionis vota, agemus de hisce materiis cum tanta Asceseos discretione, ut moralia dogmata inserere pro nostra doctrina non intermittere voluerimus, omnino confisi, haud fore, ut sincera hac pro bono cujuslibet Religiosi Novitii susceptâ industriâ vel falcem in Theologiæ, vel Juris Canonici messem temerario ausu misisse, vel quidquam Ascesi contrarium scripsisse nos cujusquam opinio arguat, aut arguere possit, nisi bonam intentionem eversam velit.

Oportuit haud dubiè aliquam saltem *Statûs Canonici* historiam Tyrocinio Canonico adjungere, sed propter non modicas variis temporibus exortas controversias, quas vel S. Sedes Apostolica jam dudum eliminatas, & sacrata charitas consepultas voluit, non disceptare, sed ad quædam objecta religiosâ charitate respondendum erat, quæ planè Religiosis Novitiis Canonicis occurrerunt, dum contrarium continentes libri vel ad publicam mensam, vel privatum beneplacitum lecti fuerunt. Hinc absque bile conceptus nostros compendioso tantùm proponemus calamo, nulli inferentes injuriam, vel dantes malignam censuram, sed omnes, etiam adversarios possibili complectentes charitatis affectu.

Tandem ad ipsam *S. Professionem* pertingentes profitemur paucis nos pro dignitate materiæ omnia non adornâsse, cùm solùm scitu necessaria, non aliena, & curiosa proponere fuerit animus.

Atque hæc sunt, quæ Religioso Lectori Tyrocinium nostrum Canonicum percurrenti dicta sufficiant. Cætera docebit Tractatus, ubi tantùm id ad calcem insinuare non displiceat, me sincero ànimo scripsisse, defectus, & defectuum origines assignâsse non *ex scientia experimentali*, quasi verò tam grandes & enormes vel à meis Concanonicis, vel ab aliis Religiosissimis cætibus sive in genere, sive in specie, aut in individuo commissos deprehendissem (absit hæc præsumptio à Viro religioso:) sed ex *doctrina ascetica* S, S. Patrum & Magistrorum spiritualium. Si igitur alicubi

alicubi ſeveriùs ſcripſiſſe à quibusdam arguar, iſti authoritatem S. S. Patrum ponderent, textus integros cum abbreviatis, abbreviatos cum integris conferant; fontes, unde defluxerint rivuli, inſpiciant, nominatim in delicata materia aliquos forſan offendente, & (malè) ſcandalizante, S. S. Auguſtinum, Baſilium, Climacum, Bernardum, Laurentium Juſtinianum, Thomam Kempenſem, Mauburnum, & poſt tantos Patres legant citatos Magiſtros Lairvelzium, Nigronum, Lancicium, relatóſque apud hos in aſcetica Theologia fundatiſſimos authores, cum quibus mens & verba concordant mea. Iſtos proinde, ſi perlegerint, arguant ſeveritatis, offenſionis particularis, aut generalis cujusdam ſcandali, quòd pias (ut quidam putare volunt) aures offendat ejuſmodi tractatio materiæ, quam tot, tantique Patres ſuis etiam Novellis intimare religioſis non erubuerunt. Aſt recenſitos defectus, tanquam ab ipſis Tyronibus commiſſi, aut ab aliis perpetrati fuiſſent, quis unquam in libris illorum legit, aut in hoc Tyrocinio noſtro leget?

Igitur in hac ſecunda parte, uti in prima traditæ regulæ generaliter ſunt accipiendæ, & ſi quis ex illis defectum in ſe deprehendat, opportuna applicet remedia, quæ fideliter ibi, & quidem ex mente S. S. Patrum, & graviſſimorum Virorum fuère adducta.

Vos nunc ultimatò compello, Religioſa germina, chariſſimi Tyrones, vos in Domino adhortor, ut in incepto propoſito pergatis, & haud minori pretio habeatis ſalutaria alterius partis dogmata pro bono veſtro conſcripta, hæc enim acquiſitam virtutem docebunt conſervare, augere, ſublimare, & à contrariis defendere, uſque dum bono certamine certato, curſu conſummato, fide ſervata repoſita erit vobis corona juſtitiæ, quam reddet vobis Dominus in illa die juſtus Judex.

CA-

TRACTATUS ASCETICI THEORICO-PRACTICI PRO INSTRUCTIONE NOVITIORUM CANONICORUM

CAPUT VII.

De Dominio Paſsionum, & Spirituali Perfectione.

QUi ſpiritualem auſpicantur vitam, & ſacratiori Numinis divini famulatui in S. Ordine ſeſe devovent, conſecrántque, non raro minori interiùs afficiuntur cura converſionis ſeriò inſtituendæ, & nullatenus procraſtinandæ. Enimverò ſuum conſiderantes ingreſſum in Religionem, & aliquamdiu in eadem converſantes opinantur ſe jam eſſe perfectè converſos, & ampliorem non reſtare obligationem perfectiùs ſe convertendi. At velut occæcati

non vident, quòd sit facilius permutare statum, quàm vitam, vestes, quàm mores, nec ulteriorem instituunt reflexionem, quòd religiosi habitûs assumptione non eo ipsô deponantur vitiosi habitus; neque nova vivendi ratio planè sufficiat suffocandis passionibus, & malis inveteratæ naturæ inclinationibus. Nam ista mutatio exterior, novúsque ille vivendi modus certam quamdam menti imprimunt speciem, quæ aliquantùm sopit passiones, quas prorsus attonitas reddit illa statûs novitas. Gratia quoque in initio conversionis abundantior, quæ imperfectos etiam ad magna solet desideria excitare, difficultates in principio occurentes facillimè superat. Sed ecce! hoc ipsum est, quod servis Dei cum magno detrimento imponit, illudítque iis etiam, qui in S. Religione divino se mancipant obsequio.

Plerumque apprehendunt illam mentis tranquillitatem suavémque animi quietem tanquam effectum gratiæ cælestis, quæ tamen ordinariè non est nisi effectus mutati statûs, & novæ vivendi rationis. Procedunt proin in isthac falsa persuasione Spiritualis profectûs, satisque se fecisse sibi imaginantur, ut ampliùs non habeant, quod timeant, & ita huic fallaci securitatis principio indormiscunt. Ast refrigescente fervore, & contracta recens vivendi consuetudine, dum antiquæ passiones obstaculum non inveniunt, majori vi regrediuntur, & quo diutius hucusque fuêre constrictæ, eò fortiores consurgunt. Unde renatæ inclinationes veteres, & affectus naturales reviviscentes quanta damna, quantásque ruinas ejusmodi periculosi inimici in anima religiosa, quæ nil tale formidat, efficiant, nemo non videt: quin etiam multi post tres, quatuor, pluresque in S. Religione transactos annos minùs mortificati, magis propriis commoditatibus dediti, minùs capaces veritatum æternarum, magìs avidi vanæ gloriæ, honorúmque, minùs divinâ gratiâ, interioribúsque inspirationibus commovibiles, magis proprio judicio adhærentes, verbo ampliùs imperfecti, & defectuosi reperiuntur, quàm erant primis suæ conversionis diebus.

Quare pro avertendis tantis malis varia dedímus documenta in priore parte præcipuè Cap. IV. ubi de mortificatione sensuũ, & passionũ Art. II. pro captu Tyronum religiosa continentur principia, quæ Cap. VI. ampliùs deducta proximam sternebant viam ad ipsam religiosam perfectionem. Ad hanc enim velut ad optatum *terminum* perveniri non poterit, nisi domitis passionibus, prout S. P. N. *Serm.* 176. *de temp.* animadvertit hisce monitis: *Si unusquisque nostrûm subdere sibi studeat vitia, & passiones suas, ac super eas stare consuescat, ex ipsis sibi gradum*

gradum construit, quo ad Superiora conscendere possit. Elevabunt nos si fuerint infra nos. De vitiis nostris scalam nobis facimus, si vitia ipsa calcamus. Proin, antequam de religiosa perfectione tractemus, de edomandis passionibus paulò fusiora proponamus, necesse ducimus. Nunc sit

ARTICULUS I.

De natura Passionum in genere.

SUMMARIUM.

1. *Quid nomine naturalis ad malum inclinationis intelligatur?*
2. *Illa in utroque appetitu sensitivo, & intellectivo reperitur, cujus causa est Adami lapsus.*
3. *Explicatur uterque appetitus.*
4. *Sensitivus alius concupiscibilis, alius irascibilis. Concupiscibilis habet sex passiones:*
5. *Irascibilis verò quinque.*
6. *In appetitu intellectivo passionibus similes sunt affectus.*
7. *Exponitur Doctrina S. P. N. Augustini. Virus paternum inclinatio mala.*

1. ESse in homine generalem quandam inclinationem ad malum, Numinis creantis testimonio irrefragibili comprobata veritas est. Viderat enim *Gen. 6. Quòd cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malum omni tempore.* Atque idcirco à S. Jacobo *concupiscentia*, & *tentatio universalis* appellatur, dum in sua Epistola scribit c. 1. *unusquisque tentatur à concupiscentia sua abstractus & illectus. Deinde concupiscentia* (generalis quædam causa peccati) *cùm conceperit, parit peccatum* &c. Atque ista naturalis inclinatio à SS. PP. varias appellationes acquirit; nominatur enim à quibusdam *peccatum*, licèt reverà peccatum actuale non sit, sed potiùs *effectus peccati*, & *hæreditaria pœna* culpæ à primis parentibus in propaginem derivatæ. Aliàs communi nomine dicitur hæc inclinatio *fomes*, *motio seu motus primus*, *& innata concupiscentia* ab Hugone nostro Victorino *in Epist. S. Pauli ad Rom. Q. 168.* ab aliis vocatur generalis quidam *affectus*, & à S. P. N. l. 14. de Civ. Dei c. 23. *appetitus conspersus, & innatus carni.* Et Epistolâ 106. *ad Paulin. Virus paternū, quo universitatē generis sui pater prævaricatus infecit.* De quo in fine hujus articuli plura. Præceptor Angelicus *fomitem*, ait, esse naturalem vel

vel habitualem inclinationem appetitûs ſenſitivi ad motus circa objecta illicita & rectæ rationi contraria, rationem prævenientia, & ad peccatum trahentia. Ita *P.3.q.27. a.3. fomes nihil eſt aliud, quàm inordinata concupiſcantia ſenſibilis appetitûs, habitualis tamen* (intellige, in quantum potens eſt ad malum trahere non verò actualis,) *quia actualis concupiſcentia eſt motus peccati. Dicitur autem concupiſcentia ſenſualitatis eſſe inordinata, in quantùm repugnat rationi, & in quantum inclinat ad malum, vel difficultatem facit in bono. Et ideò ad ipſam rationem fomitis pertinet, quod inclinet ad malum, vel difficultatem faciat in bono.* Etſi enim de eſſentia appetitûs ſenſitivi tantùm ſit ferri in objectum ſenſibile, abſtrahendo an illud ſit licitum, vel illicitum, poſt lapſum tamen Adami, & perditionem Originalis juſtitiæ appetitus iſte in poſteris ſemper inclinat ad objectum prohibitum. Doctor gentium multis in locis pronitatem iſtam ad malum vocat ipſam *carnem*, cujus opera *ad Gal. 5.* enumerat *fornicationem, immunditiam, impudicitiam, luxuriam*, &, quæ rationem quoque ad carnem, & corporeos ſenſus trahunt, *avaritiam, veneficia, inimicitias, contentiones* &c. In eodem Apoſtoli ſenſu c. l. de civ. c. 3. Doctor Hipponenſis fomitem, & naturalem ad malum inclinationem, ſeu innatam concupiſcentiam *carnem* intellexerat aſſerendo: *anima peccatrix fecit corruptibilem carnem*, (corruptione ſcilicet peccati & fomitis) *ex qua corruptione carnis licèt exiſtant quædam incitamenta vitiorum* (utpote quæ originem trahunt à mala illa carnis inclinatione) *& ipſa deſideria vitioſa, non tamen omnia vitæ iniquæ vitia tribuenda ſunt carni* &c. Nam cauſa principalis omnis mali, ſcilicet peccati mala hominis voluntas eſt, quæ, cùm deberet appetitum ſenſitivum, ſeu corruptibilem carnem, ſive illam ad malum inclinationem dirigere, moderari, reſtinguere, frænum eidem potiùs indulget, ſeque ſubditam reddit, ubi dominari opporteret.

2. Unde autem tantum malum malæ inclinationis in hominem profluxerit, id unanimi ſententiâ proferunt omnes SS. PP. & Theologi, dum originem hujus corruptionis peccato adſcribunt. Quamvis enim Deus hominem quoad corpus & animam perfectum condiderit, duplicique appetitu *ſenſitivo*, ac *intellectivo* ad conſervandam naturam circumvallaverit, quin etiam, ne appetitus inferior Superioris imperium tam facilè excuteret, ſuámque in partem turpiter traheret, excellenti dono, qualitate nimirum extraordinariâ, quam Theologi *juſtitiam originalem* nominant, exornaverit, deplorandus tamen hominis, Adami nempe Parentis noſtri primi lapſus tantam in utramque naturam ruinam, & in utrumque appetitum tantas ſtrages

strages edidit, ut originali justitiâ deperdita *appetitus sensitivus* inceperit Superiori rationi repugnare, *intellectivus* verò, seu voluntas ab ultimo suo fine Deo declinans, transierit in amorem proprium, quo sese, non Deum quæsivit. Ast, dum à Summo bono aberravit perversa voluntas, & in creaturis finem sibi præstituit, dominium inferiorum potentiarum perdidit, ac rebellionem continuam invenit. Etenim in utroque appetitu graviter sauciato perversæ quoque inclinationes sunt exortæ, quæ hominem etiamnum in transversum agentes mirum in modum impor-
2. tunè, ac continenter exagitant, ut *non, quod vult bonum, hoc agat, sed, quod odit malum, illud faciat*, videns *legem* in membris sui corporis *repugnantem legi mentis* suæ, prout conqueritur *Gal.* 5. Magnum electionis Divinæ Vas. Abhinc etiam *sensus, & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua. Gen.* 8.

Sicut ergò ex primo Protoparentum peccato omnia ortum suum ducunt peccata, ita ex perversa ista appetitûs generali inclinatione ac propensione omnes aliæ perversæ hominis inclinationes descendunt ita, ut tam illa quàm istæ omnes alios pravos in homine habitus, omnésque passiones illius præcedant. Atque *generalis* hæc ad malum *propensio* ex conjunctione animæ cum corpore hæreditaria labe infecto validas acquirit vires, crescitque in dies, dum ad superbiam, ad dominandi libidinem, ad difficultatem majoribus obtemperandi, subjiciendi se aliis, religiosæ disciplinæ & Ecclesiasticæ legibus parendi, ad inanem gloriam, ad injuriarum vindictam ad suspiciones, judicia temeraria, odia, & animorum aversiones, ad invidiam, acediam, profusam lætitiam, audaciam, obstinationem, & desperationem incitat. Neque solùm appetitum *sensitivum* continuò reverberat, sed etiam *intellectivum* & Superiorem variis tentationibus interiùs exagitat, uti solent esse illæ contra fidem, Spiritûs blasphemia, immensa mentis humanæ curiositas, malitia cordis, astutia, fallacia, obscuritas &c. Quæ omnia incitamenta sunt *generalis inclinationis ad malum* à primo peccato in homines derivatæ.

Cùm autem frequens per de- 3.
cursum hujus Tractatûs ingeratur memoria *appetitûs* utriusque tam *Superioris*, quàm *Inferioris*, clariùs istam explicari materiam, necessarium videtur. Sciendum itaque, hominem, sicut duabus constat naturis corpore nimirum & animâ, ita duplici à Deo præditum esse appetitu, quo utramque naturam, ejusque actiones contra adversa quæque posset conservare. *Appetitus sensitivus* juxta Theologos & Philosophos est insita corpori facultas in corde principaliter existens, cujus objectum est bonum

vel malum sensibile per imaginationem repræsentatum tanquam conveniens, vel disconveniens naturæ sensibili. Dicitur *sensitivus*, quia unicè movet hominem in id, quod sensui bonum, vel malum videtur. *Appetitus intellectivus* est facultas animæ, sive voluntas, quæ fertur in bonum vel malum ab intellectu cognitum, & rationi conveniens, vel naturæ spirituali disconveniens. Dicitur iste Appetitus *Superior* ex eo, quòd Deus statuerit, ut anima seu voluntas tanquam nobilior & longè perfectior corpori, ejúsque motibus præesset, & in suis actionibus non seipsam, sed Deum velut primarium, & ultimum finem intenderet: corpus verò sive appetitus sensitivus tanquam imperfectior, & ignobilior subderetur animæ, ab eáque velut Superiore facultate gubernaretur, atque adeò subditus, famulus, & *inferior* esset. Porro cuilibet appetitui suæ sunt inclinationes, motiones, concitationes, sive actus, qui in *appetitu superiore* affectus sive simpliciter actus dicuntur, in *appetitu* verò *inferiore* passiones communiter appellantur. De utrisque ulterior libanda venit doctrina.

4. Appetitum sensitivum ceu suum subjectum, cui insunt, passiones duplicem efficiunt, *concupiscibilem* nimirum & *irascibilem*; si verò secundùm sua objecta scilicet bonum & malum considerentur passiones, aliæ consistunt *in prosecutione boni*, aliæ *in fuga mali*. Appetitus *concupiscibilis* movetur erga bonum, quod apprehendit sibi conveniens, fugitque apprehenso bono contraria. Illius motiones seu passiones numerantur sex, quarum tres ad prosequendum bonum, scilicet *amor*, *desiderium*, *gaudium* ordinatæ sunt, tres verò *odium*, *fuga*, *tristitia* ad fugiendum, repellendúmque malum tendunt. Nam *bonum repræsentatum* tanquam principium activum primò efficit in animo quandam inclinationem ad illud bonum, & hoc est *amor*. Atque usque dum bonum non obtinetur, movet appetitum ad illud procurandum, & hoc est *desiderium*. Post obtentum verò bonum, bonum ipsum efficit in anima quietem & pacem, quæ nominatur *delectatio*, & *gaudium*. *Malum* vicissim repræsentatum velut amori, & appetitui concupiscibili contrarium primò causat aversionem, qua conatur illud à se repellere, & dicitur *odium*. Nascitur dein studium illud ipsum removendi, & vocatur fuga, seu *abominatio mali*. Tandem si hoc malum à se removere nequeat, oritur *dolor*, & *tristitia*. Sunt igitur *appetitûs concupiscibilis* passiones sequentes

1. *Amor*, qui est quædam propensio affectûs seu appetitûs erga bonum cognitum tanquam utile, pulchrum, delectabile, sive illud sit res, actio, aut persona, prout abstrahit à præsentia, vel absentia illius.

2.

2. *Desiderium* est concupiscentia objecti amati absentis, seu extensio & progressio amoris ad assequendum bonum amatum.

3. Gaudium est delectatio in bono præsenti, & possesso.

4. *Odium* est aversio appetitûs à malo apprehenso, ut malum est.

5. *Fuga* est recessus à malo futuro, seu possibili non arduo.

6. *Tristitia* est dolor & molestia proveniens vel ex interna apprehensione mali præsentis, vel ex incommodo, quod experiuntur sensus.

5. *Appetitus irascibilis* exurgit & pugnat contra difficultates occurrentes in prosecutione alicujus boni, & in fuga alicujus mali, quæ sunt in concupiscibili. Ejus passiones sunt quinque, scilicet *spes*, *desperatio*, *audacia*, *timor*, & *ira*. Si enim bonum appetitus objectum sit arduum, sed ita conceptum, ut obtineri queat, efficit in potentia *irascibili spem* consequendi: contrà verò si concipiatur illud bonum, quasi obtineri nullatenus valeat adhibitis etiam omnibus viribus, causat *desperationem*. Rursum si bonum videatur non nisi magno labore consequibile, vel malum ægrè depelli possit, nascitur *audacia* in appetitu irascibili; sin minus, *timor*. Dum autem malum reipsa, vel imaginatione præsens contra appetitum bonum se opponit, assurgit *ira* contra illud, & illius auctores. Sunt ergò *Appetitûs irascibilis* passiones istæ

1. *Spes*, cujus motus est in bonum arduum, sed ordinariis mediis consequibile.

2. *Desperatio*, quæ est deiectio appetitûs propter difficultatem assequendi bonum, quod quis se obtenturum planè diffidit.

3. *Audacia* tendit in bonum instans & arduum ultra vires, mediis tamen extraordinariis consequibile.

4. *Timor* est regressio & subductio appetitionis à malo futuro arduo, sed evitabili.

5. *Ira* est appetitus vindictæ habens secum Zelum, & indignationē, ut patet ex Cap. II. Art. V. Part. I.

Inter omnes istas passiones eminet *Amor*, qui veluti fons cæterarū, princeps, & primum mobile, ac principium activum reputatur: nullius enim rei *desiderio* quis tenetur, in nullo objecto *delectatur*, & quiescit, nisi quod *amat*. Nihil *odit*, nihil *fugit*, ob nihil aliud *tristatur*, vel dolet, nisi ob malum, quod amato bono contrarium apprehendit. Nihil etiam *sperat*, in nullo *desperat*, non ardua & difficilia *audet* aggredi, nisi ob bonum, quod amat, & appetit: nihil etiam *timet*, & ob nihil aliud *irascitur*, quàm ob malum bono suo unicè amato contrarium. Hinc bene ordinato, & regulato amore, ordinatæ erunt, regulatæque cæteræ passiones

nes ita ut anima ex regula ordinati amoris *iram*, *metum*, *cupiditatem*, & *gaudium veluti quendam animi currum bonus auriga regere possit*, & *carnis sensum ad nutum rationis in obsequium virtutis* vertere valeat. Prout S. Bernardus *Ser. 85. in Cant.* melleis docet sententiis.

6. Passiones seu motiones *appetitûs sensitivi* imitantur affectus seu actus *appetitûs intellectivi*, illísq; correspondent in voluntate motus, qui pariter vocantur amor, desiderium, gaudium, ira &c. Unde Augustus Doctor noster voluntatem magis dirigendam esse ad legem divinam, & rationis regulam, quàm inferiores corporis motus, saluberrimè admonet *Lib. 14. de Civ. Dei c. 6.* Ubi ita in rem nostram disserit. „Interest autem, qualis „sit voluntas hominis, quia si perversa est, perversos habebit hos „motus: si autem recta est, non „solùm inculpabiles, verùm etiam „laudabiles erunt. Voluntas quippe in omnibus est, imò omnes „nihil aliud, quàm voluntas sunt. „Nam quid est *cupiditas* & *lætitia*, „nisi voluntas in eorum consensionem, quæ volumus? & quid „est *metus* atque *tristitia*, nisi voluntas in dissensionem ab his, „quæ nolumus? sed cùm consentimus appetendo ea, quæ volumus, *cupiditas*: cùm autem consentimus fruendo his, quæ volumus, *lætitia* vocatur. Itémque „cùm dissentimus ab eo, quod accidere nolumus, talis voluntas „*metus* est: cùm autem dissentimus „ab eo, quod nolentibus accidit, „talis voluntas *tristitia* est.

Propriè tamen isti actus voluntatis nominari non possunt *passiones*, quia cum mutatione corporali conjuncti non sunt, nec etiam corpus, vel cor immutatione quadam alteratur, aut commovetur per actùs voluntatis. Passio quippe ex S. Thoma 1. 2. Q. 22. Art. 3. *est motus appetitivæ virtutis sensibilis in imaginatione boni vel mali.* Hoc est, passio est quædam actio sensibilis proveniens ex apprehensione alicujus boni, quod concupiscitur, vel mali, quod timetur. Vocantur autem ejusmodi actiones *passiones* ex eo, quòd per eas, dum exurgunt, humanum corpus aliquid patitur, præsertim cor, quod est sedes appetitûs sensitivi, à quo passiones emanant. Actus igitur *gaudij*, *amoris*, *desiderij*, *iræ*, *tristitiæ* &c. in sola voluntate consistentes, dicuntur *actus eliciti*, *immanentes*, *liberi*, *immediatè nati*, seu *affectus*, non verò passiones.

Quando verò S. Augustinus *L. 12. de Genesi ad Lit. cap. 9.* dicit, 7.
Passio corporalis, *ut pallor*, *rubor*, *tremor*, *vel etiam morbus aliquando à corpore habet causas*, *aliquando ab anima. A corpore quidem, cùm vel humor diffunditur*, *vel cibus*, *vel aliquid aliud corpori injectum extrinsecùs. Ab anima verò*, *cùm timore turbatur*, *vel pudore confunditur*, *vel irascitur*, *vel amat*, *vel si*

si quid hujusmodi &c. Intelligendus est nomine passionis ab anima provenientis *affectus*, quo dum voluntas variè commovetur, modò timore turbata, modò pudore confusa, vel irâ, amore, vel odio & tristitiâ affecta dicitur. Unde cùm ex immoderatis animi affectibus animam sive voluntatem perturbari necesse sit, facilè potentiæ executrices confunduntur, appetitus inferior commovetur, & passiones excitantur, quæ hoc modo ab anima ceu à causa *radicali* ortum suum trahunt, à corpore verò tanquam à causa *formali* dependent, quia cum immutatione corporali, & alteratione cordis conjunctæ sunt.

Eadem Sententia S. P. uti etiam aliæ hinc inde in vastissimis suis operibus contentæ intelligi possunt de morali bonitate vel malitia passionum, quæ ad Anima speciem suam acquirunt. Quædam enim moraliter possunt esse bonæ, quædam malæ: *bonæ sunt* juxta. S. P. l. 14. de civ. c. 9. *Cùm rectam rationem sequuntur; malæ, cùm ab ea exorbitant*, hoc est, cùm potiùs inclinationem corruptæ naturæ sequuntur amando, quod amandum non est, & timendo, quod timendum non est. Hinc *passio corporalis aliquando à Corpore habet causas, aliquando ab anima*: Prout disertè loquitur Sanctus Doctor. Acsi dicat: à Corpore habet causam *formalem*, & quasi efficientem, ab anima verò *moralem* & *radicalem*.

Qua ratione invicem differant passiones ab affectibus voluntatis ostensum est Parte I. C. 4. a. 11. f. 304. Solùm hîc adnotamus, actus *appetitûs intellectivi* benè ordinatos verarum, ac genuinarum virtutum esse actus, quibus refrænantur, & regulantur, etiam *appetitûs sensitivi* passiones, *ut in usum justitiæ convertantur* ex mente S. P. N. *L. 9. de. Civ. c. 5.*

VIRUS PATERNUM

Causam miseriarum humanarum moraliumque defectuum generalem esse propensionem, & ad malum inclinationem ex protoparentis nostri lapsu provenientem nos posteri ingemiscimus omnes, & dolentes fatemur cum S. P. N. Epist. 106. ad Paulinum. VIRUS PATERNUM, quo totum genus humanum infectum adeò fuit, ut non nisi pestiferi fructus in Corpore, & pejores effectus in anima inde prognati sint. Compendium traditæ hucusque doctrinæ subministrat subtilis calamus ita ad Paulinum exarans: „Quid uberius & veracissima confessione „plenius, quàm id, quod est in quadam

„dam Epistola tua, ubi nostram „naturam non mansisse, ut condi- „ta est, sed vitiatam esse per illum „generis humani Patrem humili- „ter deplorâsti dicens: Pauper ego „& dolens, quia adhuc terenæ „imaginis squallore contritus sum, „& plus de primo, quàm de secun- „do Adam, & carnis sensibus, & „terrenis affectibus refero, quom- „modo tibi audebo me pingere, „cùm cælestis imaginis inficiator „prober corruptione terrena? Ut- „rinque me concludit pudor. Eru- „besco pingere, quod sum, non au- „deo pingere, quod non sum: odi „quod sum, & non sum, quod amo. „Sed quid mihi misero proderit „odisse iniquitatem, & amare vir- „tutem, cùm id potiùs agam, quod „odi, nec laborem piger id po- „tius agere, quod amo, ipse dis- „cors, & intestino bello distrahor, „dum Spiritus adversùs carnem, „Caro adversùs Spiritum dimicat, „& lex corporis lege peccati le- „gem mentis impugnat? Infelix „ego, qui in me venenatum inimi- „cæ arboris gustum, nec digessi „crucis ligno. Dominatum est mi- „hi illud per Adam VIRUS PA- „TERNUM, quo universitatem „generis sui Pater prævaricatus in- „fecit. Et cætera, quæ de hac mi- „seria multa connectis ingemis- „cendo, expectans redemptionem „corporis tui, & nondum re sed „spe salvum te esse cognoscens. „Sed fortassis tu alium in te trans- „figurâsti, cùm hoc diceres, nec „aliquas de Carne Concupiscente „adversùs Spiritum, quamvis ei „non consentias, molestias pate- „ris importunas & odiosas: Verùm „tamen & tu, & quisquis hæc pati- „tur, & gratia Christi, per quam „de Corpore mortis hujus libera- „ri exspectat, nondum quidem e- „videnter in se ipso, sed in illo ho- „mine latenter ibi erat, quando ci- „bus vetitus tangebatur, & Con- „cupiebatur longè latéque per „cunctos itura perditio. Hæc S. P. „ad Paulinum.

Virus istud Paternum ut à se ma- turè averteret, vel saltem minùs efficax redderet S. Laurentius Ju- stinianus, gloriosum cum sensibus certamen iniit. Cùm enim à Di- vina Sapientia castissimo amplexu, & suavissimo osculo sibi in spon- sum delectus fuisset Hymenæum terrenum, carnalesque nuptias mox fastidiens ad avunculum Ma- rinum in Ecclesia S. Georgii de Al- ga tunc Can. Reg. S. Augustini confugit Anno 1400. Hìc pretio- sis vestibus cum canonico habitu mutatis humilis appellari Joannes voluit, ne vel nomine innotesceret ampliùs mundo. Primùm tyro cer- tamen secũ velut hoste capitali iniit Cibi potúsque parcitate irritavit magìs, quàm satiavit gulam. Ad- duci nunquam potuit, ut calente sirio haustum pomeridianum sum- meret, quin invitatus à fratribus aiebat; *Quo pacto feremus purgatorii*

ca-

calores, si parvam hanc sitim ferre non possimus. Rigente hyeme stare ad focum visus est nunquam, ut elemento contrario à gelidis membris procul arceret Cypridis ignes. Hinc cùm Patrum quidam, qui eum ad ignem invitaverat, manus illius frigore gelatas palpâsset, admirabundus dicebat: *O fili! magnus profectò est calor, quo intus ardes, si frigora ista non sentis, quibus obriguisti.* Ut hostes speculatores insigni stratagemate circumveniret, captivavit oculos, & etiam à licitis hortorum deliciis abstraxit, dum nunquam cum suis collegis florum rosarúmque aspectu, & odore, inimicos sensus pascendi gratiâ, viridarium intravit. Cùm á superioribus identidem urgeretur, ne in lecto, vestitu, & cibo tam rigidus esset sui censor in detrimentum non leve valetudinis, respondit: *jubete, ut lubet, parebo jussis; scire tamen vos velim, ei qui pro Christo pati decreverit, patiendi viam non defuturam.* Patientiam planè heroicam tunc probavit, quando gravi morbo affectus, &, cùm alia non suppeterent remedia, à medicis ferro candente adustus, nulla in istis doloribus suspiria, nullásque edidit voces querulas nisi suavissimum nomen JESUS semel ingeminando. Alia vice cùm cervici esset inurendum cauterium, ipsemet chirurgum timidiorem animavit, ut pro libitu ureret, secaret, asserens: *An non poterit mihi Christus dare fortitudinem, quam tribus pueris dedit in fornace ardenti Babylonica?* Humilitas tam altas in Laurentii animo radices egit, ut illius colloquia non nisi de suis peccatis, aut de humilitate mirabili Christi, & Mariæ audirentur. Unde, sicut ab aliis contemni peroptabat, ita reprehensiones patientissimè ferebat. Accusatus insons nunquam se excusabat, ut sic humilitati magis studeret, & domesticis suis veræ virtutis exempla præberet. Paternis ædibus pedem nunquam intulit, nisi in extremo Matris Quirinæ morbo, cui spirituales ferre suppetias filialis exigebat pietas. Idem charitatis officium suis etiam uterinis fratribus exhibuit, ratus eos, quos Christi causa semel reliquisset, revisendos non esse, nisi aliud charitas aut mortis necessitas suaderet. Primus erat in choro, in recessu ultimus. Nocturno officio peracto, aliis somnum repetentibus, ipse in templo remanens cælestibus vacabat affectibus, dum rursùs ad Primam convolarent cæteri. Hæc Novitius ac Professus egerat, ut mirum non sit, sublime adeò Sanctitatis ædificium supra tantum virtutis fundamentum assurrexisse in Laurentio. Cùm A. 1404. Authoritate Bonifacii Summi Pontificiis reformationem Diaconus suscepisset, sacerdotio anno 1406. Insignitus maxima cum devotione quotidie ad Aram litabat, nisi sinistra valetudine impeditus, asserere su-

solitus: *Qui, cum posset Domino suo frui, non frueretur, facilè declarare, se Domini sui curam non habere.* Aliquando cùm rem divinam ipsa Servatoris nostri nati nocte ad aram perageret, post consecratam S. Hostiam raptum passus est.

Diacono ut in cœpto sacrificio pergeret monenti, velut è somno excitatus, *ecce prosequor,* respondit, *sed quid de infantulo pulchro faciemus? quomodo solum & nudum in tanto frigore relinquemus?* Semel etiam cùm quædam Virgo notæ sanctitatis in festo SS. Corporis Christi ardentiori teneretur desiderio divinum sumendi epulum, morbo tamen impediretur, atque hinc B. supplicaret Laurentio, ut meminisse sui saltem ad aram dignaretur, spopondit ille & jam rem divinam peragens, cùm Sacram Hostiam populo adorandam elevâsset & spiritu in illius Monialis cubiculum abreptus est, quam divinæ contemplationi vacantem, magnóque Christum percipiendi desiderio flagrantem Sacra Synaxi refecit, corpore interim ad aram consistente. Restitutus sibi residuum rei Divinæ confecit, nec cuiquam, dum vixit, factum propalavit humilitatis conservandæ amore. Quàm sanctis novellam congregationem bis Rector Generalis muniverit statutis, quàm sedulus ovium Pastor renuntiatus Pontifex Castellanus anno 1433. extiterit. Quanta Venetiis anno 1451. Authoritate Apostolica inauguratus Patriarcha egerit, quanta cœlesti sapientia illustratus scripserit, futura prædixerit, sanctissiméque vixerit anno 1455. orbi erudito *ex Actis Bollandi to. 1. Jan. 8.* Sunt nota, cœlo virtutes ac merita notissima.

Josephus à Nave Veronensis è Congregatione Lateranensi, sicut regularis disciplinæ exemplar erat absolutissimum, ita passiones suas adeò edomitas tenuit, ut nullum virtutibus bellum intentare possent. Abstinentia illius planè mirabilis plures Christi pauperes ex residuis de mensa ferculis alebat. Oratio assidua et in S. meditatione fervor in frequentes extases Josephi animum abripuerunt. Nonagenarius miles Veronæ cælesti coronandus laurea obiit. Anno 1565. die 8. Jan. *Ex Bennotto l. 3. c. 11.*

Venerandissimus Gondisalvus Lusitanus eximiæ Sanctitatis vir exigentibus virtutum meritis ad supremum cœnobii Vincentini in urbe Ulysiponensi clavum evectus pravas cupiditates suas adeò refrænare noverat, ut nullam posthac rebellionem moverent. Elationis spiritum tam profunda humilitate dejecit, ut suis non imperare, sed potiùs subesse videretur. Nullus prorsus præfervidus animi perturbati motus in illo fuerat notatus; facies nunquam non præferebat sua serenitate internam quietem.

Post

Post quadragennarium in stadio virtutum strenuè adimpletum curriculum cælestem adeptus est palmam, ut posteà innotuit ex quadam visione, quam de anima V. Gondisalvi à Deo accepit B. Ægidius S. Ordinis Prædicatorum. De quo istius vitæ Scriptor Andreas de Resende Lusitanus ita refert: „In hora obitus ejus contigit, Virum Dei Ægidium in Cœnobio Sanctirinensi Sacris Altaribus operari, & ecce in subita „mentis abstractione raptus vidit „Gondisalvi à nobis modò memorati animam terrena mole jam „deposita, fulgentissima luce radiantem, per immensi aëris hujus spatia Angelorum manibus „sursùm ferri, quo visu mirum in „modum voluptate affectus, posteaquam in illo raptu immoratus „aliquandiu fuerat, rediit ad se, „nec præ gaudii magnitudine risum „poterat continere. Rector cœnobitarum, qui ad raptum ejus „videndum advocatus fuerat ab „æditro, cùm & contra severitatis suæ morem, & contra consuetudinem aliorum raptorum, post „quos crebra semper suspiria, & „gemitus emittebat, eum risisse admiraretur, peracto sacrificio illum non modò obnixè rogando, „verùm etiam autoritate interrogando urgebat, ut causam intempestivi risûs indicaret, tum ille „simplici animo retulit, quod viderat: & notata hora compertum „est, virum illum Deo charum ex „hac vita migrâsse. Is, qui ante nos „viri vitam conscripsit, ait, se à Martino Ecclesiæ Ulyssiponensis Archidiacono Viro Doctissimo in „frequenti sacerdotum, & populi conventu rem ita se habuisse „confirmante, hoc audivisse. *Ex Bennotto. L. 2. c. 61.*

Henricus III. Ex Canonico Regulari, & Præposito Ducalis Ecclesiæ Berchtesgadensis in Bavaria ad Episcopalem Infulam Brixinensem evectus, mira in suas passiones potestate erat præditus. Humilitas illi pro fundamento fuit altioris in Dei Ecclesia gradûs, cui aliarum virtutum ornatus associebatur. Adalberto Archiepiscopo expulso, tribus annis Salisburgensem sedem administravit. Ecclesiam Cathedralem Brixinensem incendio devastatam magnis restauravit impensis, redditus canonicorum adauxit, ac plurima pietatis in Deum, liberalitatis in suos pauperes, charitatis suos Canonicos monumenta reliquit. Obiit Anno 1174. *Ex Metrop. Salisburg. Hundii & Gabriele Bucelino in Germania S. & Rmo. Grueber, ad diem 29. Maji. In Theatro virt.*

ARTICULUS II.
De Malis effectibus, & Damnis passionum.

SUMMARIUM.

8. *Variæ passionum proprietates ex S. Apostolo Paulo adducuntur.*
9. *Immoderatæ passiones quanta mala in genere inferant homini, refertur.*
10. *Damna intellectus*
11. *Voluntatis*
12. *Memoriæ*
13. *Potentiæ executricis*
14. *Et cæterorum quinque sensuum externorum recensentur. Hi sunt ianuæ ad vitam & mortem ex S. Aug.*

8. Cognitâ passionum causâ, & naturâ malas nunc proprietates, malósque effectus earundem ostendere solent spirituales Magistri, ut ex tantis damnis, quæ inferunt, discipuli saperent, connitetenturque omni possibili studio tempestivè coërcere illas, atque ad rectam rationem, & *in usum justitiæ convertere.* Enumerantur autem proprietates passionum istæ. 1. Sedem habent in carne, nam si solùm inordinata inclinatio sit in voluntate, *affectus* dicitur, ut patet ex Art. præcedente. Hinc conqueritur Apostolus *ad Rom.* 7. quòd *in carne non sit bonum* propter inhabitantem passionem. 2. Præveniunt rationem, & ideò ait: *Quod enim operor, non intelligo.* 3. Comprimi aliquando non possunt, *non enim, quod volo bonum, hoc ago.* 4. Insurgunt contra voluntatem, & nolentes ad opus trahunt, *sed quod, odi & nolo malum, hoc facio.* 5. Inferunt legem membrorum contrarium legi rationis, *video autem aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* 6. Propterea redigunt hominem in servitutem peccati, utì deplorat idem in contextu non tantùm legem repugnantem, sed *& Captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis.* Atque ex his sequitur. 7. Universalis quædam Corruptela humanæ naturæ tam quoad sensus Corporis, quàm quoad potentias animæ, quam *infelicitatem* nominat gentium Doctor, & ingemiscens ex hac captivitate corruptæ naturæ liberari petit: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Videamus nunc ipsa mala ex hoc malo fonte scaturientia.

Non solùm dirè, durèque affligunt hominem inordinatæ passiones, turbidis animi motibus exagitant, 9.

tant, & perturbato superioris & inferioris ordine in contrarias partes intestinâ seditione distrahunt, sed etiam nobilissimam animæ potentiam *intellectum* excæcant, *voluntatem* captivant, & *memoriam* vanissimis, & turpissimis objectis obruunt, & conficiunt. Sit in homine gratia divina, sint virtutes tam supernatutales, & infusæ, quàm morales & acquisitæ; una passio vehementior jugulare gratiam, ac virtutes è medio tollere potens est. Una domum universam, urbes, & regna subvertere, omnia prosternere, & convellere potest. Quidquid in Religioso cætu, & spirituali congregatione bonum invenire est, una passio inordinata immutare, *fraternum* amorem in odium, charitatem in infidentiam, concordiam in discordiam, disciplinam in dissolutionem, profectû spiritualem in laxitatem fatalem, virtutes ipsas in vitia, & salutem animæ in miserandam ruinam vertere nonnunquam potest. Certè hominem Sathanæ mancipium constituunt, & in ipso *Dei imaginem turpissimè deformant, ejusque locò effigiem fœdam ac terrestrem aliquo modo inducunt* teste Cyrillo T. ad Colos. 3. Quin etiam in portentosa naturæ monstra mirabili metamorphosi transponunt, ut tanquam asinus recalcitret; lasciviat ut taurus; tanquam equus verò post mulieres hinniat; ventri tanquam ursus indulgeat; ut mulus carnem impinguet; ut serpens irascatur, & sit subdolus ut vulpes &c. Prout graphicè hominem passionibus immoderatis Captivatum & transversum describit aureas orator. *Ser. 23. ad pop.* & *Hom. 23. in Gen.* Percurramus nunc obiter ingentes strages, quas pravæ affectiones animi intellectui efficiunt.

Inprimis crudelem in *intellectum* 10.
tyrannidem exercent, dum mentis aciem circumfusâ nebulâ retundunt, rationem imperii præsidem, actionúmque omnium regulam è sede sua deturbant; Consilium exterminant, judicium pertinaciâ accendunt, virilitatem mentis effæminant, altúmque & immane adeò illi vulnus telo ignorantiæ imponunt. Uti deducit aureo calamo idem Doctor. *Hom. 9. in 2. ad Corint.* Etenim de ultimo fine, ad quem creatus homo est, parùm aut nihil cogitat, qui suis affectibus, non nisi ad malum trahentibus, frænum indulget. Non illi cura de æterna vita, non cogitatio de bonis supernis à Deo promissis, non ratio mediorum, nec sana interpretatio divinarum litterarum, magna econtrà divinarum veritatum ignorantia. Porrò se ipsum, cùm nesciat homo, nec sincerè cognoscat, alios curiosiùs aspicit, & quoad omnia facilius, ac temerariè dijudicat cæcus quoad suos defectus, quoad alienos scrutandos oculatissimus. Sic agnoscit. *L.* 10. Confess, C. B. S. P. N. Confitetur-

túrque, *curiosum esse genus inordinatis affectibus irretitum ad cognoscendam vitam alienam, desidiosum ad corrigendam suam.* Improbum etiam quòd nolit defectus proprios ab aliis audire, multò minùs corrigere.

11 *Voluntatem* quoque in malũ inducunt sub specie boni: Cùm enim hæc non feratur in objectum nisi præcognitum, cognitio autem ex prædictis obfuscata sit, sequitur voluntatis actum esse quoque obfuscatum. Hinc passionum impulsu vagatur incerta & instabilis, vanæ gloriæ, honorum, cupiditatum, & injuriarum vindicandarum avida, & ita libertatem suam depedit. Dum verò omnibus donis Cœlastibus, & summo bono (in quo sola requies) spoliatam se agnoscit, tunc affectum omnem transfert in res creatas, iisque, velut compedibus vincitur, & præceps abducitur, quorsum fert impetus affectuum & passionum. Sic *L.* 8. *Confess. C.* 5. Vincula suæ voluntatis & libertatis deplorans orbi testatur S. Augustinus in hæc verba: *Suspirabam ligatus, non ferro alieno, sed mea ferrea voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi catenam fecerat, & constrinxerat me. Quippè ex voluntate perversa, facta est libido: & dum servitur libidini, facta est consuetudo; & dum consuetudini non resistitur, facta est necessitas. Quibus quasi annulis quibusdam sibimet innexis (inde Catenam appellavi) tenebat me ostrictum dura servitus.*

Memoriam tanquam Matrem, rerúmque Magistram damnabili beneficiorum cælestium oblivione (quam S. Thomas opusculo. 58. *Primum Adami malum* appellat) quodam̃odo sepeliunt passiones, & ità maximum ingratitudinis malum naturæ, legibus, & Deo odiosum superinducunt. Non enim recordari solet malè affectus animus Crucis Christi, ejúsque acerbissimorum dolorum. Non occurunt memoriæ ampliùs mors, judicium, infernus, & Cælestis Gloria, quorum recordatio admodùm utilis est ad fugiendum maximè, & detestandum peccatum. Neque recordatio est vitæ præteritæ, præsentis & futuræ, & eorum, quæ vel fieri, vel omitti debent. Tandem, quod maximum est, inveteratæ passiones & irrefrænatæ affectiones damnabili, culpâ refricant memoriam improbitatis, peccatorumque omnium præteritorum; unde sequitur, continua malorum indagatio, occasionum oblatio, & ex voluptate olim percepta oritur novæ quærendæ studium, quod absorbet totum interiorem hominem. Sicut enim recordatio virtutum exercitarum ad novas alliciendas impellit animum; ita quoque à contrario præterita peccata, vitia, & inordinatæ passiones adeò occupant memoriam, ut vitiosis imaginibus ibidem impressis, & quasi ob oculos mentis continuò positis ad reite- 12

tetanda scelera incitent. Pulcherrimè id explicat S.P.N. *Lib. 10. Confess. c. 8.* In Campos, & lata prætoria „*memoriæ* sunt thesauri innumerabili„um imaginum, de rebus sensis in„vectarum. Ibi reconditum est, „quidquid etiam cogitamus, vel „augendo, vel minuendo, vel „utcunque variando ea, quæ sen„sus attigerit, & si quid aliud com„mendatum, & repositum est, „quod nondum absorbuit, & sepe„livit oblivio. Ibi sunt omnia di„stinctè generatimque servata, „quæ suo quæque aditu ingesta „sunt; sicut lux, atque omnes co„lores formæque Corporum per „oculos, per aures autem omnia „genera sonorum, omnésque o„dores per aditum narium, omnes „sapores per oris aditum, ad sen„sum autem totius Corporis, quid „durum, quid molle, quid cali„dum, frigidúmve, lene aut aspe„rum, grave seu leve, sive extrin„secus, sive intrinsecus corpori. Hæc „omnia recipit recolenda, cùm o„pus est, & retractanda grandis me„moriæ recessus. &c. *Et infra.* Ibi & „ipse mihi occurro, méque recolo, „quid, quando, & ubi egerim, „quóque modô, cùm agerem, af„fectus fuerim. Ibi sunt omnia, „quæ sive experta à me, sive cre„dita memini. Ex eadem Copia „etiam similitudines rerum vel ex„pertarum, & ex eis, quas exper„tus sum, creditarum, alias atque „alias & ipse contexo præteritis, „atque ex his etiam futuras actio„nes, & eventa, & spes, & hæc om„nia rursus quasi præsentia medi„tor. Faciam hoc aut illud, dico „apud me in ipso ingenti sinu ani„mi mei, pleno tot & tantarum re„rum imaginibus, & hoc aut illud „sequetur &c.„ Si igitur rerum imagines in vastissimo illo sinu animi malas actiones, patrata scelera, veluti deformia monstra repræsentant, quid mirum, quòd memoria non alia recordetur nisi horrenda, deformia, & portentosa vitiorum simulacra?

Potentiam etiam *executricem* ad mala facienda exacuunt malæ passiones, dum amori proprio servientem reddunt, & in omnia flagitiorum genera abducunt: ad bona verò facienda retundunt, & desidiosam, pigram, & prorsùs ineptam efficiunt. Nam cùm *potentia executiva* ex natura sua ad operationes, quarum proximum existit principium, destinetur, inordinatæ passiones quoad bonas operationes impediunt, eámque ad turpe otium detorquent. Dum autem illa rationis à Deo Cælesti gratia irradiatæ imperio non nunquam ad bene agendum vim suã exerit, infami rebellione passiones insurgunt, adeò ut sensuum illecebris famulari non rationis ductum sequi teneatur. Quo fit, ut, si aliquando ad rationis legem benè operetur, id non nisi ægrè faciat, admodùm tardè & oscitanter, atque citò ad assue-

assuetum otium revertatur. Denique in omnibus, quæ Dei gloriam spectant, languida evadit, sicque mercede vel omninò privatur, vel parùm reportat, quia *qui parcè seminat, parcè & metet.* Dum itaque passionibus ancillatur *potentia executrix*, oblivione cælestium obruitur, & tanto sopore tantáque dementia oppressa jacet, ut satis deplorari non valeat miserrimus animæ status. Tanta mala perpendens S. P. N. *L. 22. de Civ. D. C. 22.* Ita in rem nostram differit! *Hinc apparet, in quid velut pondere suo proclivis & prona sit vitiosa natura, & quanta ope, ut hinc liberetur, indigeat? Desidia, segnities, pigritia, negligentia vitia sunt utique, quibus labor fugitur, cum labor ipse etiam, qui est utilis, pœna sit*, ideò sive labore desidiam vincit, sive desidiâ laborem fugit, semper misera est potentia effectrix.

14 Sensus denique externos inordinatæ passiones portas efficiunt, per quas & anima egreditur, rerúmque corporearum delectatione inescatur, & hostis antiquus, per species, ceu nuncios rerum externarum, in eam, vel apertâ vi irrumpit, vel clanculùm irrepit: sicque *sensus*, quod Propheta *Baruch* 4. dicit, *à Deo errant*, malísque omnibus prostituuntur. *Oculi*, quibus nequius vix aliquid creatum est, ex rebus, per quas foris vagantur. *Oculi stultorum in finibus terræ.* Ezech. 31. Venenum hauriunt, quo ad ipsius mentis perniciem abutuntur; *deprædantur* enim *animam*, uti deplorat Jeremias. *Thren.* 3. Nam per oculos cupiditas inter prima pugnæ præludia existit; *dum lasciviunt oculi, calescunt appetitiones, & oculi proximos impudentius respicere assuefacti, quòd concessum otium habeant, intendunt cupiditates*, teste Clemente Alexand. in illud *Jeremiæ Thren.* 3.

Aures, quæ spinis erant obstruendæ, patulæ pravos hauriunt sermones, nugamenta, fabulas, Helenæ raptus, errores Æneæ, Didonis querelas, Deorum adulteria, bella ficta, somniatas fortitudines; & quæ sunt de genere eodem.

Gustatus voluptuariis afficitur, & in ventrem veneris amicum abjicitur.

Nares odoramentis & unguentis effœminantur, sicque tetro nonnunquam vitiorum fœtore inficiuntur.

Tactus denique toto Corpore fusus corporearum voluptatum, libidinis inprimis seminarium efficitur. De eo sic Basilius: tactus omnium sensuum deterrimus est: emittit enim legatos ad sensus, ut eorum operâ suas voluptates persequatur: placidè abblanditur, ut magnam in hominem exerceat tyrannidem, expostulat vestes pretiosas, & molles, quæ tactu suo carnem deliniant, ad capiendum somnum mollibus lectis delectatur, lenibus & delicatis rebus tractari vult. De omnibus sensibus

ex-

externis mediolanensis Doctor *L. 2. in Jovin.* argutè animadvertit, ita concludens sensuum malitiam: *Perspexit oculus, & sensum evertit. Audivit auris, & intentionem inflexit. Inhalavit odor, & cogitationem impedivit. Os libavit, & crimen reddidit. Tactus contigit, & ignem adolevit.* Atque hæc sunt mala, & ingentia damna, quæ passiones tam in sensus Corporis, quàm in potentias animæ, totúmque adeò hominem inferunt, quibus fraudulentus hostis utitur ad capiendas animas, ut proin passiones, & immoderatæ affectiones *Cacodæmonis instrumenta*, & validissima *arma* à SS. PP. meritò appellentur, à nostro verò Legislatore nuncupentur *Satellites ac ministri quotidianas seditiones in homine agitantes. In Psal. 9.* Atque dum satellites pessimi ante *portas animi*, scilicet sensus, excubantes omnia intromittunt hostilia machinamenta, quibus oculi ad curiositatem, aures ad lasciviam, nares ad illecebras, manus ad rapinam, carnísque contrectationes, os ad stultiloquium, omniáque membra dolosis diaboli suggestionibus pervia teneantur, quivis sensus sano judicio nobis erit.

JANUA VITÆ, ET MORTIS.

ECclesiæ lumen splendidissimum, Africæ Sydus, atque Canonici Ordinis augustus Sol S. Augustinus acutissimis rationis profundæ radiis ima naturæ penetrans, abstrusos sensus humanos, & inscrutabiles animi sinus variis Symbolis expressit, eruitque. *L. 1. de libero arbit.* Comparavit animam aurigæ, sensus verò indomitis equis animæ currum trahentibus. *Serm. 3. ex auctario* animam navigio, passionum & sensuum commotiones fluctibus & ventis assimilavit; quales passionum æstus, & fluctuum sensualium jactationes sola recordatio Christi in corde nostro quasi expergefacti sedare potest. *Unusquisque*, inquit, *in corde suo navigat, nec facit naufragium, si bona cogitet. Audisti convicium? ventus est. Iratus es? fluctus est, periclitatur navis. Desideras ulcisci? dormit in te Christus, id est, oblitus es Christi, nempe excidit tibi, quod fixus in cruce dixit: Pater ignosce illis. Recordare Christi, evigilet in te, dices: compescam me ab iracundia mea, redibo ad quietem cordis mei. Scilicet imperavit Christus mari, & facta est tranquillitas magna &c. Luc. 3. de Genes. 6. 4. & 5.* Pulcherrimâ paritate humanos sensus hujus mundi elementis consimiles explicuit, acutissimè, ac simul, non suam sententiam proferendo, sed aliorum placita referendo, humillimè differens: „ Sunt, qui subtilissima consideratione istos

„ quinque manifestissimos corporis „ sensus secundùm quatuor usitata „ elementa ita distinguunt, ut *ocu-* „ *los* ad *ignem*, *aures* ad *aërem* dicant „ pertinere. Olfaciendi autem, „ gustandíque sensum naturæ hu- „ midæ, attribuunt: & *olfactum* „ quidem istis exhalationibus hu- „ midis, quibus crassatur hujus aë- „ ris spatium, in quo aves volitant; „ *gustum* verò istis fluxibilibus, & „ corpulentis humoribus. Nam „ quæcunque in ore sapiunt, ipsius „ oris humori commiscentur, ut „ sapiant, etiámsi arida, cùm ac- „ ciperentur, fuisse videantur &c. „ *Tactus* autem, qui est quintus in „ sensibus, terreno elemento ma- „ gis congruit, proindéque per to- „ tum corpus animantis, quod „ ma[illegible]nè ex terra, quæcunque „ tacta sentiuntur &c. *& cap. 5.* Ani- „ ma tamen, cui sentiendi vis inest, „ cùm corporea non sit, per sub- „ tilius corpus agitat vigorem sen- „ tiendi. Inchoat itaque motum „ in omnibus sensibus à subtilitate „ ignis, sed non in omnibus ad „ idem pervenit. In *visu* enim per- „ venit represso calore usque ad „ ejus lucem. In *auditu* usque ad „ liquidiorem aërem calore ignis „ penetrat. In *olfactu* autem tran- „ sit aërem purum, & pervenit u- „ sque ad humidam exhalationem, „ unde crassior hæc aura subsistit. „ In *gustu autem* transit, & pervenit „ usque ad humorem corpulentio- „ rem, quo etiam penetrato atque „ trajecto, cùm ad terrenam gra- „ vitatem pervenit, *tangendi* ulti- „ mum sensum agit.

Jungimus hisce Symbolis & comparationibus aliam paritatem; qua S. P. N. pereleganter quinque sensus veluti tot portis ac januis animæ comparat, per quas vel virtus vel vitium, aut vita aut mors solent intrare. *Porta mortis* sunt, dũ passiones inordinatæ intromittuntur, quæ inhabitantem animam inquietant, variè exagitant, & tandem miserè consentientem carni enecant. *Pravæ cupiditates sunt portæ mortis, per quas itur ad mortem. Portæ vitæ sunt optima studia, per quæ pervenitur ad vitam.* Sententia est nostri S. Patris *in Psal. 9.* Egregiè vocat sensus portas mortis, præsertim oculos; justus autem cùm has res visibiles non attendit, sed ad invisibilium contemplationem altiùs attollitur, superior fit, & transcendit has *portas mortis*, quibus rectè opponit *vitæ portas*, hoc est Sacramenta, quibus fit aditus ad æternitatis adyta. Prout R. P. Joan. Bapt. Masculus in eruditis suis lectionibus sive ponderationibus f. 441. super illud, *qui exaltas me de portis mortis &c.* Ex S. Augustino præclarè animadvertit, & exponit. Alibi verò *Libro* nimirum 50. *Homiliar. hom. 35.* Idem S. Doctor malas concupiscentias *draconis blandimenta*, passiones tumultuantes *rabiem ac sævitiam leonis*, quinque sensus verò quasi *quinque virgines*, & denique velut

velut quinque *januas vitæ aut mortis* indigitat. En subtilem doctrinam ex subtilissimi ingenii fonte haustam! „Quando malæ concupis„centiæ ad avaritiam vel luxuriam „callida seductione sollicitant, *dra„conis blandimenta* cognosce. Si er„go fidem rectam cupis fideliter „custodire, in adversis fortis esto „contra *leonis sævitiam.* Si verò vir„ginitatem animæ integram serva„re desideras, quantum potes, ob„serva blandimenta draconis, ne „fortè, si incautus fueris, quinque „sensus, qui in te sunt quasi *quinque „virgines*, permittas à serpente „corrumpi. Quidquid enim pul„chrescit visu, quidquid dul„cescit gustu, quidquid blanditur „auditu, quidquid lenocinatur o„doratu, quidquid mollescit tactu: „in iis omnibus, si incauti fueri„mus, surrepentibus concupiscen„tiis malis, animæ virginitatem „corrumpi permittimus, & imple„tur in nobis illud, quod per Pro„phet Jerem. c.9. dictum est: *In„travit mors per fenestras vestras.* Per „hos enim quinq; sensus quasi per „quasdam *januas*, aut mors, aut vita „ad animam nostram ingreditur.

Quàm sedulò portas mortis occluserit S. Vigor Episcopus Bajocensis, virtutes ejus planè insignes demonstrant. Etenim in atrebatensi territorio sanguine & fide claris ortus parentibus, in cœnobio clericali S. Vedasti velut Sydus emicuit, ubi litteris & moribus cæteros antecelluit coætaneos. Ne natum orbi felicis adeò Syderis phœnomenon objectis mundi fœcibus obfuscarent genitores, à regulari ordine abstrahere cupientes, horrizontem inter amicos inimicum deseruit, Bajocensi posthàc irradiaturum Regioni. Hic admirabilis doctrinæ vigore cœcos ac brutos homines illustravit, docuitque exemplô magìs quàm verbô. Sensibus suis arctissimum injiciebat frœnum; non oculos quaquà versum torquere in objectum unquam vidit regularis cætus. Os divinum instrumentum ad laudes cœlestes apertum, aures à vanis, mundanisque abstractæ, nares ab illecebroso odore cohibitæ januæ erant vitæ, & copiosæ cœlô illabentis gratiæ. Concupiscentias adeò tenebat edomitas, ne unquã venenũ animæ porrigere valerent, quia procul à sensibus ceu portis erant relegatæ. Quid mirũ, quòd tantus suarũ victor passionum, Vigor stabulantè in illa regione, venenóque suo undequaque populos enecantè draconem solis precibus prostraverit, ne ampliùs noceret! Episcopalem dein Sedem à Clero, populóque, montem verò Phœnum à Childeberto Rege unà obtinuit, & radiis Orthodoxæ fidei spectabiliorem reddidit. Terris se se subduxit nobilis stella, cùm anima lucere cœpit sicut Sol in conspectu Dei. Quin etiamnum splendida effulget sub Corporis beati umbrâ, in

illo monte crebris corruscans miraculis ab Anno 660. Igitur sanctitatis vigorem capesse à S. Vigore, portas sensuum claude, &, ne intret mors, vigilantiam tene, magis enim *debes vigilare pro te, si propter te vigilant etiam, qui invident tibi, inimici tam domestici, quam extranei.* Ut observat S. P. N. *Serm. 77. de diversis.*

Cùm saluberrimum Scientiarum studium contra pestiferas passiones antidotum sit probatissimum, Joannes Marius Colutius Firmanus illud sibi remedium animæ constituit. Vix annos pueritiæ egressus ob ingenium ad omnia promptissimum & admirabile, Philosophiam ac Theologiam sub doctissimis Professoribus ita fuit assecutus, ut arguendo & respondendo Magistros etiam in publicis disputationibus adhuc discipulus fatigaverit. Dum mundi vanitates procul animo eliminârat, adeò memoriam nobilioribus implevit speciebus, tantæque fœcundiæ reddidit, ut cursim lecta ad verbum etiam retineret. Hinc in concertationibus litterariis Angelici Doctoris, aliorúmque Scholasticorum Sententias, velut ex libro legeret, producendo cujusvis argumentis faciebat satis. Theologiæ Doctor creatus maximo cum applausu Ravenæ in Portuensi collegio cathedram tenuit. Tanta porrò dicendi facundia in Mario erat, ut Cæsenæ festis Pentecostes diebus nonnullis concionibus Eminentissimi Michaëlis Angeli Tonti Cardinalis Nazarethani Civitatis Episcopi ità sibi conciliaverit animum, ut is palam fateretur, licèt in aula Romana versatissimus, & virtutum æstimator esset æquissimus, ingenium simile haud quaquàm se unquam cognovisse. Postquàm Mediolani in ædibus D. Virginis de passione pomeridianis horis infrà annum concionatorem summè deprædicatum egerat, & inde ad quadragesimales labores apud Regulos de Collalto in oppido S. Salvatoris ponendos proficiscebatur, extra Vicentiam aquis profocatus est, delapso equo in exiguo quodam aquario sulco ex nimia pluviarum colluvione intumescente Anno 1612. Cùm nondum vigesimum quintum ætatis suæ annum explevisset. *Ex lyceo Lateran. Rosin. L. 9.*

Non minùs per religiosas virtutes portas sensuum clausit, & ab immoderatis passionibus tutas custodivit Venerabilis Berchtoldus Bojus Præpositus Diessensis, Vir, ut sua ferebant tempora (vivebat autem initio sæculi XIV.) disciplinis sacris ac profanis egregiè imbutus, eloquens, prudens, facie (ut loquitur historia coæva) amænus, ast terribilis vitiorum vindex, suique in retundendis passionibus victor semper gloriosus. Ob tantas naturæ dotes, virtutumqua decora à Serenissima Mechtilde Bavariæ

variæ Ducissa fœmina lectissima in principem suum Sacellanum, sigilli Secretarium, ac supremum curiæ præfectum assumptus omnia egit foris, ut in Collegio suo intus quoad disciplinam regularem nihil relinqueret. Zelo divinæ gloriæ, quoad vixit, inflammatus, ab incepto rigore nec se nec suos abduci passus est, atque hinc uberem mercedem tanquam servus fidelis, & in vinea Dei Villicus utilis acquisivit Anno 1316. Ipso SSS. Trinitatis sacrato festo, cùm in matutinis laudibus hymnus SS. Ambrosij & Augustini summæ Trinitati cantaretur. *Ex metrop. Salisburg. Tom. 2.* Ob præclaras virtutes V. Conradus Metropolitanæ Ecclesiæ Coloniensis Præpositus Martyrii laureolam acquisivit. Postquam enim ab æmulis suis, & regularis disciplinæ osoribus trina vice è sublimi præcipitatus monte, divina ope illæsus permansit, gladiis tandem Martyr occubuit An. 1066. à morte variis coruscavit miraculis.. *Ex Constant. Glinio ad 1. diem Junii.*

ARTICULUS III.

An exstirpari valeant Passiones?

SUMMARIUM.

15. Error illorum, qui Apathiam docuerunt, & in ea perfectionem hominis constituerunt.

16. Passiones non possunt exstirpari, sed

17. Debent refrænari, & coerceri.

18. Et quidem tempestivè, antequam robur acquirant.

19. An in Adamo in statu innocentiæ fuerint passiones?

20. An in Christo, B. V. Maria, & in Angelis fuerint? resolvitur ex S. Aug. & S. Thoma. Quid domesticus Jebusæus.

15 ANtiquiores quidam Scriptores tam Philosophi, quàm Ecclesiastici nimio perfectionis in hoc vitæ statu adducti studio præcipites lapsi sunt in illum errorem, ut dicere non sint veriti, proficientem in subjugatione passionum, suique victoria eò usque pervenire posse, ac debere, ut quodamodo impassibilis nullas ampliùs sentiat naturæ lapsæ commotiones. Atque hunc impatibilitatis statum *apathiam* græcè dictam, tunc acquiri dixerunt, quando vitiis omnibus

bus superatis animus expers est cujuscunque perturbationis & affectionis humanæ ita quidem, ut sensus corporis suis blandimentis ad delicias & ratio ad inordinata desideria nullatenùs commoveantur, sed tota hominis vita imposterùm in solo virtutis usu & fructu tranquillitatis jucundissima consistat. Est autem *Apathia* impatibilitas imperturbabilitas, & insensibilitas quædam per quam adeò sopiuntur omnes motus carnales, & omnes passiones animæ ita eliminantur, ut nihil earum ampliùs sentiatur, nulla ampliùs tristitia, nulla lætitia, amor nullus, odium nullum inquietet animum. Atque hanc Evagrium Ponticum Hyperboritam libro desuper edito docuisse, scribit S. Hieronymus in Epist. cujus opinioni & stoici quidam accessêre, quos ea propter S. P. N. recensuit & confutavit. Verba sunt S. Hieronymi. *Evagrium Ponticum Hyperboritam Libro edito Apathiam docuisse ferunt quam nos impassibilitatem, vel imperturbationem possumus dicere, quando nunquam animus ullo perturbationis vitio commovetur, & ut simpliciter dicam, vel Saxum vel Deus est.* Ast contra hunc errorem Sancti Patres magno numero militant, ut mox videbimus. Itaque his præmissis dicendum, Passiones esse in humana natura, & exstirpari non posse. Probatur auctoritate SS. PP., Cyrilli, Hieronymi, Leonis, & Augustini, qui omnes clarè asserunt, quòd sit impossibile motibus passionum quarundam non concuti. *Primus*, ait, *fieri non posse, ut insitam carnis concupiscentiam eradicemus. Alter* impossibilem judicat in homine *impatibilitatem vel imperturbationem, quando numquam animus ullo perturbationis vitio commovetur. Tertius* asseverat Serm. 3. Quadrag. *nullis illecebris commoveri, nullis cupiditatibus titillari non est istius vitæ. Quartus* L. 9. *de Civ. Dei. c.* 4. *& c.* 5. Ac pluribus in locis clarissimè id docet, & patet ex Art. 1. ubi *Virus paternum* passiones appellat. Ita etiam l. c. cap. 5. evidenter in piis & sanctis Viris passiones esse ostendit: *in disciplina nostra non quæritur, utrùm pius animus irascatur, sed quare irascatur: nec utrùm sit tristis sed unde sit tristis; nec utrùm timeat, sed quid timeat. Irasci enim peccanti, ut corrigatur; contristari pro afflicto, ut liberetur; timere periclitanti, ne pereat, nescio, utrùm quisquam sana consideratione reprehendat?* Sic Apostolus ad *Rom.* 7. Hanc magnam fatetur miseriam regnantium in se passionũ, dum conqueritur: *non quod volo, bonum, hoc ago, sed quod odi malum, illud facio. Si autem quod nolo, illud facio, jam non ego operor illud, sed, quod habitat in me, peccatum.* Et paulò infra. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ.* Quibus verbis demonstrat quosdam passionum motus, & innatam concupiscentiam seu fomitem peccati in se regnare, qui tamen raptus fuit in tertium

tertium cœlum. Ratio est, quia per peccatum Adami facti sumus omnes rei, & inde vulnus toti generi humano inflictum fuit, ut per redemptionem abundantem Salvatoris nostri tantum non fuerit Sanatum, ne relinqueretur cicatrix primitivæ deperditæ innocentiæ. Ex quo tempore semper cœpit caro concupiscere adversùs spiritũ. Nã licèt post reparationem salutis nostræ spiritus quidem promptus sit, semper tamen caro est infirma. Ast fomitem hunc in nobis relictum esse ad magnum lucrum cœlestium meritorum S. Catharinæ Senensi à Deo fuit revelatũ. Dial. C. 98. Sunt enim continua contra passiones nostras bella quotidianæ causa victoriæ, atque seminarium cœlestis laureolæ, quam olim vincentibus reddet Deus justus Judex in æterna beatitudine.

17 Dicendum 2. refrænandas, & coërcendas esse passiones, non eradicandas. Sequitur hæc conclusio ex prima. Nam si ex relicto formite necessariæ sint in homine quidam passionum motus, illis resistere in dies opportet, uti L. c. S. P. N. admonuit. *Passiones mentis ita sunt moderandæ, atque frænandæ, ut in usum justitiæ convertantur.* Et *Serm. 6. de verbis Apost.* *Pugna,* inquit, *contra tuas concupiscentias, resiste, noli consentire.* Et *L. 2. contrà Julian.* *Nostra sunt, passiones sunt, vitia sunt, frænanda sunt, sed dum curantur, infecta sunt, etsi nobis ad meliora proficientibus magis magísque minuuntur, tamen, dum hic vivitur, esse non desinunt. Discedente hinc animâ piâ peribunt, resurgente corpore non redibunt.*

Ut autem tempestivè coërceantur, opus est nascentes & velut caput erigentes statim supprimere. Cum enim invaluerint, & robur adeptæ fuerint maxima cum difficultate edomari valent. 18

Dum parvus est hostis, interfice: nequitia elidatur in semine, ne succrescat, adolescat, & roboretur, monente S. Hieronymo, *in C. 4. Eph. v. 77.* S. quoque Augustinus super illa verba: *qui tenebit & allidet parvulos tuos ad petram &c.* Salubriter quærit: *qui sunt parvuli Babyloniæ?* & sibi respondet: *nascentes mala cupiditates sunt illi parvuli*, quas ad petram mortificationis allidere opportet. *Sunt enim, qui cum veteri cupiditate ricantur*, sed planè infelices, cùm roboratæ nimis exsistant passiones, atque adeò difficulter ijs resistatur. *Quando nascitur cupiditas, antequàm robur faciat adversum te mala consuetudo,* cùm adhuc parvula est, elide eam, & victor eris. Unde acutè canit Poeta: *Opprime, dum nova sunt, subiti mala semina morbi, Nam mora dat vires* &c.

Huc etiam illud Ovidij spectat.

Principijs obsta, serò medicina paratur,
Cùm mala per longas invaluere moras.

19 Quæres, fuerintne in Adamo ante lapsum passiones? item in Christo, beata Virgine, & Angelis?

R. ad. 1. In Adamo in statu innocentiæ etiam fuisse passiones, sed ordinatas, nec eo modo, quo defactò in nobis sunt. Duplicis enim generis recensentur passiones, quarum quædam in prosecutione boni, quædam in fuga mali consistunt, ut dictum est n. 4. Et quia iu primo statu nullum malum aderat, nec imminebat, nec aliquod bonum aberat, quod cuperet bona voluntas pro tempore illo habendum, omnes illæ passiones, quæ respiciunt malum, in Adam non erant, ut *timor*, *dolor*, quæ verò respiciunt bonum non habitum, & nunc habendum, ut cupiditas exæstuans, illæ quoque non erant in illo statu. Amor tamen & gaudium boni præsentis, desiderium & spes non affligens boni futuri etiam in illo statu fuerunt, sed perfectissimè subijciebantur rationi, nec hominem ad peccatum trahere poterant veniale, ut docet S. Thomas. 1. 2. Q. 89. a. 3. Passiones etenim in nobis præveniunt judicium rationis & impediunt; quandoque verò ex judicio rationis consequuntur, prout sensualis appetitus aliqualiter rationi obedit. Cùm ergò in statu innocentiæ inferior appetitus esset rationi totaliter subjectus, passiones in eo judicium rationis prævenientes, & impedientes esse non poterant, sed solùm ex rationis judicio consequentes. Nam quamdio ratio manebat Deo subjecta, inferiora ei subdebantur, uti cum suo Magistro Augusto ex L. 10. de civit. D. C. 10. docet Angelcus. 1. P. Q. 95. A. 2.

20 R. ad. 2. In Christo, qui passibilem assumpserat naturam, etiam fuisse passiones ordinatas, sicut probat uterque citatus Doctor. 3. P. Q. 15. A. 4. Patet enim ex varijs S. Scripturæ locis Joan. 11. *Infremuisse Spiritu, & turbâsse se ipsum, quando Lazarum resuscitavit Christus.* Marci. 3. *Circumspiciens ex* (Judæos & Pharisæos) *cum ira, contristatus est super cæcitate cordis eorum.* Et Lucæ 22. etiam *desiderio desideravit pascha manducare cum discipulis* &c. Ante passionem verò *tristis fuit usque ad mortem*, ut copiosum etiam Sacratissimum sudaverit sanguinem in horto. Atqui fremitus & turbatio, ira, desiderium, & tristitia sunt passiones: ergò teste S. Scriptura in Christo fuerunt passiones. Doctrinam hanc conceptis verbis exhibet Doctor N. L. 14. de Civ. D. C. 9. Ubi non omnes passiones ostendit esse malas, quia etiam in Christo reperiebantur, sed plures bonas asserit affectiones, eas præsertim, quæ rationis ductum sequuntur, vel ex ejus imperio provocatæ veniunt, & recedere jussæ recedunt. „Ista ille; cùm rectam „rationem sequuntur istæ affectio-„nes,

„nes, quando, ubi oportet, adhi-„bentur, quis eas tunc morbos, seu „vitiosas passiones audeat dicere? „quamobrem etiam ipse Dominus „in forma servi agere vitam dig-„natus humanam, sed nullum om-„ninò habens peccatum, adhibuit „eas, ubi adhibendas esse judica-„vit: neque enim in quo verum „erat hominis Corpus & verus ho-„minis animus, falsus erat huma-„nus affectus. Cùm ergo ejus in „Evangelio ista referuntur, quod „super duritia cordis Judæorum „cum ira contristatus sit: quod di-„xerit, gaudeo propter vos, ut cre-„datis, quod Lazarum suscitaturus „etiam lacrymas fuderit: quod „concupierit cum discipulis suis „manducare Pascha, quod propin-„quante passione tristis fuerit ani-„ma ejus usque ad mortem, non „falso utique referuntur: verùm „ille hos motus certæ dispensatio-„nis gratiæ ita cùm voluit, susce-„pit animo humano, ut, cùm vo-„luit, factus est homo.„ At passiones in Christo non ex fomite peccati, neque cum obfuscatione rationis esse poterant, quia humanitas divinæ naturæ hypostaticè fuerat unita, ut clarum est dogma Catholicum, & Sanctorum Patrum. Id ipsum etiam de B. V. Maria utpote sine labe originalis peccati concepta, adéoque fomitis Adamitici experte, & divinæ dono gratiæ præventa omnino sentiendum est, ut cum S. Augustino S. Thomas, Bernardus, Bonaventura, Scotus, Suarez, & defacto omnes docent Catholicæ Scholæ. De Angelis utpote puris Spiritibus, adeóque corpore carentibus certum est, locum in ijs esse non posse alicujus passionis, cùm hæc sit motus appetitus sensitivi &c. Quando igitur in sacris paginis vindicta Angelorum, dolor & tristitia, amor & gaudium, v g. super homine peccatore converso exprimuntur, methaphorica tantùm ea censeatur locutio, secundùm nostrum concipiendi, ac loquendi modum: eadem ratio sit de ijs textibus, in quibus ira, dolor, gaudium, vel aliæ affectiones de Deo in sacris litteris memorantur.

JEBUSÆUS DOMESTICUS.

COnstat ex S. Paginis Israelitas gravia, & perpetua gessisse bella contra Philistæos, Jebusæos, aliásque gentes Judaici nominis hostes, atque post subjugatas varias provincias, & delectas nationes nunquam potuisse subjugare Jebusæos. Hinc pace invicem composita Jerusalem Judæi tenuerunt, Jebusæi verò arcem Sion, &

ex ea descendentes, urbem quoque unà cum Benjaminitis, illis permittentibûs, sopitô jam bellô incolere cœperunt. Ex qua historia mystica doctrina à SS. PP. desumpta fuit, dum à sensu litterali ad Tropologicum transgressi, Jebusæos *passiones animi* indigitarunt. Sicut enim Jebusæum habitatorem Jerusalem non deleverunt filij Benjamin *Jud. 1. v. 21.* Sed continua inter prælia vivere sunt coacti: ita quamdiu sumus in hoc corpore, passiones nostras animum continuò lacessentes pati debemus, & quas ad internecionem delere natura originario vulnere debilitata non valet, per gratiam divinam saltem prædominari ijs ita potest, ut positis armis aut non noceant, aut insurgentes citò ad quietem reducantur. Ut ergò sinè aperto bello, bellô modô, ac paccato stratagemate intra suos Jebusæi nostri contineantur limites, Tropologici Claravallensis strategi castrensia audiantur consilia *serm. 58. in Cant.* ubi ita proloquitur: *quantumlibet in hoc corpore manens profeceris, erras, si vitia putas emortua, & non magìs suppressa. Velis, nolis, intra fines tuos habitat Jebusæus, subjugari potest, sed non exterminari.* Dein contraria suggerit remedia ad subjugandum indelebilem Jebusæum. *Unum*, ait, *in tanto discrimine consilium est, observare diligenter, & mox, ut renascentium capita apparebunt, promptâ severitate succidere. Non potest virtus cum vitijs pariter crescere: ergò ut illa vigeat, ista crescere non sinantur. Tolle superflua, & salubria surgunt: utilitati accedit, quidquid cupiditati demis. Demus operam putationi; putetur cupiditas, ut virtus roboretur. Nobis, fratres, putationis semper est tempus, sicut semper est opus.* Si velis igitur, Religiose miles, domesticos opprimere hostes, & reassurgentes subjugare *Jebusæos*, alta menta reposta maneant præsenti capite comprehensa dogmata. Commoda eò majora nunc habes, quò plura in passionum suppressione exempla prævides S. Virorum, qui viam straverunt, & velut faces tibi præluxerunt. Tu modò sequere vel illos, quos abbreviatus ad manum præbet calamus. Inter illos, qui in suam naturam & rebelles passiones generosè insurrexerunt, non ultimô reponendus est locô B. *Archangelus Canedolus* Italus, qui Bononiæ anno 1468. nobili ortus familiâ, spretis mundi delicijs, & assumpto congregationis S. Salvatoris canonico habitu anno 1484. illustrior evasit. Mira in Tyrone modestia gravitati morum associata, præferrens in spiritualibus exercitijs devotio, exhibita Superioribus obedientia, regularis disciplinæ observantia, & extrema rerum spiritualium appicatio Senioribus admirationi, coætaneis speculo fuit. Virginea castitas inter Religiosos Angelos *Archangelum* meritò præferebat; exin cæterarum

rarum comitatus virtutum subsequebatur. Suarum dominium passionum, (ut alias taceam virtutes) tunc comprobavit, quando ebullientem iræ pruriginem ardentiori amoris flamâ extinxit. Contigit fortè, cùm Venetijs in Canonica SS. Salvatoris hospitum ac peregrinorum curam ageret, ut ij ipsi, qui charos parentem, & fratres iniquissimo parricidio è mundo sustulêre, opiperâ exciperentur mensâ, quibus à se benè agnitis omnia charitatis obsequia præstitit, neutiquam se vinci passus ab ea tentatione, quæ ad vindictam proliciebat animum. Convivij loco egressus, & coram crucifixi effigie in genua provolutus pro inimicis oravit, singularésque à Deo efflagitavit gratias. Gloriosa hæc sui victoria illustrium cœli favorum initium fuit. Exin Eugubij propè Ecclesiam collegialé S. Ambrosi in cellula petræ insculpta cæpit supernis illustrationibus abundare, & cœlestium contemplationi dies noctésque sacrare. Hic panis & aqua pro victu, lignum pro lecto ad brevissimum capiendum somnum inserviebant. Nihilominùs varijs orci tentationibus exagitatus quotidianum certamen subijt in crucis signo semper victor. Elapso septennio è S. eremo revocatus vicariatûs officium Superiorum mandato suscepit, non immutato vivendi rigore, quantùm per negotia licuit. Post triennium cùm ad optatam rediisset solitudinem, eò illustrior evasit è latebris erumpens virtutum fama, quò hiteretur magis illas in obscuro petræ angulo sepelire. Unde ad *Archangelum* miseri, afflictique quique velut ad commune asylum properabant, potens Evergetæ compatientis auxilium experti. Inter hos Principes etiam oraculum venerabantur *Archangelum*, dum victoriæ ab hostibus suis reportandæ Duci Urbinatensi vates fuit. Juliano Mediceo patriâ extorri brevi revocationem ab exilio, & Familiæ ad ampliores honores sublimationem prædixit. Veritatem hujus vaticinij exitus comprobavit, cùm eodem adhuc anno Joannes Mediceus S. R. E. Cardinalis Germanus Juliani frater bello captus ex iniquo carcere auffugiens, Romæ tunc sede vacante, summus Pontifex renuntiatus, ac Leo X. appellatus est. At quò copiosiores Numinis gratiæ erant, eò profundiùs animum penetravit humilitas, magisque infra se suum in nihilum descendit *Archangelus*, ut Florentiam evocatus oblatam à Juliano Archiepiscopalem Insulam constanter recusaverit.

In reditu apud nobiles de Aquistis divertens febri correptus & mortis suæ etiam vates SS. Sacramentis muniri petijt, atque inter preces ab Ecclesia pro agonizantibus præscriptas ad singula dissertè

respondit, quibus finitis oculos in effigiem pendentis è cruce Redemptoris defigens, séque S. Cruce signans inter illa verba: *In manus tuas Domine commendo spiritum meum* animam beatam cœlis trasmisit die 16. Aprilis a. 1513. ætatis 44. Religionis 29. Corpus è Castello Leonum Eugubium accurrente civitate ad templum S. Ambrosij delatum, & sub altari B. V. M. reconditum adhæc usque tempora incorruptum perseverat, atque à confluente populo velut cœleste pignus publicis honoribus visitatur. Neque desinit Thavmaturgus esse Archangelus, sicut testantur plurima ad eius tumbam suspensa anathemata, depictæque tabulæ. *Ex M. S. Hist. Congreg. S. Salvat. Ecclesia Eugub. apud constant. Ghibium die 16. Aprilis.* In honorem B. Archangeli religiosus calamus sequens epitaphium ad ejus tumbam subscripsit.

Quæris,
Viator curiose,
Corpus Angeli?
Eugubium proficiscere.
Cæcus sis: ibi videbis.
Movere artus nequeas, palpabis.
Mirum!
Angelus caret corpore,
quia Spiritus.
Archangelus degit in corpore,
sed caret sensibus,
quia solus prædominatur Spiritus
rebellibus carnis membris.
Archangelos,
regium aulæ cælestis ministerium
inter majores gentium cælites
evehit.
Gabriel *fortitudo Dei*,
Quia infinito madidum cruore,
cujus vel sola gutta
stirpem Adamiticam fæcundare,
& revirentem efficere abundè poterat,
Incarnatum Numen
in horto sterili
confortavit,
& pavidum suo firmavit alloquio.
Raphael *medicina Dei*
quia amaritiem paternæ cæcitatis
in Tobia seniore
capti à jumore
felle sustulit piscis.
Michael *quis ut DEus*?
Machæram eximit,
ad debellandos rebelles spiritus,
qui meritò præcipitantur in inferno
dum noluerunt esse inferiores in cælo.
Inquiris modò
Qualis extrino Archangelorum ordine
Eugubinus sit Archangelus?
Gabrielem
haud immeritò vocabis,
quia tot membrorũ usu destitutos
ad pristinos labores solidavit, confortavit.
Franciscus Cortonensis
Angelicæ fert testimonium fortitudinis,
dum ad solas preces
nulla arte movibilibus artubus
solitos eorum motus obtinet
ab

ab
Archangelo.
testis quoque est Sylvester
ex tertio Seraphinorum ordine
S. Francisci Filius,
qui à solo SS. pignorum comitatu
Archangeli ope
gravi infirmitate liberatũ se sensit.
Raphaëlem
jure appellabis,
quia verus salutis medicus
desperatos morbos
in ictu oculi
mirabiliter vertit in sanitatẽ integrã
contra Galeni & Hermetis regulã.
Epileptici venite
Ad tumbam B. Archangeli!
efficacissimã reperietis medicinã.
Probatum est.
Urbinatem intrerrogate.
Michaël est
non natura, sed virtute.
Ille rebelles è cælo
Iste damnatos spiritus è corporibus
iniqua possessione deturbat,
& in habitaculo S. Spiritûs
Orcina maleficia exterminat.
Habes jam, Viator,
in uno Archangelo
tres Archangelorum potentias,!
cur potentem neges
apud Deũ advocatũ & Patronũ?
omne trinum perfectum.
Archangelus
trino beatus.
vade,
& noli esse incredulus.

V. Conradus Kygilin Suevus insignis Ecclesiæ & collegii S. Petri Waldensis dignissimus ac Religiosissimus Antistes nunquam non studuit frænum injicere suis passionibus. Ut id commodius ac suavius efficeret, contemplationi & meditationi Dominicæ Passionis jugiter vacavit, atque ut divina mysteria patientis Christi aliorum quoque animis altiùs inprimeret, plures Christi fideles, sorores, maximè Religiosas sub tertia regula S. Francisci degentes, quibus cœnobiolum (clusam vocant) in Pago Reuthen dimidio milliari ab oppido Waldseensi distante construi fecit, frequentium exhortationum stimulis incitavit. Qua in schola patientis Salvatoris, quantum Famula Dei *Elisabetha Reuthensis* vulgò die gute Beth von Reuthen una ex primis inibi institutis sororibus profecerit, argumenta sunt quinque gloriosa Christi vulnera seu stigmata, quibus exemplo Seraphici sui Patris Francisci fuit mirabiliter consignata. Contigit etiam, ut Elisabetha multos annos solo pane Eucharistico non alio sumpto cibo vitam protraxerit contra naturæ ordinem. Virginis hujus Conradus viginti annorum spatio conscientiæ Arbiter, atque Magister Spiritualis extitit, quo instructore ad eum sanctitatis apicem pervenit, ut hodie Sueviæ Thaumaturga audiat. In vicem verò & ipse multa de cælestibus & quæ mirabilia in altera vita contingunt, à Virgine edoctus ad tanta merita

accessit, ut etiam piæ expurgantibus flammis manes ei pro ope ferenda supplicabundæ apparuerint, quarie non mediocrem numerum unà cum discipula sua ab expiatorio igne liberatum cælo transmisit. Quorsum etiam virtutes & animarum lucrum præmiaturum numen Conradum 1. Junii a. 1428. evocavit. *Ex Theatro Virt. Canon. Reverendissimi Gruober ad hunc diem.*

Cùm Passiones benè ordinatæ Divinum quasi & cælestem faciant hominẽ, hami adinstar alios attrahunt in amorem & affectũ prolicìunt. Venerandiss. Rudolphus Germanus celeberrimæ, & Archidiaconalis Ecclesiæ Rottenbuechensis Præpositus. II. Miro famæ bonæ odore, atque verarum virtutum fragrantia plurimos nobilium ad amorem sui, & affectum illustris juventutis ad amplexum canonici habitus in suo collegio attraxit ità, ut multi eorum sua prædia aliaque bona temporalia eidem contulerint. Rebus Canoniæ egregiè compositis, reditibus adauctis & disciplinâ canonicâ ad florentem statum redacta piissimé decessit 2. Aprilis anno 1144. *Ex Metrop. Salisburg. To. 3. & cit. auct.*

ARTICULUS IV.
De Dominio Passionum.

SUMMARIUM.

21. *Apathia, & Dominium passionum non debent confundi.*

22. *Nomine passionum hic non intelliguntur leves motus, sed sensibiles, & alterantes. Status quæstionis aperitur, in quonam consistat formaliter dominium passionum?*

23. *Conclus. 1. non consistit in mortificatione sola.*

24. *Concl. 2. Nec est præcisè abnegatio sui.*

25. *Concl. 3. Neque oblatio, vel ligatio fomitis.*

26. *Concl. 4. Neque est specialis aliqua virtus diversa, sed perfectio, sive proprietas ex aggregatione virtutum dimanans.*

27. *Et quidem variis conditionibus circumscripta, quibus cognosci queat.*

28. *Quæ virtutes magis conducant ad illud acquirendum?*

29. *An certum temporis spatium pro acquirendo possit assignari? Duplici argumento respondetur.*

30. *An inadæquatum passionum Do-*

Dominium possibile? Ratio auriga, affectiones currus, equi trahentes passiones, spectatores angeli & homines, Agonotheta Deus.

21 DUos scopulos in præsenti articulo evitandos esse animadvertunt spiritualis navigationis Ascetici Navarchi. Inprimis curandum, ne ad Charibdin *Evagricæ Apathiæ* dominii passionum naufragium incurramus. Negando enim possibilem esse statum impatibilitatis & imperturbabilitatis, ultrò videtur enasci, possibilem quoque non esse statum, in quo perfectum sit passionum naturalium dominium, perfecta mentis imperturbatæ tranquilitas, & confligentium inclinationum malacia. Admittere verò naturæ viribus perfectnm passionum dominium negatâ Apathiâ Evagricâ est incidere in Scyllam. Sic quidam ex impossibilitate *Apathiæ*, negarunt etiam ex consequentia (ut illis videbatur) dominium perfectum passionum.

Ast ex errore primo alter non consequitur, si benè distinguatur passionum dominium ab errore Evagrii, qui tantam in homine imperturbationem asseruit, ut nullus motus contrarius unquam sentiretur, atque adeò nulla unquam in adversis tristitia, nulla in prosperis lætitia, nullus etiam corporis & animæ perdendæ timor, nulla conservandæ salutis spes in quibusvis occasionibus emergerunt, sed quæ hominem naturalibus eliminatis inclinationibus sive ad bonum sive ad malum sensibile trahentibus vel *Deum*, vel *Saxum* immò Saxô duriorem, magísque insensibilem redderet, uti D. Hieronymus supra N. 15. retulit.

Dominium è contra *passionum* imperturbationem mentis, & passionum quietem quidem importat, non tamen insensibilitatem; facit enim hominem sentire passiones: sed eas ultrà surgere non permittit, quàm ratio dictat, ad cujus imperium illæ velut fideles ancillæ dum evocantur, veniunt, dum jubentur, abscedunt. Sic in Christo, V. illius Matre, aliisque eximiis sanctis affectus humanarum passionum gaudii, tristitiæ, timoris, lætitiæ, iræ &c. Fuisse ex S. Litteris, & Historiis fide dignissimis probatur: non tamen ostendi potest ullum exemplum *Evagricæ Apathiæ* in quodam Sancto, vel etiam in sanctissima JEsu Christi humanitate.

Animadvertunt porro Ascetæ 22 de dominio & subjugatione passionum agentes, sub nomine passionis, hic non accipi leves motus, & rationem prævenientes adeò exiguos, ut vel vix aut ne vix quidem sentiantur, sed vehemen-

mentiores intelligi passionum motus, qui sensibiliter corpus alterant, sicut passiones nondum edomitæ alterare solent. Unde S.Th. 1. 2. q. 22. a. 3. Ex S. Damasceno passionem definit *motum appetitivæ virtutis sensibilis in imaginatione boni vel mali*. Non omnis enim motus ejus, qui patitur, passio dici meretur in sensu ascetico, sed qui vehementior se se sensui prodit. Atque ejusmodi vehementius insurgentium motuum repressionem passionum dominium, longè ab Apathia diversum vocitamus, quale perfectissimum & in supremo gradu in humanitate Christi, in minori verò gradu, sed omnes perfectiones humanas longè excedente in B.V. Maria, in aliis verò Sanctis perfectum fuit. Prout P. Lanc. *op. 4, c. 12.* Pluribus S. S. P. P. & Doctorum tam Scholasticorum, quàm asceticorum testimoniis ostendit, atque ab exemplo insignium sanctorum tanquam ab actu ad potentiam argumentando possibilitatem ejusmodi passionum Dominii clarissimè demonstrat. Verum quidem est, in nostra potestate, & spectatâ naturali ad malum proclivitate situm non esse, ut acquiramus tantam perfectionem, & sublime adeò privilegium vires nostras excedens, bene tamen per Dei gratiam & supernaturales virtutes, per continuum laborem, ac cælestis gratiæ cooperationem obtinere illud possumus. Qua ratione, dum divinæ gratiæ omnes nostros conatus acquirendo passionum dominio coniungimus, scyllam evitamus. Sed ecce! alia oboritur quæstio, in quonam præfatum passionum Dominium propriè consistat, qui effectus inde consequantur, qualésque conditiones requirantur? Ut proin singula ritè pertractemus.

Dico 1. Dominium passionum non consistit in mortificatione earundem. Ratio est, quòd mortificatio passionum sit tantùm dispositio ad ipsum Dominium illarum. Unde distinguitur, mortificatio à Dominio passionum, sicut via à termino, ad quem tendit illa, sicut pugna à victoria reportata, & exinde secuta subjugatione, & subjectione hostium. Uti igitur dispositio distinguitur à forma, ita mortificatio differt à Dominio passionum. Patet tamen ex hoc necessariam esse mortificationem ad sublime illud Dei donum acquirendum, nam teste S. Ambrosio l. 1. de Cain & Abel: sicut bellator sine armis esse non potest, ita nec sine exercitatione virtus, quæ dominari non poterit, quamdiu habenæ laxantur passionibus. Proin *contemnere iracundiam, mitigare libidinem, fugere cupiditatem pars est magna Martyrii* seu mortificationis, pars laboris ingentis, & operis eximii, quibus velut fructus adhibiti conatûs & laboris correspondet passionum subiugatio, præ- 23

prædominium, & victoria. Ita S.P. *l. 9. tract. de Honest mul,*

24 Dico 2. Dominium passionum non est præcisè abnegatio sui, quia hæc à Christo fuit præcepta tanquàm medium ad salutem necessarium. Luc. 9. & Matth. 16. Si quis vult venire post me, abneget semetipsum. &c. Hinc S. Thomas opusc. 18. de perfect. c. 10. Cum aliis SS. PP. probat abnegationem sui ipsius esse de necessitate salutis, cùm sit evidens, quòd ille, qui post Christum venire in cælum cupit, à vitiis abstinere, hoc est, se abnegare, & carnis comoditatibus renuntiare debeat. Econtra Dominium passionum non est dep:æcepto, aliàs, sicut paucis est concessum, ita perpauci salvarentur. Est adhuc aliud discrimen inter Dominium & abnegationem sui, quod abnegationis materia, circa quam versatur, propriè sint peccata actualia, vel habitualia: materia verò Dominii passionum, circa quam se occupat, sunt passionum motus, qui non semper sunt peccata, sed possunt esse boni, vel mali, prout quis illis utitur, ex imperio rationis ad bonum vel malum ita S. Th. 1. 2. q. 24. a. 1. & S. P. N. L. 14. de civ. c. 7. de passionibus animæ loquens asseverat, mala esse ista (passiones) si malus est amor; bona, si bonus. Ex his facilè tamen conjici es, dominium passionum esse perfectam sui abnegationem, & ab hoc ad illam dari illationem, non verò ab hac consequentiam ad illud.

Dico 3. Dominium passionum non consistit in ablatione fomitis, 25
vel ligatione illius, sed est quid minus, quàm ablatio vel ligatio fomitis, quia cum Dominio passionum fomes, peccati stare potest. Dominium enim passionum solùm indicat rectificationem appetitûs sensitivi, ne exsurgat, neque passiones moveant ad malum. Sentire namque concupiscentiæ motus, ast eos citra molestiam ad obsequium virtutis facillimè dirigere, ad Dominium pertinet passionum, quas in hac vita per Dei gratiam quidem reprimere, non tamen penitùs eradicare nos posse asserimus. Quarè cùm fomes peccati sit naturalis, habitualis, vel actualis inclinatio appetitûs sensitivi ad motus & affectus circa objecta illicita, rectæ rationi contraria, rationem prævenientia, & ad peccatum trahentia sive ut l. c. S. Thomas loquitur, fomes inordinata concupiscentia sensibilis appetitus sit, ablatio, sive ligatio hujus concupiscentiæ singularem prorsus gratiam, specialissimum Dei donum, & planè extraordinarium privilegium indicat post B. V. Mariam admodùm paucis Sanctis concessum.

Dico 4. Dominium passionum 26
non est specialis aliqua virtus vel habitus ab aliis virtutibus diversus, sed est aliqua perfectio & veluti

proprietas ex virtutibus tam acquisitis, quàm infusis dimanans, animæ indita: adeoque consistit in quodam robore omnibus inordinatis motibus passionum resistendi, quod ipsum est aliquod aggregatum ex particularibus virtutibus. Ita Doctores ascetici. Ratio est, quod tunc obtineatur perfectum passionum dominium, quando omnes sunt superatæ, subditæ, & rectæ rationi famulantes; atqui dum omnes virtutes particulares tam acquisitæ quàm infusæ adsunt in subjecto, scilicet in homine, & quidem in sublimi quodam gradu, & in magna copia, tunc passiones sunt superatæ, subditæ, & rectæ rationi famulantes: ergò quando adsunt virtutes particulares tam acquisitæ, quàm infusæ & quidem in sublimi gradu, & in magna copia, tunc obtinetur perfectum passionum dominium, consequenter in perfectione quadam, & cumulo omnium virtutum particularium consistit passionum dominium. *Minor*, in qua difficultas est, sic ostenditur. Quævis virtutes perficiunt potentiam, cui insunt, & inclinant ad actus proprios, & obarmant potentiam contra actus contrarios, sic virtus modestiæ perficit subjectum, & inclinat ad compositionem morum tum externorum, tum internorum, & roborat simul contra laxitatem, & turpes gestus, & indecoros membrorum motus. Similiter virtus humilitatis inclinat ad humile sentire de se ipso, ad perferendas confusiones, ad fugiendum contemptum aliorum, ad non appetendam excellentiam propriam &c. Simúlque obarmat hominem contra actus quosvis superbiæ. Rursùs mansuetudo inclinat ad actus mansuetudinis, simulque confortat hominem contra actus iræ &c. Et hoc modo de cæteris quibusvis virtutibus discurrendum. Ergo sicut virtutes contraria vitia à subjecto expellunt, eáque superant, ita consequenter potentias ad ductum rationis movent, eíque servire faciunt, quod ipsum est virtutum dominium suprà passiones contrarias. Id verò virtutes morales acquisitæ efficaciùs præstant, quàm virtutes infusæ cum hoc discrimine, quòd virtutes morales dirigant suos actus ad finem inferiorem scilicet rectæ rationis & luminis naturalis, virtutes verò infusæ utpote in Charitate radicatæ eosdem actus virtutum moralium per aliquod imperium ad altiorem dirigunt finem, scilicet voluntatis Dei, supernaturalis luminis, & ordinis gratiæ, & charitatis, ut virtutes morales per infusas elevatæ ex amore Dei facilitante fortiùs passionibus contrariis resistant.

Præter hæc passionum dominium perfectum multis conditionibus circumscribitur, ex quibus illud dignosci queat velut ex signis, 27

&

& effectibus. Nos succincto calamo aliquot ab ascetis requisitarum conditionum adnotamus.

Ima igitur conditio est ad perfectum dominium passionum, ut nulli inordinato motui passionis ad comittendum peccatum allicientis liber præbeatur consensus, sed omnis talis motus immediatè, & simpliciter displiceat voluntati.

2. Ne unquam ullo passionis voluntariè accepto motu aliquis perducatur ad actum peccati, ad quod passio inclinat.

3. Ne voluntariam negligentiam committat in repressione, & frænatione passionis, postquam exurgens jam jam fuit animadversa.

4. Ne ordinariè & sæpè involuntarij etiam passionum affectus exurgant, vehementer mentem perturbantes, & inquietantes, uti quidam sunt, qui passioni iræ, tristitiæ, doloris, diu & vehementer perturbantur, adeò, ut se non possint liberare, sed toto alterentur corpore, nonnunquam etiam cum detrimento sanitatis.

5. Ne quis passionibus non vehementibus & inquietantibus sæpè & diu infestetur, sed quasi illas non sentiat, unde nascitur perpetua animi tranquilitas, & idem in omnibus casibus tenor mentis.

6. Ne ab aliquibus passionibus (à quibus antea infestabatur, & quibus sæpè consensum præbebat, atque ad peccata perducebatur) deinceps infestetur ne quidem per motum primò primum e. g. si antea quis solitus est sæpè irasci, sumere vindictam, aversionem animi sentire ab adversarijs &c. deinde habeat contrarios positivos affectus, nec unquam ampliùs infestetur. Similiter si priùs quis passus est passiones, & tentationes castitati contrarias ex aspectu fæminarum, postea etiam in necessarijs, & diuturnis colloquijs vel aspectibus nullam prorsus sentiat inordinati erga illas amoris passionem, vel tentationem. Et quamvis hoc statum originalis justitiæ repræsentet cum minori tamen perfectione, & cum longè minori extensione & plenitudine invenitur in homine habente ejusmodi dominium passionum, quàm fuit in primis parentibus ante lapsum, ut docet S. *Th. 1. 2. Q. 85. a. 1.*

7. Ad perfectum dominium passionum spectat etiam circa idē objectum specificum diverso modo quàm antea se habere e. g. priùs audita morte amici valdè chari vehementer fuisti contristatus, postea divino beneficio acquisito passionum dominio nullo ampliùs afficeris dolore in morte charissimi etiam parentis. Simile exemplum de S. Bernardo in vita ejus refertur. L. 3. c. 6. &c. *Quòd siccis oculis fratris sui germani, & dilecti Gerardi exequias celebraverit. &c.* Huc quoque spectat ob majorem injuriam sibi iniquè illatam non perturbari: è contra si alteri cui-

quam longè minor inferatur, ex charitate illi compati. Quales passiones ex prædominio regulatæ neutiquam imminuunt, sed potiùs ex imperio rectæ rationis arguunt perfectum passionum dominium *in obsequium virtutis* toties, quoties opus sit, famulantium.

8. Ut ad primam objecti mali repræsentationem immediatè absque ulla mora sentiat in se vehementem & intensam passionem odij, abominationis, vel iræ contra objectum malum repræsentatum: à contrario ad apprehensionem cujusdam boni spiritualis in eodem instanti per modum motûs primò primi (ut ajunt Theologi) ingens desiderium illius boni, & delectationem in eo concipiat. Contingit autem per Dei gratiam, ut sicut passiones bonæ circa bonum præveniunt rationem, ita etiam, contrariæ circa malum antevertant quasi rationis liberum usum, ita, ut tales repræsentationes malæ convertantur in actus supernaturaliter bonos. Hanc octavam conditionem paucis expressit, sed subtiliter comprehendit S. P. N. dum apud *S. Th.* 1. 2. *Q. 59. a.* 2. ait: *voluntas si recta est, non solùm inculpabiles, verùm etiam laudabiles erunt passiones*, hoc est, ut alibi S. P. dicit, *passiones ità moderandas, & refrænandas esse, ut in usum justitiæ convertantur.*

9. Ut si per imperium rationis, & voluntatis contrariam in se excitavit passionem, eáque ex necessitate usus fuit, statim postea ex eodem imperio motus ille quiescat. Ita scribit Ribadeneyra de S. Ignatio, quòd sæpè visus fuerit affabiliter hilaritérque colloqui; accersito verò quodam, quem vellet objurgare, vultú ad iram componere, graviter hominem corripere, & castigare &c. Eodem autem momento, quo objurgatus discessit, ad eandem tranquillitatem & jucunditatem rediisse &c. Simile scribit S. Possidonius in vita S. P. N. Augustini, quòd objurgatis graviter quibusdam Clericis suis à vita communi Apostolica ad Laxiorem aspirantibus mox ad pristinam mentis quietem sesé reduxerit, ut in zelosissima, & charitate plenissima verba proruperit: *Nolo sine vobis salvus esse.*

10. Ex priori conditione sequitur ista, ut, qui dominium habet passionum, in eodem semper versetur statu, ad omnia æquè dispositus sine variatione.

11. Qui beneficio divino habet passionũ Dominium, simul etiam fruitur perpetua quadam, & vehemente inclinatione ad facienda omnia, quæ placent Deo. Unde inordinatis motibus repressis, magis ad intensas virtutes, quàm ad alia quævis, quæ sensibus & amori proprio placent, accenditur, & indifferens redditur ad adversitates, sive ad consolationes.

12. Qui acquisivit dominium passio-

passionum, rationem habet quietam, & valde attentam ad ea, de quibus cogitat, & quæ ex instinctu Dei ad ejus gloriam & honorem exequi vult. Hinc voluntas passiones subjectas possidendo & ratio adeò corroborantur, ne à motibus appetitûs sensitivi *indirectè* trahatur, aut moveatur voluntas ad aliquid volendum, vel nolendum contra rectam rationem, sed potius juvatur in fugiendis malis, & faciendis bonis.

13. Ex Dominio passionum sequitur, quod corporis sensus, & eorum actiones rectè ordinentur, ne quidquam contra rationem faciant. Id etiam intellige de ipsis membris corporis, prout sunt à sensibus diversa.

14. Quin etiam dormientes ab infestationibus carnis sunt liberi, ita ut non sentiant turpem affectû erga objecta repræsentata, verùm potiùs his resistant in somno, sic S. P. N. L. 12. de gen. ad lit. c. 15. Tanto passionum suarum dominio à Deo fuit præditus, ut de se fateatur, & ad benefactorem suum exclamet: *Domine memores mandatorum tuorum etiam in somnis resistimus!* de quo *p. 1. à. N. 184.* plura continentur.

15. Econtra in somnis pios elicere affectus erga Deum & Sanctos, atque exercere magnos, & heroicæ virtutis actus non modicum signum est acquisiti dominij.

16. Denique passionum dominium ad excellentem orationis perfectionem confert, quia attentionem causat, & distractiones arcet, & unionem mentis cum Deo actualem efficit. Atque ex his facilè alia indicia descripti modò passionum dominij erui possunt.

Quæres 1. quæ virtutes magis 28 conducant ad dominium sæpè dictum acquirendum?

R. Theologicas virtutes, fidem, spem, charitatem, & post has Cardinales, ex moralibus verò humilitatem, modestiam, sobrietatem, patientiam, mansuetudinem, obedientiam, & præcipuè castimoniam maximè conducere ad perfectum passionum dominium, quia illis virtutibus contrariæ passiones, & vitiosi motus magis hominem infestant, quàm reliquæ. Deinde cùm amor, odium, & tristitia in appetitu concupiscibili; ira verò in appetitu irascibili inter cæteras passiones principiatum teneant, contra has magis oportet assurgere, eásque rationi subijcere, ac penitùs supprimere. Hinc consequitur, non tantùm necessarium esse continuum virtutum studium, & proin examen particulare diligentissimè instituendum maximè pro acquisitione illarum virtutum, quarum oppositas passiones magis quis in se advertit: Verùm etiam mortificationem crebram esse adhibendam, ut passiones iræ, amoris proprii, & rebellium sensuum restin-

restinquantur; sine continuo enim conflictu ad optatum dominium perveniri non potest, quia mortificatio ejusmodi via est, & dispositio ad illud ut constat,

29 Quæres 2. An certum temporis spatium pro acquirendo passionum dominio possit assignari?

R. negative. Ratio clara est, quia hoc est speciale donum Dei, cujus, sicut est, virtutes infundere supernaturales, speciales elargiri gratias, & singularia præbere auxilia, ita illius quoque est dominiũ passionum, quod ex virtutibus aggregatis, & in gradu intenso repertis resultat, pro libitu, & nutu suo iis concedere, quorum misereri dignatur: *non* enim *volentis, neque currentis sed miserentis est* Dei, ut ait Apostolus *ad Rom. 9.* Dein *Spiritus, ubi vult, spirat, & vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, aut quo vadat. Joan.* 3. Id similiter attingit S. P. N. *de Prædest. S. S. c.* 2. exponens illa Apostoli verba 1. *Cor.* 3. *Non sumus idonei cogitare aliquid quasi ex nobismet ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est &c.* „ Quocirca sicut nemo „sibi sufficit, ad incipiendum, vel „perficiendum quodcunque opus „bonum (intellige opus bonum „supernaturale, & solis naturæ vi„ribus) ita in omni opere bono & „incipiendo, & perficiendo *sufficien„tia nostra ex Deo est &c.*„ Doctoris nostri Cherubici Angelicus Comes S. Th. 1. 2. Q. 112. a. 3. ad eandem quæstionem dilucidè respondet, ad quamcunque præparationem, quam homo instituit ad supernaturalia dona à Deo accipienda, non necessariò sequi gratiam: *præparatio enim ad gratiam*, ad virtutes supernaturales, consequenter ad dominium supernaturale passionum *secundùm quod est à libero arbitrio, nullam necessitatem habet ad gratiæ consecutionem, quia donum gratiæ excedit omnem præparationem virtutis humanæ &c.* Unde duplex oritur argumentum pro solutione quæstionis. 1. Quando non est assignabile certum tempus alicui causæ, tunc etiam non est assignabile effectus; sed non est assignabile certum tempus gratiæ, & virtutibus supernaturalibus intensis, quæ sunt causa dominii passionum: ergo etiam non est assignabile certum tempus effectui, scilicet dominio passionum. *Major* omnibus nota est. *Minor* eruitur ex utroque textu S. Augustini, & S. Thomæ. Si enim insufficientes sumus ad incipiendum & perficiendum bonum opus supernaturale, & si præparatio ad gratiam non habet necessitatem ad ejus consecutionem, certum tempus assignare bono operi supernaturali, & gratiæ non est in nostra potestate; atqui dominium passionum dependet à bonis operibus supernaturalibus, & gratia: ergo certum assignare tempus dominio passionum non est in nostra potestate, consequenter non est assignabile.

2. Dum

2. Dum dispositio ad formam quosdam requirit gradus, non potest assignari tempus producendi formam, nisi suppositis gradibus requisitis ad illam dispositionem; sed gratia cœlestis, & quædam virtutes sunt certa dispositio ad formam, scilicet ad subjugationem contrariarum passionum, & simul requiruntur certi gradus in illis virtutibus: ergò non potest assignari tempus producendi, sive acquirendi passionum dominium velut formam, nisi suppositis certis gradibus. *Jam subsumo*, gratia & virtutes ad dominium passionum disponentes sunt qualitates adeò intensibiles, ut citrà specialem revelationem divinam in hac vitâ aliquis nunquam cognoscat, an requisitum obtinuerit gradum, ex quo perfecta passionum contrariarum subjugatio oriatur, atque verum passionum dominium formaliter resultet: ergò etiam nunquam agnosci certò potest, vel præscribi tempus ad verum obtinendum passionum dominium. Plurimis confirmari exemplis potest nostra ista assertio, cùm ex fide dignis historiis perspicuum sit, quosdam uno vel altero actu heroico tantas â Deo acquisivisse gratias, ut postea facili negotio plenum suarum passionum dominium adepti sint. Sic legitur de S. Thoma Aquinate, Gualberto, Theresia, Catharina Senensi, aliisque innumeris. Innotescit à contrario, multis Sanctis non nisi post ingentes labores, varias pugnas, & insignes mortificationes, tandem adeò exoptatum suarum passionum dominium à Deo fuisse concessum. Ex quibus omnibus clarè patescit, assignari non posse certum temporis spatium pro acquirendo passionum dominio.

Quæres 3. An saltem inadæquatum passionum dominium sit possibile, & faciliùs obtinibile? 3

R. affirmativè. Omnino enim certum est, ipsas virtutes tanquam habitus, & qualitates, licèt supernaturales, admittere magis & minùs, & adeò intendi non posse, quin ulteriùs in hac vita sint intensibiles. ergò æquè certum est, majus aut minus dari dominium passionum, quæ virtutibus illis opponuntur.

Non minùs quoque certum est, & sacris probatum historiis inadæquatum sive partiale passionum dominium esse posse in uno, item in alio reperiri certarum, & vehementiorum passionum subjugationem, non tamen omnium etiam leviorum. Ratio est, quòd *divisiones gratiarum sint, idem autem Spiritus*, & *divisiones operationum idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. 1. Cor. 12.* Sicut enim teste Apostolo *alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum:*

num: ita uni conceditur dominium *iræ vehementis*, *desperationis*, *vel mali desiderii*, alteri datur dominium *amoris*, *tristitiæ*, *& timoris* &c. Quia S. Spiritus *dividit singulis prout vult*, & quantum quisque laborat, tantum recipit mercedis. Experimur etiam speciales virtutes oppositas passionibus reperiri in uno, quæ non continentur in altero: in uno esse mansuetudinem, non verò abesse timorem, in alio inveniri temperantiam & fortitudinem, non tamen deesse iram & audaciam. Ita in S. paginis laudibus efferuntur Abraham de fide, Jacob de patientia, Joseph de castimonia, Moyses de mansuetudine, David de misericordia &c. Ex quibus satis clarè deducitur partiale, inadæquatum & minùs perfectum dari posse passionum dominium, quam diversitatem aut naturæ indoles magis ad unam, quàm alteram virtutem propensa, remissior in supprimenda una, quàm altera passione conatus, & segnior divinæ gratiæ cooperatio causare solent. Videatur desuper P. 1. n. 192. f. 179, ubi ostendimus altiores castitatis gradûs absque minori subinde in quodam reperiri, ut hoc modo majora assecutus dona, dum minora sibi deesse videt, non habeat, undè glorietur, suísque viribus acquisitam virtutem adscribat. Atque ex his resolvitur annexa hujus quæsiti pars; clarum enim est istud partiale passionum dominium faciliùs obtineri posse, quàm totale & adæquatum, quia hoc omnem comitatum & ornatum virtutum requírit, &c.

AURIGA POTENS.

DOmitor suarum passionum *potens* est *Auriga*, qui doctè scit regere equos scilicet pravas cupiditates, & habenas tenere, ne, quò velint, indomitæ excurrant, Currum quoque dirigat, ne extra orbitam, & stadium declinet, atque adeò â centro cœlestis bravii longè aberret. Totam metaphoram ita tibi, Religiose Tyro, ob oculos pono, ut te ipsum *potentem aurigam* in hoc virtutis stadio tanquam spectator internè cernere possis. *Auriga* est ordinata, & secundùm spirituales leges directiva *Ratio*, quæ animæ currum in via cœlesti continuò ad divinum cultum, Dei gloriam, & æternam patriam dirigere debet. Mala certè *Ratio*, & pejor *auriga*, quæ cursum suum deorsum præcipitem agit, se séque magis, quò indomiti evagantur equi, perduci inverso ordine permittit. *Currus* animæ quid, aliud, quàm affectiones animi, quibûs velut quadrigâ invehitur, agi-

agitatur, & in varias totius orbis provincias, civitates, & oppida ad mundi illecebras, convivia, spectacula & amicos, ad vanos honores, sæculi pompas, & inanes delicias asportatur animus? *Equi* trahentes hunc currum qui alii, quàm sensuum immoderatæ passiones, quæ currum movent pro connaturali rationem prævenientis cupiditatis impetu? habenas illis indulgeat *Auriga*, & irrefrænabiles, indomitásque experietur, quibus toto cœlo aberrantibus homo migrocosmus Phaëtontiacis ruinis involvetur, & accensus ignis usque ad inextinquibiles æternitatis infelicis flammas promovebitur. *Agonothetam* scire desideras? Deus est, qui suas athletas ad certamen provocat, ad cursum virtutis & perfectionis incitat, præmia proponit, & æternas laureolas victoribus promittit. *Spectatores* si inquiras Apostolus indicabit beatos cœlites, Angelicos Spiritus, cœlestis aulæ Proceres, ipsúmque virtutis testem mundum: *Spectaculum enim facti sumus huic mundo, & Angelis, & hominibus. 1. Cor. 4.* Ne autem comparatio ista metaphorica meis tantùm adscribatur conceptibus, & eo ipso minus acquirat robur, Africanum audiamus Symbolographorum moralium Choryphæum ita in Psalmum 39. differentem. *Aurigam laudas regentem quatuor equos & sine lapsu, atque offensione currentes, Regat luxuriam, regat ignaviam, regat injustitiam, regat imprudentiam, motus istos, qui nimium lapsi hæc vitia faciunt, regat, & subdat sibi, & teneat habenas. & non rapiatur, ducat quò vult, non trahatur, quò non vult.* Optimè in rem nostram. *Motus istos luxuriam* vehementis *amoris* passionem, *ignaviam* laborum tanquam malorum, *fugam* & *tristitiam injustitiam, iram, odium, & aversionem* proximi, *imprudentiam desperationem, audaciam.* &c. subintelligit, quæ passiones, dum in eas quis frequenter labitur, eásque in se dominari sinit, vitia evadunt, seu mali habitus, & pravæ consuetudines, quibus dein *auriga*, humana mens abripitur, & velut ab indomitis equis trahitur, etiam quò non vult. Agonothetam postea introducit aurigis acclamantem: *hæc munera, hæc spectacula dedit Deus. Clamat de cœlo: specto vos, luctamini, adjuvabo: vincite, coronabo.* Qui bene rexerit quadrigam suarum affectionum, cœlesti baltheo induam eum, qui equos suarum passionum in stadio bene circumduxerit, accipiet bravium, & *qui vicerit, dabo ei nomen novum, & manna absconditum.* Hæc munera, hæc spectacula dedit Deus.

Tot *potentes Aurigas* pro cælesti laureola concertantes spectamus, quot ex innumeris sub vexillo Aurelii Ducis militantes & triumphantes Testes acquisiti dominii suarum passionum mirabili sanctitate abundantes hic subiicimus. Ex

illis non postremus sit S. Joannes Warnestum, ideò dictus, quia Warnestumi in Flandria honestos à piis parentibus Guillelmo, & Phagala natales traxit, nomen verò in sacratiori lavacro suscepit, non quidem ab elingui Propheta per pugilarem descriptum, divino tamen afflante spiritu inditum. A cunis pueriles ludos, acsi jam grandior esset ætate, pertæsus, vicinis, cognatísque justæ de se vitæ mirabilis suspicioni præbuit ansam, ut dicerent invicem: quis putas, puer iste erit? Postquam ad grammátis Pythagorici bivium pervenit, sinistros tramites cautè ut declinaret, arctam ingressus viam Lamberto, & Ivoni (quorum hic Carnotensis, ille Trajectensis postea Episcopus fuit) Magistris instituendum se sacris litteris tradidit. Pòst ut Canonicum ex Regula S. Augûstini in monte S. Eligii fuerat professus â Lamberto ex Canonico itidem Regulari, & Insulanæ Præcentore Ecclesiæ, Atrebatensi Antistite (cùm Urbani II. decreto Cameracensis, & Atrebatensis Diœcesium unio fuisset dissecta) recèns electo, ac manibus Pontificiis Romæ 1094. consecrato Joannes Archidiaconus, omnibus licèt modis reluctans, & per censuras duntaxat adactus inauguratus est. Hæc inter Ecclesia Morinensis à Roberto comite miserè afflictata dum sub uno invasore vastitatem, per simoniacam artem intruso altero ovium dispersionem, & sub Erkemboldo pastoralem renuntiante pedum deplorabat viduitatem. Joannes noster communibus omnium votis postulabatur, ut probata illius virtus, & nota sapientia infirma firmaret, disrupta consolidaret, & depravata converteret.

Præstitit hæc omnia Joannes regularis Clericorum vitæ æmulator, observatórque studiosissimus. Sensuum castigator fuit adeò districtus, ut nec oris ejus sermo impudicus, nec oculorum fuerit petulans obtutus, nec vanis auscultandis occupatus auditus. Quantum ad gustum, & odoratum attinet, admirandæ semper fuit abstinentiæ, &c. *Sunt verba Auctoris vitæ apud Bollandum.* Ex hac sensuum refrænatione plenum virtutes acquisiêrunt dominium, ùt Joannis charitas latissimè in corde diffusa ubique regnaret, Dei cultum ubique promoveret, benefaceret omnibus. Hinc multa, eáque insignia planè Canonicis extruxit, alia reparavit, ditavit, dotavítque Collegia. Sacerrimo quoque Ordini S. Patriarchæ Benedicti eximia contulit beneficia. In Monasteriis S. Bertini, & Blandiniensi reformationis Cluniacensis, Merkemii, Burburgi, & Ghisnis Sanctimonialibus funditùs erectorum parthenonum fuit auctor. Cælum sanctos

ctos præmiaturum labores rupto ponte in profundam fossam cadentem Pontificem, & â gladio mortifero sicarii, dum ictum ferret, in aëre mirabiliter suspenso servavit illæsum. Post fata autem An. 1130. suo Candidato candidum Angeli sub revoluto lapide paravêre sepulchrum. *Ex Bollando Tom. 2. ad 27. Jan. & citatis auct. ibidem.*

Sanctus Bruno Conradi Carinthiæ Ducis filius patruelis Conradi secundi Imperatoris post susceptum in Imperiali cœnobio Goslariensi Canonicorum Regularium habitum orationibus, jejuniis, aliisque insignibus operibus tantum sibi comparavit passionum dominium, ut vel leves motus ciere ampliùs non valerent. Inde in illius Ecclesiæ Præpositum electûs, & postea An. 1033. Herbipolensis in Franconia Episcopus postulatus, S. ædem D. Kiliani, aliàque templa exornavit, illustravitque. Cùm in castris Conradi Imperatoris aliquando rem divinam faceret, subitò exorta tempestate multis prostratis solus perstitit ad aram, admonens dein Imperatorem sibi à S. Ambrosio revelatum fuisse, ut ab obsidione Urbis Mediolanensis ocyùs desisteret, ni graviora cum suis vellet pati. In cœlum avolavit die 18. Maii An. 1044. miraculis clarum Innocentius IV. Sanctorum catalogo adscripsit. *Ex Consl. Ghinio, Surio, T. 7. in vita S. Bennonis, & aliis.*

Stephanus Leodiensis ex comitibus Sabinensibus oriundus primùm Canonicus Regularis Cathedralis Ecclesiæ Metensis, tum Episcopus Leodiensis doctrina, ac vitæ sanctitate præstans, suarúmque affectionum tantus exstitit domitor, ut ob miram morum modestiam aliorum quoque furores martios & vehementes animi commotiones solis pacatis verbis prosternere, sibique adnutum subiicere posset. Eapropter à Carolo Calvo, quidquid postulârat, impetravit, magno semper in pretio & patris adinstar ab illo habitus. Sanctè obiit A. 920. Episcopatûs 17. die 19. Maii. Eum Guilielmus Eisengrien *sanctum* vocat. *Ex cit. auct. & Rdmo. Gruebel ad h. d. in Theatro virt.*

Quantus sui animi moderator, & sensuum rector fuerit V. Michaël Violæus Gallus S. Euurtii Aurelianensis Abbas, placet pro exemplari brevi calamo texere vitam. Nobile illi stemma, ab avorum, & proavorum prosapia per Galliam celebre, at virtus, & linguarum variarum peritia, variæque scientiæ celebriores, ac illustriores erant. A momento, quo Canonicum amplexus est institutum, indefessum adeò adhibuit studium sacrarum litterarum, ut arcanum ex iis sensum omnium stupore erueret, exponeret, & difficil-

difficillimos textus dissertissimè explicaret. Inde prophetiæ dono præditus, ex ipsius scripturæ sacræ reconditis variorum futurorum eventuum vates fuit. Regendæ suorum Canonicorum familiæ admotus, pietas in Deum tessera fuit, quâ in omnibus occasionibus utebatur. Singulis horis canonicis in choro decantandis interesse, singulis diebus incruentum Missæ Sacrificium offerre, nî publica, aut necessaria præpedirent, ad supremum vitæ diem laudatissima & non inferioribus tantùm, sed & superioribus imitanda consuetudo fuit piissimi Abbatis. Ad publica civitatis Aurelianensis negotia evocatus in senatu illustrissimorum virorum verba Violæi ut oracula excipiebantur, eum revereri, ejus consiliis adhærere unusquisque honori sibi ducebat. Et quod in viro variis distento negotiis mireris, adeò edomitas tenuit animi affectiones, ut semper sibi similis forensia æquè, ac domestica & spiritualia commissæ Abbatiæ nunquam mutato vultu, aut tumultuante animo pertractârit. Quod donum singulare sit Prælatorum, qui difficili negotio à cura temporalium abstracti ad religiosa munera non raró mutata facie redire solent. Post insignia virtutum specimina, & tam in Aurelianensem communitatem, quàm in suam Canonicam Religionem sacratioribus studiis 30. Annos Abbatialis dignitatis collata merita ad cœlestem abiit requiem Æra Christiana 1591. Quanto in pretio apud omnes fuerit habitus, ex funere colligitur, dum Joannes Aurelianensis Antistes ritu solemni in frequenti illustrissimorum procerum comitatu justa persolvit Michaeli. Orationes funebres à celeberrimis Theologis magno civium confluxu quatuor diebus habitæ, laudes incomparabilis Abbatis, ejúsque virtutum memoria ab omnibus ordinibus certatim versibus, elogiis, & ingeniosis emblematibus expressæ, atque raris picturis, ut omnium oculis & animis prostarent, condecoratæ sunt, quas typis evulgari curârunt Canonici S. Euurtii. At cùm ejusmodi elogiorum nihil ad manus meas devenerit, etiam Religioso lectori quidquam producere neque præter carmen illius sepulchro inscriptum, quod Aurelianensis Præsul in monodia inter decantata cætera ad finem apponi jussit.

Hic violæ jaces, cleri pars maxima nostri,
Flos, oculúsque ævi, quem non violaverat error,
Perpetuò similis sibi, servantissimus æqui,
Aut nullis veterum, aut paucis pietate secundus,
Doctrinam factis, doctrinæ facta sagaci
Æquâsti trutinâ, id vita, atque volumina monstrant,

Quæ

Quæ pia posteritas, quæ nos ornabimus ipsi,
Felicem at vitam, numen cœleste coronat,
Scripta hederæ, & laurus palmæ conserta virenti.

Ex Annalibus Aurelianens. Episcop. Caroli Sauss. f. 682.

Concludimus Articulum producta idæa suî moderatoris planè eximii, & quidem Germani, qui fuit Nebridius Molitor Mindelheimensis, Canonicus Claustro-Neoburgensis in Austria, linguarum græcæ & latinæ peritissimus, atque ab Antiquario, præclarissimo ingenii sui partu, typis vulgato religioso orbi celebris. Studiis sacratioribus ab ineunte ætate continuum movebat bellum inveteratæ naturæ, ut magis ad virtutis obsequium, quàm concupiscentiæ leges præstò esset. Parœciæ Hietzingensi milliario Viennâ Cæsaris metropoli distanti, & Neoburgensi ditioni subditæ, atque ob statuam Almæ Virginis crebris prodigiis coruscantis celeberrimæ plures annos præfuit maximo animarum lucro. Ingens animarum zelus tunc in ipso enituit, quando grassante lue epidimiaca, quæ annis 1645. & 1646. eo in pago sævissimè est debacchata, ut nemo sibi vel vitæ horam polliceri posset, ipse propriis manibus SS. Sacramenta infirmis administravit, moribundósque ad felicem feliciter disposuit obitum. Post quingentos nonaginta novem terræ mandatos mortuos, sex centesimus oviculis pastor fidelis succedere cupiebat: at divinus Pater familias decennio adhuc Nebridium vineæ suæ operarium, & magnæ Matris cultorem esse voluit, ut, dum ille devotis obsequiis sibi accumularet merita in terris liberalissimus Remunerator duplicare posset præmia, & congruam laboribus elargiri *mercedem magnam nimis* in cælis. Enimverò, ut ætherea corona splendidiùs elaboraretur Nebridio, sublimium virtutum gemmis deesse etiamnum videbatur patientiæ saphyrus, quem divina Providentia cœlesti diademati inseri cupiebat. Quare docennali vitæ superstitis curriculo dirissimos chiragræ, podagræque dolores toto corpore dominantes immisit, ut strenuum probaret Atletam. Illis etiam heroica æquanimitate, & maxima in divinam voluntatem resignatione exantlatis ad ultima tandem deductus, & SS. Sacramentis ritè munitus piissimam cœlis transmisit animam pro meritis coronandam 165?, cùm pridem jam sibi & mundo mortuus, antequam extinctus *inter mortuos* à se tumulatos *liber* Epitaphium statuisset, quod continetur in ejus Antiquario Monastico *Epist. 118. f. 529. & à nobis tam raræ virtutis æmulatoribus tacendum non est.*

Epita-

EPITAPHIUM.

Nebridius jacet hic
Ante, in, & post partum
Peccator,
Ante, in, & post vitam
Pudor,
Ante, in, & post mortem
Nihil.

Tu Religiose Lector, ex tam profundo humilitatis fundamento grandem ædificii spiritualis molem à Nebridio superimpositam conjice, & virtutum altitudinem metire juxta regulam architectonicam sapientissimi artificis nostri. p. 1. f. 108.

ARTICULUS V.

De modis & mediis passionum dominium acquirendi.

SUMMARIUM.

31. *Varii modi, ac media passionum Dominium conferendi ex parte Dei panduntur.*

32. *Alia eorum sunt interna, alia externa.*

33. *Quàm potens, & efficax divina gratia?*

34. *Media ex parte hominis multiplicia, & quidem; oratio fervens.*

35. *Lectio spiritualis.*

36. *Meditatio rerum cœlestium.*

37. *Contemplatio divinæ præsentiæ.*

38. *Honesta mentis occupatio, & sensuum custodia.*

39. *Alia adhuc bene observanda afferuntur.*

40. 41. 42. 43. *Circa applicationem istorum mediorum sunt quatuor notanda. Quid lucta Spiritûs?*

31 Constat ex præcedentibus perfectum passionum nostrarum dominium speciali Numinis gratiæ plusquàm nostro conatui esse adscribendum. Hinc intellectus humanus non solùm modum & media indagare solet, quæ sint conducentia ad subjugationem inordinatorum motuum ex parte ipsius hominis, verùm etiam profundiùs rimatur & investigat modos supernaturalia conferendi dona

na ex parte supremæ causæ, scilicet Dei. Proin animadvertendum est, nos magis hic acturos de modis ac mediis tam ordinariis quàm extraordinariis, ex parte hominis, quàm ex parte Dei. Interea tamen placet præmittere etiam modos ex parte Dei. Et quidem

1. Quibusdam sine ullo respectu ad præcedentia merita divina bonitas confert gratuita dona, illisque infundit pro divino beneplacito adeò sublimem supernaturalem gratiam, ut cooperante libero arbitrio omnes passiones unà simul opprimantur, ita S. Laur. Just. expertus proloquitur: *Quibus enim largiflua manu sua communicare, atque amplissima vult retribuere dona, repentè, & sine progressu id perficit.*

2. Aliquibus largitur illud non nisi post diuturnum conatum post magnã sensuũ mortificationẽ, post multos virtutum actus, ac post heroicam sui victoriam, quibus veluti prævìis dispositionibus anima præparatur ad sublimem illam gratiam, cui annexum est dominium passionum.

3. Rursùs aliquibus illud tribuit ad unum virtutis actum valdè rarum, difficilem, & heroicum spectatã ætatis, temporis, occasionis, aliarúmque circumstantiarum conditione exercitum. Qua ratione post fugatam titione ardenti meretricem angelicum Doctorem S. Thomam Aquinatem adeò excelso castitatis dono circumdedit ut nullos ampliùs concupiscentiæ motus senserit. Ita etiam S. Joannem Gualbertum post condonatam fratricidæ injuriam dominio passionum & præsertim iræ insignem reddidit. &c.

De primo & tertio modo dominiũ passionũ à Deo impetrandi ideò nil tractamus, quod inter specialissima Dei dona, illustres favores gratuitos, vel singulares gratias recenseatur. De altero potiùs aliqua dabimus, quia hic ordinaria est via, qua pervenitur ad passionum dominium.

Inter media porrò, quæ Deus 3
vel ante, vel in actuali elargitione dominii passionum communiter adhibere solet, alia sunt interna, alia externa. *Interna* sunt habitus virtutum *Theologicarum* fidei, spei, & charitatis in gradu valde intenso, & *moralium* præcipuè *Cardinalium* prudentiæ, justitiæ, fortitudinis, temperantiæ. *2dò.* Septem dona S. Spiritus scilicet sapientia, fortitudo, intellectus, scientia, consilium, pietas, timor Domini. *3tiò.* Auxilia transeuntia, vel etiam actualia, quæ consistunt in motione gratiæ efficacis prævenientis, concomitantis, & subsequentis. *Externa* media in extrinseca protectione variis sub eventibus consistunt, item in subtractione objectorum passiones moventium, prout precatus est à Deo David, *averti sibi oculos, ne videant vanitatem. &c.* Angelica quoque custodia in variis ma-

malisque occasionibus, bona consilia Patrum spiritualium ex cælesti quodam lumine data, item negatio concursûs divini ad malas actiones, vel ad vehementes passionum motus externa sunt media, quæ ad Deum referuntur.

33 Quocunque titulo *modi*, ac *media ista divina* appellentur, gratiæ sunt cælestes, & planè extraordinarii favores. Enim verò absque istis auxiliis divinis, absque gratia speciali dominium passionum non obtineri ex hucusque relatis patescit. Quid verò Numinis gratia ad illud conferat, testem longè gravissimum audiamus irrefragabilem gratiæ assertorem magnum Augustinum, qui efficaciam gratiæ divinæ in mutatione vitæ instituenda expertus ita testatum orbi reliquit. *L. 8. Confess. c.* 11. *Retinebant me nugæ nugarum, & vanitates vanitatum, antiquæ amicæ meæ, & succutiebant vestem meam carneam, & submurmurabant: dimittis nos? & à momento isto non erimus tecum ultrà in æternum? Et à momento isto non tibi licebit hoc & illud ultra in æternum. Et quæ suggerebant in eo, quod dixi, hoc & illud, quæ suggerebant, Deus meus! avertat, ab anima servi tui misericordia tua! Retardabant tamen me recunctantem abripere, atque excutere ab eis, & transilire quò vocabar, cùm diceret mihi consuetudo violenta: putas ne sine istis poteris? &c.* Post tantam passionum suarum luctam tandem *l. 9. c.* 1. præpotentem extollit gratiam: *Quàm suave mihi subitò factum est per Dei gratiam carere suavitatibus nugarum? Et quas amittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Ejiciebas enim eas à me vera tu, & summa suavitas: ejiciebas & intrabas pro eis omni voluptate dulcior, sed non carni & sanguini, omni luce clarior, sed omni secretò interior; omni honore sublimior, sed non sublimibus in se.* Et ecce ad illustrationem gratiæ, quales effectus enumerat! *Jam liber erat animus meus à curis mordacibus ambiendi, & acquirendi. & volutandi, atque scalpendi scabiem libidinũ: & garriebam tibi claritati meæ, & divitiis meis, & saluti meæ Domino Deo meo!*

Enimverò quivis in se experitur effectus divinæ gratiæ, quæ, dum in cordibus effunditur, ociùs voluntatem, mentem, appetitum, omnésque animæ potentias occulto sed miro modo reformat, & subitò ad alium quodammodo statum transfert, de terreno scilicet ad cælestem, totámque facillimè subjectam reddit spiritui carnem. Quando enim magnus Dominus voluerit quempiam ex rapacissimo liberalem, ex prodigo continentem, ex superbo humilem, ex delicato & tenero hirsutum ac laboribus assuetum facit. Hæc gratia Samsonem fecit fortem, & robustum ad domandos Philisthæos; Abacuc sublimem per aëra Babilonem portavit; Enoch, & Eliam de terra in paradisum subvexit, in cœlum tertium Paulum rapuit &c. Ut plura affert Cas-

Cassianus *Col. 12.* Poterit igitur quilibet alius ejusdem gratiæ cælestis adminiculo vitiosas suas passiones expugnare, ac superare eò magis, quò minùs hominis sit negotium, quod Dei ipsius censetur, ut quicúnque illius manibus paternis se totum filialiter commiserit, hujus vicissim Deus corruptæ naturæ vulnera, & plagas curet, veteres inclinationes ad malum proclives supprimat, novásque ad bonum impellentes restituat, inordinata desideria ordinatâ lætitiâ restinquat, pro terrenis cælestes affectiones secundùm imensam Providentiam, infinitam misericordiam, & omnipotentem gratiam conferat. Atque hæc ex parte Dei; quæ verò ad acquirenda tanta dona ex parte nostrûm sint necessaria, de his nunc opus & labor.

34 Itaque ut acquiramus excelsum istud donum requiritur constans & fervens *oratio* conjuncta fiduciæ in Deum, qui nobis Matth. 21. promisit: *Omnia, quæ petieritis in oratione credentes, accipietis.* S. Bonaventura orationem tanquam medium universale ad pellenda vitia, & è contra inserendas virtutes asseruit. *Oratio,* inquit, *omnipotens quoddam medium, & generale instrumentum est ad omnia paranda, medicina omnium bonorum, armatura adversùs Principes & potestates, adversùs spiritualia nequitiæ in cælestibus, adversùs omnes Sathanæ incursus atque ductus, quo Dei auxilium ad nos derivatur, turris David, ex qua mille Clypei pendent, & omnis armatura fortium.* Orationis utilitatem ac necessitatem probè agnoscens S. P. N. Ita ad Deum omnis gratiæ Largitorem ingemiscens exclamat: *Quid enim mihi sum sine te, nisi dux in præceps! nihil habens in propriis viribus, nisi periculi facilitatem.* Plura de orationis usu continet P. 1. Cap. 5. quo Tyronem remittimus.

Alterum passionum dominium 35
acquirendi medium est *lectio spiritualis*, prout expertus testatur D. Hieronymus *Epist. ad Demetr.* In hæc verba: *Utere lectione divina, vitæ speculo fœda corrigendo, conservando pulchra, pulchriora faciendo: scripturæ enim speculum est fœda ostendens, & corrigi docens.* Similiter *Epist. ad Rust.* Hortatur, *ut nunquam de manibus & oculis recedat liber; ama scientiam scripturarũ, & carnis vitia non amabis, ama scripturas sacras, & amabit te sapientia, hæc monilia in auribus & in pectore tuo hæreant.* Enim verò lectio spiritualium librorum, & sacrarum scripturarum speculum non fallax est, quod aspicientibus omnes vitiosas affectiones, inordinatas passiones velut morbos & animæ nevos, & turpes maculas repræsentat, dum contraria virtutum exempla intellectui objicit, ut parva ex animo objecta ejiciat. Haud opus est lectionem sacram velut medium & incitamentum passiones supprimendi pluribus cōmendare, dum constat plures sanctos illâ conver-

ſos fuiſſe. Sic cæleſti voce S. P. N. ad lectionem S. Scripturæ invitatus: *tolle*, *lege*, aperto volumine Epiſt. S. Pauli in lacrymas ſolutus, priorem vitam fuit deteſtatus, & ex Manichæo turpiſſimo Cherubicus Doctor & acerrimus Eccleſiæ Defenſor evaſit. Ita etiam S. Ignatius Sanctorum vitas legendo mirabiliter exarſit, & abjectâ militiâ ad præſtantem ſanctitatem pervenit, illuſtrior Dux factus inclytæ Societatis JEſu.

36 Tertium eſt meditatio rerum divinarum, ſicut inſinuat S. David *Pſ. 76. Meditatus ſum nocte cum corde meo, & exercitabar, & ſcopebā ſpiritū meum.* Contemplationis enim cæleſtiū ſcopus eſt, ut terreni affectus evellantur. Verba enim Regii Vatis: *Scopebam ſpiritū meum*, idem ſonant, ac *conſidero*, *ſcopum intueor*, *ad ſcopum dirigo. &c.* Quaſi diceret: ego in conſcientiam meam oculos mentis meæ tanquam in ſcopum defigebam, & collineabam, huc dirigebā meas medidationes, ut me ipſum penitiſſimè cognoſcerem, & cognitas malas animi affectiones ociùs expellerem, mentem purgarem, & tumultuantes paſſiones in ordinem redigerem, defectus corrigerem, & vitia emendarem. Prout hæc interpretatio quibusdam Aſcetis placet apud *R. P. Heſer. in cit. loc.* Quantum anditotum contra affectiones, & immoderatas paſſiones contemplatio ſit, docet mellifluus Doctor *l. 7. de conſideratione*, ubi hæc præclarè notat. *Primum quidem ipſum fontem ſuum, id eſt mentem, de qua oritur, purificat conſideratio; deinde regit affectus, dirigit actus, corrigit exceſſus. Componit mores, vitam honeſtat & ordinat; poſtremò divinarum pariter & humanarum rerum ſcientiam confert. Hæc eſt, quæ confuſa diſterminat, hiantia cogit, ſparſa colligit ſecreta rimatur, vera veſtigat, veriſimilia examinat, ficta & fucata explorat. Hæc eſt, quæ agenda præordinat, acta recogitat, ut nihil in mente reſideat incorrectum, aut correctione egens.* Et verò quod Lectio Sacrorum librorum memoriæ ingerit, id efficaciùs meditatio ruminat, dum peccati fœditatem, & virtutis pulchritudinem ceu vivis coloribus depingit. Dein hominis felicitatem, quæ ex ſuppreſſione paſſionum oritur, & viciſſim turpitudinem illius, qui ſuis paſſionū furiis agitatur, demonſtrat: damna etiam paſſionum ob oculos ponit, ac demum omnium vitiorum vibras ſuadet eſſe evellendas. Denique *conſideratio* meliùs ad paſſiones moderandas conducit, quàm *nuda lectio*; hæc enim attingit quidem divina & cæleſtia, illa verò in divinis tota occupatur, & profunditatem metitur. Conſideratio nucleum demonſtrat, *lectio* verò corticem, & ſuperficiem oſtendit. Porrò conſideratio id efficit, ut paſſiones quodamodo ſopiantur; quia illarum tumultus nequit ſubſiſtere cum meditatione. Atque hæc om-

omnia plurimùm contribuunt ad edomandas passiones.

37 Quartò *contemplatio divinæ præsentiæ* immoderatos animi affectus expellit, ut ostendit magnus Basilius *in quæst. fus. dis. q. 29.* Ubi causam sciscitanti, cur in homine tot vitia, tot passiones & pravi animi affectus regnent? *Quis frequenter irascitur? quis humanas laudes avidè captat? quis ad opera spiritualia piger est? quis actiones suas ad Dei gloriam non refert? quis ad orandum mente semper distrahitur?* Ad hæc singula hoc unum respondit; *qui non semper cogitat Deum cogitationum & actionum suarum inspectorem esse.* Atque subjungit: *hæc enim vestra recordatio si assidua esset, contra omnia vitia sufficiens remedium esse posset.* Enimverò quis filius in Patris sui conspectu familiam turbare audeat? Quis subditus coram Principe inordinatos motus agat? Eccur homo abjectus terræ vermiculus coram Deo irascatur, furiat, turbidósque & inconditos affectus cieat? A contrario oblivio præsentis Numinis impudentem hominem efficit, & in omnia vitiorum genera deturbat, prout observat Regius Propheta *Ps. 9.* ubi cùm de impio dixisset: *Non est Deus in conspectu ejus*, illicò subjunxit mala, quæ sequuntur oblivionem divinæ præsentiæ; *inquinatæ sunt viæ illius in omni tempore.* Sic quoque *Ps. 13.* postquàm induxit Deum esse negantem: *Dixit insipiens in corde suo; non est Deus.* Protinus adjunxit: *corrupti sunt, & abominabiles facti sunt in studiis suis: non est, qui faciat bonum, non est usque ad unum.* Si quæras à prudentissimo Rege, cur impii viæ sint inquinatæ? cur insipiens, corruptus, & abominabilis factus sit? causam tibi reddet, quòd Deum operum suorum inspectorem in corde suo non posuerit. Neque nota insipientiæ in negante Deum ponenda, quia interprete Doctore nostro *super Ps. 13. In corde tantùm dixit, nam neque ipsi sacrilegi Philosophi ausi sunt ore fateri Deum nullum esse &c.* Sed ideò insipiens, & vitiis corruptus est, quòd præsentiam Dei in corde non posuerit, unde homini pessima oriuntur malâ. Sic Protoparentes quamdiu coram Deo ambulabant, innocentiam custodierunt, & Paradisum possederunt: ubi verò Creatoris sui obliti ad vetitum pomum oculos levarunt, in ruinam miserandam se & posteritatem omnem præcipites egerunt. Vide plura p. I. cap. 6. fol. 418. Ubi fructus divinæ præsentiæ assignantur.

Quintum edomandi passiones 38
medium ab omnibus Ascetis præscribitur *bona mentis occupatio, & sensuum custodia.* Causa hujus est satis clara, quia occupatione spirituali, & honesta, superior animæ pars ita attrahitur, & quodam ardore spirituali inflammatur, ut etiam inferiorem superiori ancillari cogat. Dein spiritualia affert gaudia illa in bonis officiis occupatio, ut quoda-

damodo etiam in sensus, & appetitum sensitivum redundent. Dein exercentur præclaræ virtutum actiones, in quibus repetitis & augmentatis eo ipso turbidi animi motus dulciter quiescunt, & præsertim carnis cupiditates cessant, quæ aliàs in otio vires majores resumerent. Sic aureus Orator *de Provid Dei*, otium fugere suis præscribit, & ad salutares occupationes quemlibet ablegat, qui vult passionibus suis jugum imponere. Ità ait: *Si menti cultum diligentem adhibuerimus per honestas atque etiam meritorias occupationes, nulla confusio, nulla molestia inveheretur, quam Euripo quovis turbulentius sursum & deorsum vita nostra jactaretur, semper aliquid operis fac, ut Diabolus te semper inveniat occupatum.* Ita quoque sentit S. P. N. desidiam malam matrem, malorum ac passionum incitamentum asserendo. *Desidia* enim *Phantasmata tumoris & volubilitatis, constantem unitatem videre non sinunt, loca offerunt, quid amemus. Tempora surripiunt, quod amamus, & relinquunt in anima turbam phantasmatum, quibus in aliud atque in aliud cupiditas incitetur. Ita fit inquietus & ærumnosus animus, frustra tenere, à quibus tenetur, exoptans. L. de vera Religione cap. 35.* Proin excitandus est spiritualibus stimulis semper animus, & majore quotidie ardore renovandus. Orationis instantia, illuminatio lectionis, sollicitudo vigiliarum, & diurna atque nocturna, ejus incitamenta sunt. Nihil enim in proposito benè vivendi otio deterius est, quod non solummodo non acquirit nova, sed etiam parata consumit. Sanctæ vitæ ratio processu gaudet, & crescit, cessatione torpescit, & deficit. Quotidianis & recentibus incrementis mens instauranda est, & vivendi nobis hoc iter non de transacto, sed de reliquo metiendum. Ita *Epist. incer. auth. ad Demetr. cap. 27. apud D. Hieron. in operibus S. Augustini habetur Tom. 4.*

Quod sensuum custodiam attinet, clarum est, sine hac passiones non solùm non coërceri, verùm potius robur ac vires nimias acquirere. Cùm enim teste D. Hieronymo *per sensus quasi per quasdam fenestras vitiorum in animam introitus fit, non potest ante Metropolim arx mentis capi, nisi per portas ejus irruerit hostilis exercitus. L. 2. in Jovin.* Ast qui majores sunt hostes animæ, quàm rebelles cupiditates, quæ quotidianum bellum movent, arcem mentis obsident, & irruptiones continuas moliuntur? Quisquis ergò refrænationem, subjugationem, & dominium suarum passionum obtinere cupit, custodiam suorum sensuum adhibeat, necesse est. De eorum mortificatione ad virtutes summe necessaria actum est P. I. Cap. IV. per totum.

Sextò, sunt adhuc alia quædam observanda pro obtinendo passionum dominio, & consistunt in sequen- 39

quen-

quentibus. 1. In actibus virtutum ferventibus & intensis.

2. In moderatione iræ ejúsque usu secundùm præscriptum rationis. Quam ob rem supra n. 28. *in appetitu irascibili* iram principatũ tenere, & econtra virtutem mansuetudinis ad dominium passionum magìs conducere responsum est.

3. In fuga occasionum, locorum periculosorum, & Sociorum: Item in mortificatione tam sensuum internorum quàm externorum.

4. In exacta observantia minimarum regularum, ac fervore ad actus heroicos oportunâ occasione exercendos. Qui verò actus intensos virtutum nequeunt elicere, studeant saltem actus parvos exercere eo conatu, quem habent, & possunt, atque diu in ijs perseverent in parvis sese rebus etiam vincendo, minimas regulas observando, ac ad majorem intentionem actus suos, & per frequentes actus ipsos virtutum habitus perducendo.

5. In devota ac frequenti SS. Eucharistiæ susceptione; *licèt* enim *hoc Sacramentum non directè ordinetur ad diminutionem fomitis, diminuit tamen fomitem ex quadam consequentia, in quantum auget charitatem*, quia S. Augustino teste *augmentum charitatis est diminutio cupiditatis.* Ita S. Th. 3. p. Q. 79. a. 6. ad 3.

6. In singulari cura, ac sollicitudine, ne aliquis peccatis plenè deliberatis Deum offendat, etsi venialibus, & ut indeliberata peccata, quæ ex subreptione oriuntur, rarò committat, præsertim in materia periculosa, & ad Dei cultum spectante. In hæc enim deliberati lapsus obstant, quò minùs à Deo concedatur gratia pro acquirendo dominio. Clarè enim docet S. Th. 3. p. Q. 87. a. 1. ad 1. *Peccata venialia esse impedimenta spiritualis profectûs*, qui est dispositio ad illud dominium. Inter hæc porrò peccata venialia sunt, quæ influxum divinæ gratiæ magis impediunt, negligens resistentia tentationum circa castitatem, detractiones leves, locutiones, & sinistra tum de Superioribus, tum de confratribus (qui magis videntur contrarij) judicia, superba extollentia sui, & æstimatio naturalium dotum à Deo acceptarum, displicentia confusionis acceptæ, quæ oritur ex defectu humilitatis tepiditas, & neglectus tum in spiritualibus, tum in alijs quotidianis exercitiis. Si hæc observaverint, & fecerint, quod est in se, certi sint Deum quoque iis non defuturum cum sua gratia, quiqui ad heroicam sui victoriam, & generosam sensuum debellationem, atque ad perfectã affectionum & passionum suarum subjugationem, ac dominium plenum aspirant.

Notent tamen, quiqui passio- 40
num suarum dominium nancisci labo-

laborant, ne credant se subitò ad illud perventuros, nisi extraordinariis gratiis à Deo adjuventur, nec uno, ut dicam, saltu acquisituros esse, sed successivè, & per magnos labores, per multas mortificationes, & frequentes virtutũ actus; quia scalæ comparatur isthæc perfectio, ubi per gradus ascendendum est, *nemo* enim teste S. Bern. S. 1. *de S. Andrea repentè fit summus, ascendendo, non volando apprehenditur summitas scalæ.* Et. S. Laur. Just. *de casto connubio* c. 12. Testatur *quibusdam gradibus perveniri ad ipsum, nullus ad ultimùm attinget, nisi gradatim ascendat.* Hinc in parvis rebus primò se exerceant, seséque vincant, & mortificationi jugiter incumbant Religiosi Tyrones, atque ita paullatim ascendant per Dei gratiam.

41 Notent 2. Ad extirpandas passiones plus valere praxin, & exercitium frequens virtutum, quàm diuturnas contemplationes rerum divinarum; experientia enim docet eos, qui frequentes exercent virtutum actus meliùs proficere, quàm qui longis meditationibus, consolationibus, & orationis suavitatibus incumbunt sine exercitio: faciliùs enim hi labuntur, & ad minimam occasionem passionum iræ, odij, tristitiæ &c. motibus succumbunt, & in proprio judicio pertinaciter.

Notent 3. Fervore *naturali* non ita domari passiones sicut *supernaturali*, quem Spiritus Sanctus ingerere solet, licèt enim naturalis fervor ad virtutem in complexione miti, & tenera omninò conducat ad mentem bonam, & ad facundas passiones, facilius tamen superatur ab ijs, quia naturalis complexio ad utrumque facilè attrahitur. Econtrà charitas, & fervor supernaturalis difficultates superant, & fixè ad bonum virtutis inclinant. 42

Notent 4. In susceptione Sacramentorum, præsertim Eucharistiæ majorem semper adhibendam esse dispositionem, & actualem devotionem, ne impediantur effectus illius ex opere operato. Docet enim S. Th. 3. p. Q. 78. a. 8. ad 1. actualem effectum Eucharistiæ esse fervorem charitatis, & actualem delectationem. Ad quem spectant peculiaria quædam divina actualia, ut exercitiô charitatis, aliarúmque virtutum calori concupiscentiæ resistendo possit conservare vitam gratiæ &c. uti explicat P. Valentia T. 4. Q. 7. punct. 1. 43

LUC-

LUCTA SPIRITUS.

GEntium Doctor ad Gal. 5. luctam Spiritûs adversus carnis concupiscentias, & immoderatas passiones virgineo describit calamo, dum asserit, quòd *caro concupiscat adversùs spiritum, spiritus autem adversus carnem*, simúlque sonora vocis tuba excitat luctantes, modúmque suggerit optimum pugnandi adversus hostes carnales exclamans: *Spiritu ambulate, & concupiscentias carnis ne perfeceritis.* Notate verba, signate Mysterium, Orator & interpres S. Apostoli illustrissimus *ser. 43. de verb. Dom.* exclamat. Non dixit, ne habueritis, neque hoc dixit, ne feceritis: sed *ne perfeceritis.* Quia necesse est, ut habeamus illas. Quarè ergo non dixit, concupiscentias carnis ne feceritis; quia facimus eas, concupiscimus enim: ipsum *concupiscere facere* est. Sed ait Apostolus: *Jam non ergo operor illud, sed quod habitat in me peccatum. Rom.* 7. Ergò quid tibi cavendum est? hoc sine dubio, ne *perficias.* Surrexit libido damnabilis, surrexit, suggessit: non audiatur, non perficiatur. Decrevisti facere, perfecisti. Perfecisti etenim, si decernas faciendũ esse peccatum, quia perfecisti concupiscentias. Quid sit autem hoc? ipsam nobis luctam proposuit. In hoc prælio versamur, si Deó militamus. Ecce bellum, pugnam, rixam, luctam intus intra te ipsum. Caro concupiscit adversus spiritum, nempe delectat vindicta, placet Venus, perturbat odium, dejicit ignavus timor. Sed dum *spiritus concupiscit adversùs carnem*, luctam video, victum non video. Pugna est, *concupiscit caro adversùs spiritum*, delectat adulterium. Fateor, quia delectat, sed *spiritus concupiscit adversùs carnem*, delectat & castitas. Ergo vincat spiritus carnem, aut certè non vincatur à carne. Si Spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Sed ô Apostole quo spiritu dixisti facta carnis mortificanda, meo, an Dei? audi quod sequitur, & intellige, sublata est quæstio sequentibus verbis, quæ continuò addidit: quotquot enim spiritu Dei aguntur, ii filij sunt Dei. Rom. 8. Agis, si agaris: & benè agis, si à bono agaris. Ergò quod dixit tibi, si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Etenim ille redemptor tibi spiritum dedit, quo mortifices facta carnis, quotquot enim spiritu Dei aguntur, hi filili sunt Dei. Non sunt filii Dei, si non aguntur spiritu Dei. Si autem spiritu Dei aguntur, pugnant, quia magnum habent adjutorem. Non enim Deus sic nos spectat pugnantes, quommodo

modo spectat populus venatores. Populus venatori favere potest, periclitantem adjuvare non potest. Quid vult homo castus? ut nulla omninò surgat in membris ejus concupiscentia adversaria castitati; pacem vult, sed nondum habet: quando enim ad illud ventum fuerit, ubi nulla omninò exurgat concupiscentia adversanda, nullus erit hostis, cum quò luctetur, nec exspectatur ibi victoria, quia de hoste jam victo triumphatur. Ita præclarè Dux noster Augustinus commilitones suos cum Apostolo adhortatur, ad *luctam spiritûs* instruit, suóque exemplo ad pugnandum provocat. „ Ergo „quamdiu hic vivitur, fratres, sic „est, sic & nos, qui senuimus in ista „malitia, minores quidem hostes „habemus, sed tamen habemus, „Fatigati sunt quodammodo ho„stes nostri, jam per suppressioné „passionum, & malarum affectio„num ordinationem ac etiam per „ætatem, sed tamen etiam fatigati „non cessant, qualibuscunque mo„tibus infestare senectutis quie„tem. Acrior pugna Juvenum „est, novimus eam, transivimus „per eam. *Caro* ergò *concupiscit ad*„*versùs spiritum, & spiritus adversùs* „*carnem, ut non ea, quæ vultis faciatis,* „O Sancti, ô boni præliatores, ô „fortes milites Christi? quid vul„tis? ut non sint omninò concu„piscentiæ malæ? sed non potestis. „Exercete bellum, sperate trium„phum. Ecce! quod nolo, ma„la desideria surgunt, sed noli obe„dire. Arma te, sume instrumen„ta bellorum. Præcepta Dei ar„ma tua sunt. *Noli exhibere membra* „*tua, arma iniquitatis peccato. Rom. 6.* „Noli armare adversarium tuum „contra te. Tene pedes, ne eant „ad illicita, libido surrexit, tu tene „membra tua. Tene manus ab „omni scelere, tene oculos, ne „malè attendant. Tene aures, ne „verba libidinis libenter audiant. „Tene totum corpus. Tene late„ra, tene summa, tene ima. „ Hucusque peroravit illuminatissimus Doctor noster, & *luctã spiritûs* mentis oculis spectandam non solùm exhibuit, sed etiam spiritualem pugnandi modum nos docuit. Juvenilis sed fortis pugnator exstitit S. Bernardus Mentonius Archidiaconus Augustæ Salassorum, dum hostiliter rebellantes concupiscentiæ motus, omnésque orci insidias gloriosè superavit. Cùm enim splendissimè illustri & virgineo Juveni jam jam paratæ essent nuptiæ, nocte præcedente Dei inspiratione Sanctisque Nicolao & Angelo Custode comitibus, post S. Crucis signum fronti impressum (alia enim non restabat via evadendi) per fenestram arcis heroico saltu sese demisit in subjectam rupem, & per ignotos calles inter geminos divos præsidiarios ad Augustæ urbis portas fuit delatus raro sanè & in audito miraculo. Quàm cordatum

datum *vale* tunc dixerit, cùm se vidisset in eo positum asylo? quantis laudibus divinam bonitatem celebraverit, cùm se salvum superato mari, mersos verò Ægyptios conspicatus est? quàm dulce ac amabile osculum terræ infixerit, in quam erat à Deo deportatus? quoties se in holocaustum obtulerit? quanto gaudio oculísque præ solatio madentibus ad B. Virginis templum se contulerit? sine tenero animi sensu, lætísque lacrymis recoli non potest. Ubi à cœlestibus ducibus fuit desertus, mox in Petrum Archidiaconum incidit, qui præcedenti nocte à S. Nicolao etiam admonitus eodem tempore illum oppetiebatur. Ab hoc igitur humaniter exceptus Bernardus castos amplexus, & dulce osculum tulit: inde peractis inibi precibus, manu prehensus & in domo discipuli & Successoris locò habitus est, ubi spiritualis vitæ initia posuit. Antequam verò discesserat à ditione paterna, Epistolam ad parentes voti sui testes in cubiculo reliquit. Placet fragmentum velut Sanctæ mentis reliquias è Breviario Augustano apponere. *O dulcissimi parentes! gaudete: Rex Salvator me conducit, vado secum salvari, nolite ampliùs me quærere, nolite meâ causa esse solliciti. Neque sponsam, neque dynastiam, quam mihi vultis relinquere, neque ullam in terris ditionem volo: tota mea ambitio cœlum petit.* Disciplinâ clericali optimè imbutus, & Cathedrali collegio accensitus post susceptos S. Ordines insigni facundiâ publicas conciones ad populum habuit: ceu tonitru ac fulmen auditorum animos salubri dolore perfregit, mirásque morum in melius conversiones effecit, divinum ignem in omnem partem circumferens. Ven. Petro Archidiacono ejus in divinis Magistro vitâ functô, pedum Archidiaconale Bernardo delatum fuit communi omnium calculo Anno 969, ætatis verò illius 46. Quanta Sanctitatis exempla Augusta tota à S. Archidiacono suo hauserit describendis haud sufficeret calamus. De iis nos alibi. *Ex vita à Reverendissimo Rollando Vioto Præposito gallicè conscripta, & à R. P. Adamo Schirmbeck S. J. latinè reddita, atque Monachii An. 1652. impressa typis.*

Inter spirituales Luctatores meritò à nobis numerandi sunt, quos brevi calamo constringimus, ne eorum gloriosa memoria apud posteros intermoriatur. Sic B. Gaufridus Gallus Luctam Spiritûs adversùs rebelles concupiscentias magnanimiter iniit in Ecclesia S. Rufi Regularis Canonicus. Vitæ Sanctimoniâ Concanonicorum suorum oculos animósque perstringente, Abbas hujus in Gallia celeberrimi Monasterii S. Rufi Avenionensis, ac tandem ultra montes in Hispaniam penetrante ad Insulam Dertosanam ordine XV. Episcopus assumptus est. Ex patrio

Collegio suo septem primos Canonicos ad Dertonensem Cathedralem Ecclesiam secum attulit, & regularem conservavit. Post insignia virtutum specimina atque regularis disciplinæ merita Sanctè decessit 28. Maii Anno 1165. sepulturam nactus in Sacello S. Candidæ cum sequenti cenotaphio:

Antistes primus Dertosæ laudis opimus
Gaufridus dictus de cœlo sit benedictus
Hac sunt sub fossa Dertosæ Præsulis ossa,
Centum cùm mille decies sex quinque sit ille
Annorum Christi numerus, quo transitus isti.
Spiritus astra petit tumulo corpus requiescit.
Junius est mensis cum . . . .
Quinque Kal. . . . .

Ex Martyrologio Hispaniæ Joannis Tamay Salazar.

Reverendissimus & illustrissimus Marius Locherensis Suevus à passionum dominio, virtutum omnium encomio, & scientiarum laude suo ævo percelebris Germaniæ innotuir. Postquam in leges Canonici Ordinis nostri juravit in inclyta Canonia S. Michaelis ad insulas Wengenses Ulmæ Imperiali Sueviæ civitate missus à Superioribus suis cum alio quodã Canonico suo Martino Millio, Viennam Austriæ studiorum causa in iisdem tantos fecit progressus, ut in magnum evalerit Viennensis Universitatis SS. Theologiæ Doctorem. Exinde constitutus Concionator Ecclesiæ Cathedralis Ratisbonensis tum Episcopus Sidonensis ac Suffraganeus Frisingensis Episcopi sicut decertavit plurimùm quà calamo quà voce contra errores Lutheri ac Oecolampadii, verus ipsorum malleus ita etiam ab iis multas persecutiones sustinebat, ac non rarò evidens vitæ periculum incurrebat, ipsomet teste in litteris ad Reverendissimum D. Casparum Durandi Præpositum Ranshouianum in Bavaria datis. Quæ tamen omnia constanti animo elusit, persistens in defendenda Orthodoxa & refutanda heterodoxâ Religione, ad ultimum usque halitum, quem ipsi immatura mors interclusit Anno 1543. *Ex litteris Ransbovio, & à R. P. Joanne Gamans S. J. acceptis, apud Rdm. Grueber in Theat. virt. 29. Maij.*

Eodem sæculo XV. haud vulgari sanctitatis & doctrinæ laude floruit Reverendissimus, & Illustrissimus D. Celsus Mancinus Ravennatensis ex Congregatione Lateranensi. Cùm salutare remedium litterarum studium esse probe sciret Philosophicis ac Theologicis scientiis præcipuam vitæ partem laudabilissimè impendit insignis Theologiæ Doctor & Professor variis cathedris præfuit. Ob tantam doctrinæ famam ex Abbate ad

S.

S. Mariam Pacis Romæ à Clemente VIII. Summo Pontifice Episcopus Alenanus inter Salentinos creatus mitram raris virtutibus exornavit. Pallatium Episcopale in angustiorem formam adjectis secundum artem architectonicam ædificiis redegit, magnísque sumptibus splendidiùs reddidit. Ne suæ *Sponsæ* decor deesset & sacrata venustas, argentea supellectili pretiosis ornamentis, sericis vestibus aureisque vasis dotavit, ditavit, & in omnium oculis splendentem suis ipse pietatis operibus velut margaritis insigniter ornavit. Intereà largis stipendiis pauperum Pater ab omnibus audiit, atque viginti annos sanctè administrata Provincia piissimus fatis cessit Pastor Anno 1618. *Ex Lyceo. Rosini L. 3.*

ARTICULUS VI.

De affectibus rationalis appetitûs, & singularibus coercendi remediis.

SUMMARIUM.

44. *Ratio repetitæ materiæ.*
45. *Amor sui velut genus aut honorem, aut vitæ conservationem spectat.*
46. *Ejus affectus uterque detegitur.*
47. *Assignantur remedia.*
48. *Voluntas propria ab amore differt tanquam species à suo genere, & internas solùm comprehendit actiones, voluntatis propriæ opera displicent Deo.*
49. *Quàm utilis & necessaria ejus mortificatio sicut à subdito, ita & à Superiore instituenda.*
50. *Affectus propriæ voluntatis nimia sui confidentia, & hujus signa.*
51. *Remedia afferuntur specialia.*
52. *Signa gloriosæ sui diffidentiæ.*
53. *Vana gloria, & sui complacentia malæ proles voluntatis.*
54. *Medicamina adhibentur.*
55. *Quàm miseri, qui vanum appetunt honorem, tam felices, & gloriosi contemptores illius.*
56. *Curiositas, contentio, inobedientia, & Familiaritas nimia non degeneres sunt voluntatis, & amoris proprii soboles.*

57. Fructus dulcissimi à passionum dominio proveniunt. Inter eos Manna absconditum exponitur; & exemplis comprobatur.

44 Licèt in Parte prima cap. IV. de Passionum mortificatione actum fuerit, & hucusque in præsenti capite pro instructione Tyronum satis prolixè de iis generatim tractaverimus, operæ pretium tamen fore quin & necessarium duximus, ut pravas affectiones in superiore animæ rationalis parte residentes singilatim perstringeremus, illarum naturam in suis malis effectibus & signis ostendendo, remedia dein particularia cuivis breviter assignando. Quamvis enim neutiquam arbitrari debeamus, acsi affectiones, vel passiones actualia semper sint peccata, quia tamen inclinationes ad peccata sunt, operam omnem impendamus, oportet, ne in peccatum trahant, proin à nobis coercendæ & refrænandæ sunt. Initium ponimus ab affectionibus animi seu partis superioris, inter quas principatum tenent amor proprius & voluntas propria. Nunc ergo

§. I.

De amore proprio, & speciali coercendi remedio.

45 Amorem proprium expressit gentium Apostolus 2. *Tim.* 3. quando inordinatè se amantes ità graphicis verbis descripsit: *In Novissimis diebus erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus inobedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace. Criminatores, incontinentes, imites, sine benignitate; proditores, protervi, tumidi: & voluptatum amatores, magis quàm Dei &c.* Cùm igitur pateat ex sequentibus amorem proprium damnis, quàm malus sit nimius sui amor, ejus affectiones singulas, quantum hæ paginæ admittunt, producemus. Dividitur in duos malos ramos *sui amor*, dum nimirùm illius affectus continetur in rebus ad honorem proprium spectantibus, aut ad conservationem vitæ, corporis, & temporalium bonorum pertinentibus. Duo enim in omnibus creaturis attendit Deus, nempe suam gloriam, & dein commodum & necessitatem humanam: sed amor utrumque evertit, dum sicut Lucifer alter se ipsum Deo opponit adeò, ut, quam soli Deo debebat homo gloriam, modò sibi arroget, postea pro conservanda carnali vita magis puram voluptatem, quàm necessitatem quærat.

Amo

46 Amoris autem proprii affectus ad honorem spectantes sunt ejusmodi. 1. Pudefieri ob defectus naturæ, ut deformitatem vultûs, membra distorta, vocem asperam, officii vilitatem &c.

2. Nolle admissam culpam fateri, ne aliquid de bona opinione perdatur.

3. Ea libenter tractare, & loqui, unde speratur aliquid honoris & laudis.

4. Optare ab aliis laudari, magnifieri, item velle haberi, pro humili, pio, docto, aliisque virtutibus ornato.

5. In omnibus operibus laude dignis magnum studium adhibere, ut omnia rectè in publico, & sine cujusquam querela fiant: quæ verò secreta sunt, ac soli Deo nota, parum curare. Ut si quando publicè orandum est, sis devotus, si verò privatim, distractus, & incompositus. Item si publicè facienda Eleemosyna, aut aliud charitatis opus, promptissimus sis, si clam, nullo præsente, tardissimus.

6. Negligere bona opera, ut jejunare, carnem castigare, eo solùm prætextu, ne existimeris vanæ gloriæ captandæ causâ illa fecisse.

Alii sunt amoris proprii affectus ad vitæ conservationem curámve corporis & cætera pertinentes. Hujusmodi sunt. 1. Multum temporis consumere in concinandis vestibus, cubiculo, exiguúmque spacium faciendo examini conscientiæ, & rosario lectitando relinquere.

2. Advigilare ut famuli domûs, & liberi summo manè è lectis se proripiant, & ne minimum quidem temporis punctulum, ad quæstum faciendum negligant: nihil autem laborare, ut sacrificio Missæ intersint, peccata confiteantur, Christianam doctrinam addiscant, & divina mandata præstent.

3. Operam dare, ut reditus & census annui persolvantur, & negligere, ut famulorum salaria, & debita contracta suo tempore restituantur.

4. Laborare, ut æquè ab externis ac à domesticis honos sibi magnus cum magna submissione habeatur, & parvi facere, si divinus negligatur, immò juramentis, blasphemiis, murmurationibus, detractionibus, & aliis peccatis offendatur.

5. Si allaboret, ut supellex, & quicquid in ædibus objectum est oculis carnis belle niteat, sit mensa lauta & palato grata, parùm vero curet animam esse puram à vitiis, & virtutibus humilitatis, & mansuetudinis aliisque ornatam, atque ita compositam, ut divinis oculis placeat.

6. Si pia opera negligat, ne ab aliis rideatur, aut damni quid ferat, maximè si erant opera lege aliqua divina vel humana imperata.

7. Si singulari amore aliquem pro-

prosequatur, cujus consuetudine in magnas animi distractiones, & perturbationes incidat, contristetur autem, si ejus familiaritate frui nequeat.

47 Remedia contra istum amorem in genere acceptum, ejúsque pravos affectus assignantur ab Ascetis æquè generalia. Contra affectus ad honorem spectantes contrarii prorsùs affectus sunt exercendi. 1. Naturæ defectus patefacere. 2. Noxas vel ex ignorantiâ vel ex incuria commissas (præciso scandalo) non celare. 3. Hominum contemptum non curare, sed ex principiis veræ humilitatis potiùs quærere, & desiderare, ut apud homines talis habeatur, qualis sit apud Deum. 4. Non respuere humilia officia. 5. In omnibus exercitiis spiritualibus sive privatis sive publicis æqualiter se habere, quamvis cæteris paribus libentiùs velit Deum in occulto colere, ne vana subrepere possit humana laus. Unde eo sequitur 6. nullas calumnias metuere, irrisiones non curare aliorum, nec, ne vanæ gloriæ auceps habeatur quidquam respicere suis in exercitiis & operibus, unde ex isthoc dogmate sola Dei gloria & animæ salus oritur, quæ maximam tranquillitatem & gaudium in corde progerminat. Quod mortificationes secundi generis affectuum nempe conservationem vitæ & curam temporalium spectantium observandum, ne supervacanea, lenia, delicata, & pretiosa in cibo, potu, vestitu, somno, recreatione, cubiculo, & aliis id genus pluribus corporis commoditatibus admittantur, & plusquam voluptati quàm necessitati servientia adhibeantur, sed Magni Basilii hac in parte stetur Sententiæ *orat. 22. de An.* ubi universalem fert legem, qua ratione anima succurrat corpori asserens, *corpus serviendum non esse, nisi necessitate postulet.* Scilicet ita sit comparatus amoris proprii expugnator, ut in corde suo dicere possit: si possem sine ùlla voluptate necessitati succurrere, ob Dei amorem, & ad imitandam Christi Crucem, libenter facerem. Rebus necessariis neque affectu, neque effectu vel inordinato fine utar nisi solùm ut naturali necessitati, & divinæ ordinationi (quæ in eo consistit, ut utamur creaturis ad corporis nostri sustentationem) faciam satis. Ita R. P. Franc. Arrias. Tr. 3. p. 2. c. 1. & 2. Quare præclarè Doctor noster Asceticam doctrinam in subjugatione amoris proprii complectitur, quando *Serm. 47. de diverſ.* voluntatem nostram in omnibus jubet subordinari voluntati divinæ, ut nec ad honorem nostrum nec ad commodum corporis quidquam quæramus citra Dei gloriam, & infinitæ Providentiæ ordinationem. Sicut enim prima hominis perditio ex nimio sui amore provenit, ita ex abnegatione sui, & voluntatis sub-

ſubjectione ſalus fuit reſtaurata. En Africani Eccleſiaſtis verba! „Prima hominis perditio fuit amor „ſui. Si enim ſe non amaret, & „Deum ſibi præponeret, Deo eſſe „ſemper ſubditus vellet. Non autem converteretur ad negligen-„dam voluntatem illius, & facien-„dam voluntatem ſuam. Hoc eſt „enim amare ſe, velle facere vo-„luntatem ſuam. Præpone his „voluntatem Dei, præpone melio-„ris voluntatem: diſce amare te „non amando te. Et nunquid qui „amat ſe, fidit in ſe? incipit enim „deſerto Deo amare ſe, & ad ea „diligenda, quæ ſunt extra ſe, pel-„litur à ſe uſque adeò, ut cùm di-„xiſſet idem Apoſtolus, *erunt ho-„mines ſe ipſos amantes*, continuò ſub-„jiceret *amatores pecuniæ*, tanquàm „rei temporalis & fortunæ appe-„tentes.

Præclarus amoris proprii Expugnator fuit V. Hugo de Folieto Canonicus Regularis S. Petri Cordubenſis litteris, ſcientiis, vitæ ſanctitate & mirabili eloquentia conſpicuus. Ut non ſibi tantùm, ſed aliis quoque viveret, tempus ferè omne librorum ſcriptioni impendit. Religioſis inprimis volumen reliquit quatuor diſtinctum libris *de clauſtro materiali, ſpirituali, anima, & Paradyſi, de diſciplina Monachorum, de duodecim abuſionibus Clauſtri, & de duodecim Patriarchis.* Scribitur à quibuſdam in S. R. E. Cardinalem aſſumptus ob inſignem & excellentem ſuo ævo doctrinam. Florere deſiit vivus An. 1120. *Ex Conſt. Ghinio ad diem 5. Julii, & aliis ibi citatis.*

Udalricus Strobelius Langenauenſis Suevus Præpoſitus XVI. Wengenſis Ulmæ ſui victor glorioſus ſicut Vir Religioſus, & divini cultûs zeloſus Canoniam ædificiis, magiſque virtutibus illuſtravit Anno 1445. *ex Bruſchio & Rdmo. Grueber in Theatro ad diem 20. Februarii.*

§. II.
De voluntate propria, & eam mortificandi communi omnibus Regula.

48 VOluntas popria ab amore proprio diſcrepat ſicut ſpecies à genere & totum à parte: nomine enim *amoris proprii* omnes affectus & motus inordinati tam appetitus rationalis, quàm ſenſibilis, quibus homo ſe ipſum quærit, continentur. *Voluntas propria* autem duntaxat comprehendit actiones & commotiones partis rationalis, quibus homo non Deum, ſed ſe ipſum quærit tanquam primarium finem. Id homini contingit, quotieſcunque cupiditate fertur in rem

quampiam nullo virtutis fine præstituto, sed ideò tantum facit aliquod opus, quia ita placet, & collibet. Dum igitur Dei voluntati & dominatui se se subducat propria voluntas, non possunt non omnia mala inde pullulare, & ordo regulatûs in hoc mundo everti. Præclarè Clarvallensis Asceta varios animæ morbos vitia scilicet perpendens *incurabilem* appellat *lepram* propriam voluntatem; sicut enim lepra per totum corpus diffusa omnia membra pestifera lue inficit, ita quoque *propria voluntas* omnia opera etiam bona turpiter vitiat, & bonitatem illorum perimit, & restinguit. *Lepra nimis pessima propria voluntas* (sunt verba S. Abbatis *Serm. 3. de resurrect.*) *eòque perniciosior, quò magis interior. Voluntatem dico propriam, quæ non est communis cum Deo & hominibus, sed nostra tantum: quando quod volumus, non ad honorem Dei non ad utilitatem fratrum, sed propter nosmetipsos facimus, non intendentes placere Deo, & prodesse fratribus, sed satisfacere propriis motibus animorum.*

Quòd opera ex amore proprio facta ingrata sint Deo utpote recto fine destituta Propheta Isaias c. 58. declarat, dum populum conquerentem introducit: *quare jejunavimus, & non aspexisti, humiliavimus animas nostras, & nescisti?* cui respondit Dominus: *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra.* Quasi diceret: ideò non aspexi, quia in jejuniis vestris rectum finem non præstituistis meæ scilicet voluntati parendi, & meam gloriam promovendi, sed proprio motu jejunia & humiliationes instituistis solùm, ut immissa mala à vobis averteretis,

Quamvìs mortificatio corporalis admodùm utilis sit & salutaris, 49.
magìs tamen necessaria est propriæ voluntatis abnegatio; nam pravæ carnis inclinationes sunt quidem fons & radix peccatorum, nisi tamen consensus propriæ voluntatis accesserit, veri peccati rationem non habent. *Sola voluntas namque se subtrahit, & subducit Dei dominatui, cui tanquam Auctori servire jure debuerat, dum efficitur sua. Hæc adversùs Deum inimicitias exercens est.* Ita S. Bern. *Præfat. Serm. 3. de res.* Unde factum ut potissima cura antiquorum Patrum in instituendo Novitio esset abdicatio voluntatis propriæ. Ita *Cassianus L. inst. c. 8.* præscribit, *ut doceat eum* (scilicet Novitium) *Senior primitus suas vincere voluntates, quem studiosè in his ac diligenter exercens, hæc illi semper imperari curabit, quæ senserit animo ejus esse contraria: alioquin non solùm non acquireret virtutes Religiosis necessarias, sed nec in Cœnobio diutiùs perdurare eum affirmabant, qui priùs voluntates suas non didicerit superare.* Atque hæc Religiosissimus ille Magister de iis scripsit, qui subsunt aliorum imperio, & sub obedientia vivunt. Qui verò sub aliorum obedientia

non

non ſunt, uti Prælati, & tamen ſincerè deſiderant ſervire Deo, præterquam quòd rectum finem ſuis actionibus, & operibus præmittant, propenſiones animi ad examen revocare, &, quorſum propria tendat voluntas, bene ſcrutari, ſibi ipſi imperare, atque contraria contrariis propellere debent, niſi voluntatis propriæ mancipia à ſuis ſubditis argui velint.

Praxin aliquam iſtis ad manum præbet cit. Arrias L. 1. c. 3. & Fatius *de mortif. c. 11.* dum in exemplo cuipiam ita ſuadent: Venit in mentem tibi officium honorificum, ſtimulant te honores delati, extollunt te obſequia à ſubditis præſtita. Placet tibi nunc exire in hortos frequentare ludos, converſatione amœna tempus terere, nunc res præclarè geſtas enarrare. Illicò perpende ſitne iſtud vel illud ad Dei gloriam, vel animæ & corporis ſanitatem? ſi inveneris ità eſſe, progredere in tua voluntate: ſin minùs deſiderio & propriæ voluntati contrarium elige. Concutit animum nunc cura temporalium, viſitare villas, luſtrare campos, ſylvas inviſere, & ad externa etiam cum magna corporis commoditate divertere, inquiras, an oppoſitum non magis ſit ad Dei gloriam, & animæ ſalutem, ut, ſi per ejuſmodi excuſſiones domi ſpirituale emergat damnum. Alius difficultatem ſentit proximos alloquendi, ſalutandi, ægri curam ſuſcipiendi, & ſimilia exercendi, quòd ſi ſe recollegerit, voluntatem ſuam expugnando contrarium fecerit, ſatis ſuam voluntatem abnegâſſe cenſendus ſit. Hoc modo, qui nulli ſubjectus eſt, propriam mortificare voluntatem, ſe ſéque omnium meritorum, ac fructuum ſpiritualium participem reddere poterit. Exemplum hujus doctrinæ Divinus Magiſter nobis reliquit; eo enim potiſſimùm tempore, quo Chriſtus D. Salvator noſter factus in Agonia prolixiùs orabat in horto, cùm hinc voluntas Patris urgeret, ut amarum paſſionis calicem, qui ſibi imminebat, biberet: inde verò voluntatis naturalis appetitus, ac ſenſus abhorreret, mox ipſe abnegando hanc ſuam voluntatem, & divinam toto animo acceptando: dixit: *Non mea voluntas, ſed tua fiat. Luc. 22.* Sed quoniam in modo etiam patiendi aliquid propriæ voluntatis poterat immiſceri, hac itidem ex parte ſuam abnegavit voluntatem; quando addidit: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu. Matt. 26.* Atque ita ſe jungens à voluntate ſua, quidquid ſecundùm inferiorem partem ſenſûs potuiſſet eſſe proprium; reddidit eam omni ex parte divinæ penitùs conformem, tam in voluntate ipſa, quam in modo eandem exequendi. Cætera de mortificatione voluntatis p. 1. a. 8. ſ. 281. videri poſſunt.

Regulas propriam expugnandi

voluntatem Superiore dignas non verbis sed opere tradidit Rmus. Joannes Bernardi Belga Congregationis Windesemensis Prior Generalis. Quamdiu enim dignitatem istam tenuit, semper sibi fuit simillimus, alloquio suavissimus, ad levamen afflictorum mirè dexter, & quæ suam concernebant Provinciam agendorum. Quas alii non rarò occludere solent, apertas ille ad excipiendas quorumvis subditorum quærelas semper tenebat aures, & quidem majori patientia, quam sperari posset à Præsule tot negotiis occupato. Eminebat porrò in illo animus ad Deum erectus in adversis constans, in prosperis humilis, jugi oratione, pietatísque studio stipatus, cujus erant comites amoris & voluntatis propriæ tantæ abnegationes, ut bene ordinatæ aliorum voluntati potiùs subesse, quàm præesse videretur, Ad cœlestem pro meritis coronam vocatus est Anno 1649. *Ex Litteris Reverendissimi Petri à S. Trud. Generalis in hac congregatione, & Joannis Successore.*

Ambrosius Marlianus Papiensis cùm Regalis Canonicæ ad S. Petrum in cœlo aureo Præpositus esset, dignitate ista se abdicavit, ut voluntatem propriam supprimeret, majorésque fructus à salute animarum docendo, & concionando (erat enim Theologus & Orator toti Italiæ notissimus) reportare valeret. Magnus planè suorum Canonicorum Rector, at Major, dum sui. Decessit Anno 1632. *Ex Lyceo Lateran. Rosini L. 1.*

In Patria quoque nostra calentia prostrati amoris proprii extant vestigia. Placet ex multis adducere Fridericum Gunderstorffer Præpositum Archidiaconalis Ecclesiæ Ranshoviensis in Bojaria, qui pietate & vitæ regularis zelo inflammatus laboribus nullis pepercit, ut aliquatenus collapsam disciplinam Canonicam restauraret. Hunc in finem certas constitutiones seu statuta conscripsit, quibus suos Canonicos ad exactam vitæ normam, virtutum studium, & præcipuè ad veram voluntatis propriæ abnegationem per promptissimam obedientiam compendiosa viâ duxit. Administrata laudabilissimè quatuor Annos Præfectura ad superos abiit. Anno 1448. *Ex Metropoli Salisburg. p. 3.*

§. III.

§. III.

De propriæ voluntatis affectibus, nimia sui confidentia, vana gloria, & affectu honoris.

50 QUia voluntas propria *Matrix malorum fœtuum* ab Ascetis nominatur, debemus proles quasdam spectandas exhibere. Inter eas primogenita est *nimia sui confidentia*, quæ adeò periculosum est vitium, ut omnium virtutum hostis meritò dici valeat. Quò magis verò occultū & spirituale est, eò minùs cognosci, & remediū applicari potest. Igitur aliqua signa añotabimus hujus confidentiæ, ut faciliùs medicina adhibeatur. I*mum*. est, quando pia desideria, bona proposita, & opera intenta pereunt, & suo frustrantur effectu. E. g. Deo suggerente proponit superbus, se velle humiliter aliis subesse; impatiens se qualemcunque injuriam & adversitatem æquo tolleraturum animo, intemperans se bibendi, edendíque cupiditatem refrænaturum judicii proprii tenax se superiorum jussa promptissimè executurum absque ulteriori ratiocinio &c. Postea propositorum horum à Deo inspiratorum vel obliviscitur, vel nimium differt, & occasione oblatâ opera intenta non præstat, immò minimæ etiamtentationis tempore contrariū facit, signū est nimiæ confidentiæ. Causa hujus est, quòd pia illa desideria non attribuantur divinæ liberalitatis fonti, sed sibi & propriæ industriæ, existimetúrque suis viribus ea perfici posse. Exemplum hujus refert Sacra Scriptura in S. Petro, qui supra Apostolos audax cum Magistro suo mori magìs se velle dixit quàm negare eum.

Alterum signum habetur ex frequentiori lapsu in certa peccata, dum scilicet quis v. g. magis in uno quàm in altero officio, in alio loco, in alia societate vel pericula se evasurum, vel tentationes victurum sibi persuadet, intereà parùm in incepto vivendi genere de auxilio divino confidit. Quod idem est, ac absque superno consilio arma capere, prout præclarè animadvertit S. Basilius apud Fra. Arriam *Tr. de vera diffidentia. c.* 1. 2. & 3. *Qui serviunt Deo, à Dæmone frequentibus & variis tentationibus agitantur tristitia & diffidentiæ de Deo, ut bona inchoata deserant, ut non perseverent, ut existiment se Deo charos non esse, ut locum, societatem, rationémque vivendi cum alio severiore commutent, in qua Dæmon novit plura fore ad labendum pericula, his aliisque id genus tentationibus speciem boni præferentibus Dæmon servos Dei aggreditur. Quos verò vincit? eos, qui plus æquo confidunt sibi.*

Tertium signum nimiæ suæ confidentiæ est, quando quis variis & fre-

frequentioribus agitatur tentationibus, iisque aliquoties succumbit. Et denique certum pravæ confidentiæ signum est nimia sollicitudo certam acquirendi virtutem, nimia & anxia cura rerum agendarum, temporalium & domesticarum, nimia dejectio in quibusvis, adversis, ubi parùm in forti brachio excelsi confiditur, cùm tamen constet, omnia opera nostra, ut sunt jejunia, vigiliæ, orationes meditationes, quomodocunque ad acquisitionem virtutis vel certæ gratiæ directa, labores quoque & afflictiones secundùm naturam suam considerata vim nullam ex se vel efficaciam habere, nisi à gratia auxilóque divino illis conjuncto. Hinc dum in divino præsidio spem suam totam non ponunt, nihil sibi attribuendo, mirum non est, quòd cum passionibus immoderatis continuum bellum experiantur, solitam non acquirant virtutem, bonorum operum fructu priventur, & spiritualis lucri jacturam deplorandam faciant. Ita multi Servi Dei Sanctioris vitæ initium nunquid de malo ? faciunt, vigiliisque, jejuniis, diuturnis precibus, & medidationibus, charitatis quoque operibus se gnaviter exercent, tandem gratia divina excidunt, & in alias calamitates incidunt, non alia de causa, quàm quòd plus æquo industriæ suæ tribuant. Ita Arrias. L. c.

51 Remedia contra nimiam sui confidentiam tria assignantur. Primum est, probè intelligere omnia bona, sive naturam eorum & virtutem, sive actiones, & effectus spectes, à Deo esse. Itaque in omnibus operibus, quæ ad Dei gloriam facere cogitas, ac in omnibus virtutibus, quas acquirere conaris, agnosce cuncta esse dona Dei, & sine illius peculiari auxilio nihil eorum te posse præstare. Ex hac cogitatione disces submissè de te sentire, in te non confidere, & opera bona unicè ad Dei te adjuvantis gloriam referre. Id perpendens S. P. N. suspirans ad Auxiliatorem Deum exclamat. *Soliloqu. c. 15. Aperuisti mihi oculos lux, & excitasti, & illuminasti me, & vidi, quoniam tentatio est hominis vita super terram, & quòd gloriari non valeat ante te omnis caro, nec justificabitur omnis vivens, quoniam si quid boni est parvi, vel magni donum tuum est, & nostrum non nisi malum est. Unde igitur gloriabitur omnis caro. Nunquid de malo ? hæc non est gloria sed miseria sed nunquid gloriabitur de bono, nunquid de alieno ? Tuum Domine est bonum, tua est gloria?* Secundum remedium est non solum credere nihil ex omnibus esse suum, nisi nihil & peccatum, omnia verò bona esse à Deo, sed intimo quoque voluntatis affectu, se ipsum tanquam creaturam, cui nihil boni insit, despicere, & si quid boni insit, id totum ejúsque gloriam omnem in auctorem Deum conferre. In praxi doctrinam hanc facilè persua-

ſuadebit ſibi, qui quotidianas mutationes de bono in malum in ſe obſe vat, qui ab experientia ſcit faciles lapſus in levia peccata, quæ nonnunquam in gravia viam pandebant. Qui notat in animo gratias prævenientes, & dulces motiones à Deo inditas ante omne ſtudium humanum, quibus aſſenſum quoque præbuit: econtra nonnunquam pro impetranda gratia magnum quis adhibuit conatũ precibus, meditationibus, aliiſque operibus, aſt omnia incaſſum ceciderunt, & totus quantus aridus permanſit quaſi à Deo derelictus. Ex hac vicisſitudine ſtatûs humani per quamdam experientiam facile devenitur in cognitionem ſuæ imbecillitatis, & animadvertit homo, quàm vacuꝰ ſit ab omni bono, quòd omne bonum à Deo proveniat, & in illum tanquam in fontem referri debeat. Ex his permutationibus cor Magni Patris Auguſtini agitatum egregiam diffidentiam ſui didicit, ita alloquens gratiæ Largitorem: *Fortiſſime magnipotens Deus ſpirituum univerſæ carnis, cujus oculi ſunt ſuper omnes vias filiorum Adam &c. Oſtende mihi, ut confitear tibi paupertatem meam: quoniam dixi, quod dives eſſem, & nullius egerem; & neſciebam, quoniam pauper eram, cæcus, nudus, miſer & miſerabilis. Credebam enim, me fore aliquid, cùm nihil eſſem. Dixi, ſapiens efficiar, & ſtultus factus ſum. Cogitabam me eſſe prudentem, & deceptus ſum, & video nunc, quia donum tuum eſt, ſine quo nihil poſſumus facere, quia niſi tu Domine cuſtodieris civitatem, fruſtra vigilat qui cuſtodit eam. Sic docuiſti me, ut cognoſcerem me. &c.* Sed indigniſſimus ego Filius tuus quæro à te Pater Sanctiſſime, ex quo fonte hauſeris ſublimem doctrinam & à ſæculo abſconditam, quæ ad tantam ſubmiſſionem te perduxit, tantámque diffidentiam tui in te produxit? Et ecce! reſpondet: *Credebam me aliquiquid fore ex me, exiſtimabã me ſufficere per me: nec percipiebam, quoniam tu regebas me, donec aliquantulum te elongaſti à me, & cecidi ſtatim in me, vidi, & cognovi, quoniam tu regebas me, & quod cecidi, fuit ex me, & quod ſurrexi, ex te.*

Tertium remedium eſt ſtudioſa ac fervens oratio. Poſtulemus igitur à Deo in omnibus precibus hanc virtutem: non ceſſemus clamare ad Miſericordiæ divinæ portas, donec Theſaurum hunc à Deo impetremus, nec omittamus nos cum gemitu commendare B. V. Mariæ, Angelis, aliiſque Sanctis, ut eam nobis exorent. Neque enim fallere poteſt verbum Dei dicens Matth. 7. *Petite, & accipietis quærite, & invenietis, pulſate, & aperietur vobis.* In omnibus actionibus mente in Deum ſublatâ gratiam & benedictionem è cælo petamus dicendo ad initium operis: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me feſtina &c.* Quàm potens ſit medium quasvis à Deo impetrandi

trandi gratias oratio, constat ex p. 1. c. 5. & supra ex num. 34. & sequentibus.

Signa gloriosæ sui diffiden-
52 tiæ sunt. 1. Quando bonum aliquod opus ad gloriam Dei & proximi salutem suscipitur, etsi quis videat, impares esse vires, nihilominùs spe auxilii divini illud fortiter prosequitur. Ratio est, quòd omnis, qui fiduciam suam unicè collocat in Deo, inchoäti operis successum & felicem exitum, non ex sua industria sed Dei omnipotentia metiatur, atque hæc nullis clauditur limitibus: sequitur ergò istud opus non frustrandum suo effectu.

2. Si pericula peccandi in injunctis ex obedientia officiis, in quibus facilior est lapsus, benè prævideantur, & ad levissimas tentationes citò concursus fiat ad cæleste auxilium, quod humilem nunquam destituet.

3. Si sancto quodam & casto timore indutus reformidet etiam in minimo Deum offendere. Hoc modo fit, ut considerans ex una parte suam imbecillitatem, & ex altera ad malam inclinationem velut in bivio spem inter & metum hæreat, atque ignarus, an amore Dei an odio sit dignus? Juxta Apostolum *Philipp. 2. cum timore & tremore salutem suam operetur.*

4. Præter timorem Domini, qui efficax est signum diffidentiæ in se, etiam habetur, occasiones prævidere, Deique recordari in omnibus, iis præcipuè, quæ hucusque lapsûs dedêre causam. Hinc. S. Philippus Nerius post intentionem matutinam salutari timore concussus dicebat: *Domine custodi me hodiè, nec desere me, nam si me derelinquas, deseram te, negabo te, & in omnia peccata ruam.* Id deprædicat, & laudat S. P. N. cum timore & tremore, cum magna sui diffidentia, & maxima in Deum confidentia divinam gratiam extollens. *Sic semper, Domine, sic semper gratia tua & misericordia prævenit me, liberans me ab omnibus malis, salvans à præteritis, suscitans à præsentibus, muniens à futuris. Præcidens etiam ante me laqueos peccatorum, tollens occasiones & causas; quia nisi tu hoc mihi fecisses ego omnia peccata mundi fecissem. Quoniam scio Domine, quòd nullum peccatum est, quod unquam fecerit homo, quod non possit facere alter homo, si Creator desit, à quo factus est homo. soliq. c. 15.*

Cogita igitur lapsum Adami, Idololatriam Salomonis, Petri perjurium! Si Cedri ad levissimam sui confidentiæ auram prostratæ sunt, quid agant imbecilles arundines, quommodo suæ tenuitati confidere possint? *Qui se existimat stare, videat ne cadat. 1. Cor.* 10. Tu igitur S. Angele defende me in prælio confligentium invicem passionum, ut non peream in tremendo judicio.

Inordinatam sui confiden- 53
tiam immediatè sequitur *vana gloria*

ria, & *nimia sui complacentia*, dum nimirùm de virtuoso opere, de donis naturalibus vel supernaturalibus, de Dei gratia sibi aliquis complacet & idipsũ donum aliis desiderat esse manifestũ. Multiplex est hoc vitiũ, & obrepit in habitu, in incessu, in voce, in opere, in vigiliis, in jejuniis, in oratione, in lectione, in taciturnitate, in scientia, & præcipuè in omnibus virtutibus &c. Et, quia in suis donis & operibus supereminentiam considerat, aliorumque dona minoris æstimando in suis sibi complacet à S. P. N. Generali titulo *superbia* appellatur. Eam virtutis immitatricem *Tract. 8. in 1. Epist. Joan.* hoc modo describit. *Ponite*, ait, *in corde superbiam & vanam gloriam, facit similia, & quasi paria charitati. Pascit esurientem charitas, pascit & superbia: charitas, ut Deus laudetur superbia, ut ipsa laudetur, vestit nudum charitas, vestit & superbia: jejunat charitas, jejunat & superbia. Sepelit mortuos charitas, sepelit & superbia. Operit omnia quæ vult charitas facere, facit & superbia &c.* Hinc perpendens *inanem gloriam* S. Basilius, meritò eam *dulcem spiritualium operum exploratricem, jucundum animarum nostrarum hostem, blandissimam bonorum nostrorum deprædatricem, eandémque mellis illitu, fraudis suæ coloratricem; quod ea de causa facit, ut vitio se illi avidiùs ingurgitent homines, nec ulla illius expleantur satietate, dulce enim quid est imperitis humana gloria. Constitut. Monast. c. 10.* Divinæ verò laudis Amator fervidissimus S. P. N. vanam gloriam furem & latronem appellat, in hæc verba cum Deo colloquens: *Tuum Domine est bonum, tua est gloria. Qui enim de bono gloriam sibi quærit, & non tibi quærit, hic fur est & latro, & similis est Diabolo, qui voluit furari gloriam tuam.* 54

Remedia vanæ gloriæ sunt varia. In primis Exemplum Christi non suam sed Patris æterni gloriam humillima sua vita, passione & morte quærentis.

2. Propriæ miseriæ & imbecillitatis consideratio ob multitudinem, magnitudinem, & turpitudinem suorum peccatorum.

3. Cognitio divinarum gratiarũ acceptarum, ut eapropter omnia accepta ad Dei gloriam referantur.

4. Exempla sanctorum vanam gloriam humilibus exercitiis proterentium. Sic de S. Dominico legitur, quòd ob admirabilem fructum concionum in Episcopatu Tolosano omnibus charus maluerit Carcassonam, ubi nullus concionum fructus, se conferre ac quandoque rogatus, cur id faceret, respondit; quia Tolosæ multùm honoror, Carcassonæ verò despicior. Ita S. Bonaventura, licèt esset doctissimus, abjectissima quæque monasterii officia culinæ, mensæ, everrendæ domûs obibat. Sic legitur de S Gualtero sive Waltero, quòd, licèt esset Davidis Scotorum Regis Filius, Dei tamen amore sceptrum, regiámque Co-

ronam abjecerit. Postquam Canonicum ordinem nostrum in Anglicano D. Oswaldi monasterio professus fuerat, & Canonici Cathedrales S. Andreæ in Scotia illum Episcopum suum postulârant, honorem istum nullatenùs admisit, ne vana ipsi subreperet gloria. Sic quoque B. Absolon Episcopus Roschildensis in Dania suprà Episcopalem sedem in Basilica Cathedrali Christi è cruce penduli effigiem affigi voluit, ut ab accedentibus reverentia imagini Salvatorem nostrum exhibenti magis quàm sibi fieret. Fuit autem Absalon ex Canonico Regulari S. Victoris Parisiensis postulatus Archiepiscopus Lundensis, quam dignitatem post multam luctam cöactus admisit, *vir magni consilii* (sunt verba Anonymi scriptoris in vita S. Wilhelmi Abbatis nostri apud Surium die 6. Aprilis.) *Cleri decus, mærentium & afflictorum consolator, Religiosorum pius amator, totius populi rector, advenarum & pauperum benignus sustentator, Wandalorum strenuus debellator, Religionis Christianæ ornamentum, exemplar sobrietatis, forma pudicitiæ, veræ nobilitatis & probitatis insigne speculum, lucerna fulgens in templo Dei, ejúsque columna fortis & immobilis.* Pristino disciplinæ regularis vigori restituit Canonicorum Regularium cœnobium Eschylense dictum, accito è S. Genovefæ Parisiensi Wilhelmo Canonico Regulari Viro Sanctissimo, & in Abbatem præfecto. Porrò illius industriâ omnes Ecclesiæ totius Daniæ priùs discordes, uniformes in officiis divinis redditæ fuerunt. E vita sublatus est die 21. Mar. Anno. 1201. apud Selandos in Monasterio Sarano, quod pro S. Ordine Cisterciensi tum recens in illas plagas invecto erigi curavit. Epicidium, quod ejus tumulo inibi est incisum, vitio vetustatis abrasum hisce tantùm primoribus characteribus legi hodiè potest.

Terrarum terror tegitur . .

Ex vita cit. Isaco Pontàno & Arnoldo Lubecensi L. 4. c. 18. apud Angelum Manrique to. 3. annal, Cisterc. Anno. 1201. c. 4. n. 10. & 11. Pennotto in notis ad historiam S. Wilhelmi Abbatis.

Ut vanæ gloriæ laqueos evaderet Rmus. Alphonsus Bavosius Bononiensis vir excellentis doctrinæ & virtutis, sine necessitate cellulâ nunquam exivit. In æstate ferventissima ad defluentem usque è corpore sudorem studiis litterarum vacabat. Parvo somno & cibo contentus omnia temporis spatia lectioni & scriptioni impendit. Cùm Doctrinâ ac virtute promotoribus ad summam congregationis dignitatem *Generalis* eveheretur pluribus annis prudentia maxima commissam sibi Provinciam administravit, atque benignitate in subditos, liberalitate in egenos, ac compassione in delinquentes amantissimus Pater semper audiit. Subditi nempe filii amant amantem verè Patrem, qui si non verbis sed

in

in re amat, non poteſt aliorum amorem non provocare. Poſt ingentia charitatis abundantis merita beatam mortem oppetiit. *Ex Joſepho Mozzagrugno L. 7.*

55 Virtutem ſequitur honor velut corpus umbra, ſed væ virtuti, ſi ipſa vanam umbram quærat! contingit etiam noſtra ætate in Religioſis clauſtris, quòd de Romanis antiquis ſanctiſſimus legiſlator noſter refert: *Veteres* inquit, *primicolæ* (Romani) *gloriam ardentiſſimè dilexerunt: propter hanc vivere voluerunt, pro hac & mori non dubitaverunt. Cæteras cupiditates hujus unius cupiditate preſſerunt.* Scilicet ſunt nonnulli, qui mortificationem vitiorum præſeferunt, virtutes ſimulant, affectionésque ſuas pravas moderantur tantùm, ut ad dignitates, quas unicè ambiunt, aptiores ſe ſe oſtentent; humiles volunt apparere, quia optant imperare, & aliis dominari, aucupari nomen, famam & exiſtimationem. Res ſuas apud omnes efferunt, ut, quibus naturæ & gratiæ donis reliquis præluceant, omnium oculos & animos perſtringant. Errores ſuos ſtudioſiſſimè contegunt, ne vel minima labes notetur exteriùs. Timeri à minoribus, diligi à majoribus impensè peroptant, omnésque actiones ſuas eſſe laude dignas, & ab omni querela & reprehenſione immunes exiſtimant, proin in omnibus ſingulares favores expetunt. Sed *affectus* iſte *inordinatus vani & mundani honoris* monſtroſus fœtus eſt voluntatis propriæ, & in religioſa ſchola palmarium ac principale vitium, contra quod p. 1. c. 2. de ſuperb. & c. 3. de virt. humil. ſatis apta præſcripta ſunt medicamina, ut hic quidquam ſuperaddere cenſeam ſupervacaneum. Peſtiferum terreni *affectum* hunc *honoris* Aſceta Kempenſis unâ ſententiâ brevi ſed efficaci ſanabilem eſſe propoſuit, dummodo ſana ratione perpendas, & frequenter tibi occinas: *ama neſciri, & pro nihilo reputari.* Aliis imperandi deſiderium, incurabile animæ venenum credere, quod nî citò ejicias, & reſtinguas, mors erit infallibilis omnis gratiæ & virtutis.

Quàm alii etiam ſpirituales viri honores ambierunt, & ardentibus ſtudiis quæſierunt, tam humili conatu longiſſimè alienos à ſe voluerunt alii. Magnus Gregorius in ſummum electus Pontificem efficaces ad Imperatorem Mauritium litteras dedit obteſtans obnixè eum, ne electioni ſuæ conſentiret. Urbem quoque ementito habitu egreſſus in ſpelunca delituiſſet, niſi columnæ igneæ indicio proditus dignitatem acceptare coactus fuiſſet. De S. Ambroſio fert hiſtoria, quòd in Mediolanenſem à Clero & populo petitus Præſulem infamem proſtibulis locum eo ſolùm acceſſerit animo, ut virtutis famam apud alios hoc modo minueret, & ad Epiſcopalem dignitatem velut

venereo obnoxius vitio ineptus crederetur. Quid de Sanctissimo Patre nostro? An non ingens nobis reliquit exemplum quomodo inanem gloriam & mundanos honores fugere deberemus? Cùm per Africam illius fama celebris volaret & Valerius Episcopus Hipponensis tam strenuū Manichæorum victorem sibi accersiri fecisset ut Presbyterum ordinaret, viribus omnibus restitit humilis Augustinus, nec nisi invitus sacram unctionem, & honorem admisit. Cùm verò valerii coadjutor in officio Episcopali constitueretur adnitente Aurelio Carthaginensium Antistite & Africanæ Ecclesiæ primate aliquoties relictâ Ecclesiastica dignitate fugam in solitudinem meditatus fuit, ut vanos effugeret honores sibi delatos passim ob reportatos à Manichæis & Donatistis triumphos.

S. Laurentius Illuminator è Syriâ, ubi oriundus, ob bellicos tumultus, quos barbara Gothorum gens in illis Regionibus excitârat, Romam in Italiam veniens, ibi ab ejusdem urbis & orbis summo Præsule Hormisdâ benignè susceptus fuit. Qui videns Laurentium optima indole, moribus candidissimis, insigni eruditione, nec non divinarum rerum scientia instructum, aliquot annis illum secum retinuit, tum sacris ordinibus insignitum ad quosdam amicos in Umbria commorantes misit, à quibus ob doctrinæ præstantiam, morum elegantiam, & insignem prudentiæ laudem Patris adinstar est habitus. Arrianorum hæresi latè sub Gothorum dominatu in Italiæ agris succrescenti, ut eradicaretur, strenuam impendit operam tam linguâ, quàm calamo. Ut tamen honoris mundani aura radicatam Laurentii virtutem non dissiparet, Penolacum Italis Lago di Pie di Lucco dictum octo millibus passuum spoleto dissitum incolere cæpit, eóq; in loco anno post Christū natum 521. assentiente largáq; manu sumptus suppeditante territorii Domino Ecclesiam construxit, inducta Canonicorum Regularium S. P. Augustini Coloniâ. Fulgatâ Laurentii sanctitatis famâ, multi ad illud cænobium è Clero Spoletanæ Ecclesiæ, arctioris vitæ desiderio aliisque è vicinis locis confluxerunt, ac se se pietate erudiendos illi tradiderunt. Quam vivendi rationem cùm fere 20. annos tenuisset, Spoletano Antistite Joanne à Totila militibus nece sublato unanimi voce Cleri licèt plurimùm reluctans Pontifex electus fuit, ratam habente electionem Vigilio Romano Pontifice, ast eandem reprobantibus civibus Spoletanis, Pastorem animarum suarum non peregrinum, sed è Patria oriundum dari sibi postulantibus. Unde Laurentio urbem ingredi volenti portas occluserunt. Ast S. Præsul ingressu se arceri conspi-

ſpiciens in genua proſtratus ad Deum ardentes miſit preces, ut, quoniam ejus in terris Vicario obediendi ſalutémque proximi curandi ſtudio Epiſcopale onus ſuſcepiſſet, divinam ſuam ſuper eo portando, deponendóque voluntatem palam faceret. Vix ea precatus erat, cùm ecce urbis portæ nullo manum admovente ultrò patuerunt, eóque oſtento Spoletani cives attoniti Antiſtitem ſuum maximo cum honore, & tanquàm à Deo electum plaudentes ſuſceperunt. Qua in dignitate S. Præſulis partes explevit in oratione aſſiduus, in Eleemoſynis largus, iu omni chariratis opere ſollicitus, in adverſis patiens, omniumque virtutum ſpeculum Paſtor optimus. Ut verò vitæ ab omni turba remotæ amantiſſimus fuit, ita nihil magis curavit, quàm ut bona ſummi Pontificis venia Epiſcopali munere ſe abdicaret, quod & obtinuit, magno propter hoc inter cives oborto mærore cùm Eccleſiæ ſpoletanæ annis 11. menſibus 4. diebus 8. Non tam præfuiſſet, quàm profuiſſet. Conſtruxit dein Farfarenſe cœnobium in territorio Sabino ſitum (incolunt illud hodiè R. R. P. P. Benedictini, Congregationis Caſſinenſis) In quo ipſemet Laurentius habitum ac Regulam S. Benedicti, quæ tum temporis, nempè anno 553. jam latè per Italiam innoteſcere cæpit, amplexus, primus Abbas conſtitutus eſt, ubi etiam ætate ac meritis gravis è vita migravit die 3. Febr. Anno 576. Cùm viveret, præter alia divinitùs patrata miracula, plurimis viſum reſtituit non tam corporalem, ſcilicet oculorum deſtitutis, quàm ſpiritualem, vitiorum nempè caligine obcæcatis. Ut proinde ob hoc non pauci Laurentium *Illuminatoris* cognomen ſortitum fuiſſe exiſtiment. *Ex Ludovici Jacobilli vita apud Joannem Bollandum to 1. Febr. die 3.*

S. Claudius Archiepiſcopus Biſuntinus illuſtriſſima Comitum Salinenſium familia oriundus ſæculi natalibus, & honoribus ſpretis vigeſimo primo ætatis anno Clericis Regularibus Biſuntinæ Eccleſiæ adſcribi voluit. Eorum regularis vitæ inſtitutum raro ſanctitatis exemplo & eruditionis laude excoluit, ut nullus tum temporis inter Burgundos ipſo doctior haberetur. Anno duodecimo regularis profeſſionis ſuæ, ipſe in locum S. Protadii Epiſcopi defuncti voce cælo delapſa ſuffectus eſt. Eo in munere conſtitutus quò altior, eò aliis humilitate eminentior, & virtutum ſplendore canonicis præluxit. Horis canonicis in ſacro odeo diu noctúque interfuit, ipſemet tam ad Clerum, quàm populum frequentes conciones inſtituit, & ſuam Archidiœceſin crebrò viſitavit. Contemplationi interea adeò addictus erat, ut quoties ad menſam accedere oporteret, tormentum

tum

tum ipsi videretur. Divino amore totus exæstuans humilitatis studio Archiepiscopales honores deposuit, ut sibi & soli Deo vacaret. Quare Angeli monitu ad S. Eugendi monasterium se recipiens religiosum induit habitum, suóque Sanctitatis exemplo plures illustres à sæculi pompâ abstraxit, qui dein raris virtutibus & humilitate illustriores è cella in cœlum migrarunt. Cùm centum ferè annos in vivis egisset. an. 696. 6. Junij Sanctitatis famam & incorruptú corpus ad virginalis integritatis testimonium universæ Galliæ reliquit, anima ad perennem laureolam avolante. Quàm multi nobiles nunc celebrarentur illustrissimi cœli Principes, si olim non mundi, sed Christi candidati contra inanem Sanctiùs militâssent gloriam. *Ex Joan. Jac. Chiffletio p. 2. vesont. Illustr. f. 144. & Constant. Ghinio ad diem 6. Junij.* Mundi honores, & Episcopales Mittras aliquoties delatas constanti animi submissione recusavit Marcus Marius Venetus ex congregatione S. Salvatoris Bononiensi Vir clarissimus linquarum Hebraicæ, Chaldaicæ, Græcæ, Arabicæ, & Latinæ notitia suo ævo celeberrimus, Gregorio XIII. summo Pontifici admodùm charus, & Serenissimæ Reipublicæ Venetæ litterarú turcicarum, ægyptiacarum atque persicarum interpres, & à secretis. Floruit variis scientiis circa annum 1580. Ast humilitate etiamnú celebris ipsius fama per totam Congregationem magìs refloret. *Ex Josepho Mozzagrugno.*

Coronidem imponat Venerabilis Guntherus Bojus natione, professione Canonicus Regularis & Eberspergensis Ecclesiæ ordine tertius Præpositus. Is Græcis & Latinis litteris apprimè doctus, à Principibus & Illustribus in magna veneratione habitus, honores sibi delatos humili semper spiritu suscepit, & in suo nihilo generosè recondidit. Ob cœlestium contemplationem, pacis ac quietis internæ amorem cum suis Collegis Canonicis Udalrici Comitis venia secessit anno Christi 990. cessitque hoc cœnobium religiosissimæ Familiæ D. Benedicti, quæ illud per 43. Abbates laudabiliter rexit usque ad annum 1505. quo Clementis VIII. S. Pont. auctoritate ad RR. PP. Societ. JEsu fuit translatum. *Ex Metrop. Salisburg. T. 2.*

§. IV.

§. IV.

De Reliquis amoris proprii affectibus scilicet de curiositate, contentione, inobedientia, & familiaritate nimia.

56 Inter animi affectiones est etiam cupiditas rerum curiosarum historiarum, & futurarum, unde fit, ut homo ad lectionem librorum vanissimorum maximam temporis partem impendat, & salubria negligat. Quæ affectio vocatur *curiositas*, & juxtà principia in priori parte data satis moderari quilibet potest. *Contentio* æquè mala proles est propriæ voluntatis, quã ex Regulis p. 1. c. 2. a. 5. & c. 3. a. 2. & 5. ex natura cognoscere, & remederi datur.

Inobedientia, & *familiaritas* nimia filiæ censentur ab Ascetis tam amoris, quàm voluntatis propriæ, de quibus coërcendis hinc inde documenta benè fundata in nostro isto tractatu reliquimus, ut ea hic renovare in utilis nobis censeatur labor.

Similiter de passionibus appetitûs sensitivi hic agendum foret, nisi jam ex communibus tyrocij Canonici principijs illas Religiosus Tyro & satis cognosceret, & medicamenta ijs contraria probè sciret applicanda, opponendo nimirum 1. *amori* rerum fluxarum, 2. *desiderijs* pravis, 3. *voluptati* noxiæ *amorem cœlestium*. 4. *odiò* maligno *amorem proximi*. 5. malo *fugæ* rectæ rationis *judicium*. 6. inordinatæ *tristitiæ* divinam Providentiam. 7. pravæ *spei* in Deum *confidentiam*. 8. perversæ *desperationi* cœleste *auxilium*. 9. Immoderatæ *audaciæ* virium propriarum *imbecillitatem*. 10. Inordinato *timori* ordinatam *spem*, & 11. effræni *iræ mansuetudinem* ac charitatem. Atque hic est labor noster, *hoc est opus nostrum, hæc militia nostra, actiones carnis spiritu mortificare, quotidiè affligere, minuere, frænare, interimere. Quàm multos enim proficientes non jam delectant, quæ ante delectabant? mortificavit se. Calca mortuum, transi ad vivum: calca jacentem confligæ cum resistente: mortua est enim una delectatio, sed vivit altera: Homo vincit, sed & vincitur quoque*, nisi quotidiè vincat, & refrænatâ unâ malâ passione mox alteram calcet, & proterat. Mortuâ unâ consurgit altera: ergò hanc rursum prosternat, & ita quotidie gloriosus sui Victor laurum reportabit aliquando immarcescibilem in cœlo.

lo. Sicut S. P N. in illa verba Apostoli: *Si spiritu facta carnis mortificaveritis &c.* præclarè annotaverat in mox citato textu.

57 Sed quæris, qui fructus correspondeant laboribus pro dominio passionũ acquirendo à te adhibitis.

Respondeo, eximios planè esse, quos abbreviato calamo hic pro complemento dictorum subijcio.

Primùs fructus ob sui victoriam (qui enim suas passiones superat, sui ipsius gloriosus est victor) acquisitio magnæ fortitudinis, excellentiæ, & heroicæ magnanimitatis. Ita sapiens proloquitur suis proverbijs c. 16. *melior est patiens* (nam qui suas passiones subjugare nititur, multa pati, magnas instituere mortificationes, magnáque subire certamina debet) *viro forti, & qui dominatur animo suo expugnatore urbium.* Testatur quoque S. Ambrosius l. 1. off. c. 23. quod revera ea jure fortitudo vocetur, quando unusquisque se ipsum vincit, iram continet, nullis illecebris emollitur, atque inflectitur, non adversis perturbatur, non attollitur secundis, & quasi vento quodam variarum rerum circumfertur mutatione. Magna prorsus excellentia & fortitudo! liberè posse exercere mentem, ita carnẽ in servitutem redigere, ut rationis imperio ad nutũ obediat, ejus consiliis obtemperet, & in laboribus impigrè exequatur jussa. Quot inter ethincos agnoverunt antiqui Philosophi, qui passiones suas edomando *fortium* virorum famam obtinere laborârunt. Sic etiam magnus ille Orator Romanus Marcus Tullius, ut alios ad prælium contra inordinatos animi affectus incitaret, hisce usus est verbis: *Regium est sic vivere, ut non modo homini nemini, sed nec cupiditati quidem ulli servias, contemnere omnes libidines.* Quarè Mantuanus accomodè præclaram hanc dotẽ paucis complectitur, ita canens: Ardua res, vicisse alios: victoria major est animi fluctus composuisse suos.

Alter fructus est illustris decor & splendor operum, maturitas & gravitas exterior, admirabilis compositio, & modestia honorata, quæ plurimùm confert ad proximorum utilitatem. Licèt enim quodvis opus virtutis externum à servo Dei profectũ efficacitatem quamdam habeat alios ad virtutem inflammandi, mortificatus tamen suisque passionibus dominans in suo genere peculiarem hanc sibi vendicat gratiam. Nam voluptatibus carnis etiam addicti, & qui omnes corporis afflictiones fugiunt, vehementer mirari solent, si quem aspiciant tanta virtute præditum, ut omnia hujus blandimenta contemnat, & omnibus rejectis illecebris se ipsum crucifigat. Unde grandium quorumdam peccatorum conversio subitanea evenit ad solum aspectum, collo-

colloquium & externam compositionem spiritualis cujusdam viri, cujus exemplo in amorem virtutis allecti vitia sua velut in oposito speculo conspexerunt, & detestati sunt.

Sed reponis, vanam esse gloriã, propter istos duos fructus, qui consequuntur passionum dominium, tam arduos conflictus instituere, nam insinuante Magno Pontifice Hom. 13. in Evang. Si utrumque agitur, nempe caro maceratur, & bona opera exercentur, *restat, ut, quisquis ille est, nequaquam se à vitiis pro mundi bujus honestate contineat.*

Respondeo, verum esse, quòd non ob istos fructus seu inanes titulos cujusdam super alios excellentiæ pro passionum dominio laborare debeas ex principiis P. 1. c. 3. suggestis. Ast propter duos descriptos fructus in proximum tuum reduntantes etiam cessare à virtutum exercitio nullatenùs debes, sed adhibeas velim doctrinam præfati M. Gregorii, *ut opus tuum sit in publico, quatenus intentio tua maneat in occulto, ut & de bono opere proximis præbeas exemplum, & tamen per intentionem, qua Deo soli placere quæris, semper optes secretum.*

Alios fructus afferunt Ascetæ, dum mortificationem ac subjugationẽ passionum dulcissimũ mellis favum in sensu allegorico nuncupant, eruúntque ex effectibus esse

MANNA ABSCONDITUM.

Cùm Israeliticus populus in deserto moraretur, & annonæ penuriâ premeretur, misertus illius Deus fecit depluere *manna ad manducandum*, ne tota multitudo periret fame. Singulis sub auroram diebus incredibili abundantiâ deciduum ex aëre panem effudit, quem communi nomine *Manna* Hebræi, D. Hieronymus verò Latinorum interpretum Alpha *Triticum*, alii apud Lorinum, & Pagninum *frumentum*, aut speciem quandam farinæ nuncuparunt. Certè delicatissimus erat cibus divinæ virtutis, & admirabilis succi, omne delectamentum pro cujusvis gustu, & omnis saporis suavitatem in se complectens. De cœlesti hoc commeatu legitur *Exodi 16.* quod filii Israel *juxta numerum animarum quotidie collegerint alius plus, alius minus. Et mensi sunt ad mensuram gomor, nec, qui plus collegerat, habuit amplius, nec, qui minus paraverat, reperit minus: sed singuli juxta id, quod edere poterant, congregaverunt.*

Præclarè S. P. N. vel quisquis auctor fuit *L. 1. de mirab. S. Script. c. 23. To. 3.* describit *manna, quod per noctem semper excepta nocte Sabbati cum rore descendens circa castrorum locum* can-

candorem nivis ostenderit. Erat enim quasi semen Coriandri, & coloris Bdelii, *album quasi nix. Hoc autem solis ortum sufferre non poterat, sed continuò liquefiebat, cùm versa vice collectum, & mola confractum, in condendis panibus ignis ardorem sustentabat. Et si quis in manè alterius diei residuum aliquid ex eo relinqueret, vermibus scatebat. &c.* & paulò infrà. *Panis autem Angelorum cibus ille dicitur, non quòd illo Angeli, qui cibo non egent, saturentur, sed quòd per Angelorum ministerium tale officium sicut lex & cætera populo præbebantur; quæ disposito per Angelos in manu mediatoris tribuitur. Qualiter ergò homines qualescunque sustentare potuisset, nisi terrenum aliquid in sua substantia haberet? in illa ergo superiori parte terræ, ubi grando & nix gignitur, nascebatur Manna, & in cibum inferioris, terræ partis hominibus per Angelos administrabatur. Ex quo facilè dignoscitur non aliunde extra naturam quæsiisse, sed de terra Deus victum præparasse.* Atque iste est sensus literalis de *manna.* Allegoricus verò & Tropologicus à S.S. P.P. multiplex habetur. Multi sub figura Mannæ intelligunt Christum in Eucharistia, qui fuit absconditus in lege, in carne, & in speciebus panis etiamnum latet. Ita S. Ambrosius Beda, Rupertus & alij apud Cornelium *Comment. in Apocal. c. 2.* Hinc promissio divina: *vincenti dabo manna absconditum.* h. e. *vincenti* & refrænanti gulam & libidines ad castitatem corporis, & puritatem mentis, *dabo manna absconditum* Corpus Christi, panem Angelorum, panem fortium, cùm hujus cœlestis cibi proprium sit fortes reddere adversùs omnes insultus dœmonum, & vires addere athleticas ad vincendas passiones, & eliminanda vitia. Ita etiam S.P.N. *Tract. 76. in Joan.* Manna interpretatur *panem verum de cœlo, qui verè cibus est Angelorum: quod Dei verbum corruptibile incorruptibiliter pascit, quod, ut manducaret homo, caro factum est, & habitavit in nobis.*

S. Bernardus *L. de convers. ad Cler. c. 21. Manna absconditum* interpretatur dulcedinem interiorem, quæ in contemplatione cœlestiũ continetur, & à contemplante percipitur. *Manna suavitas Domini est*, inquit, *nisi gustaveris, non videbis. Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Manna absconditum est, nomen novum est, quod nemo scit, nisi qui accipit; non illud eruditio, sed unctio docet; nec scientia sed conscientia comprehendit.* Cũ mellifluo sentit quoque Doctor noster *serm. 44. de divers. de Jacob & Esau*, ubi ita differit: *Datum est Patribus Manna in deserto - sicut nobis data dulcedo scripturarum, ut duremus in ista eremo vitæ humanæ: & noverint, quale Manna accipiunt, Christiani, quibus dixit ipse Ps. 33. Gustate, & videte, quoniam suavis est Dominus.* Manna contemplationis dulcedinem esse idem Doctor *in Manuali c. 14.* ostendit, cùm exclamat: *piissime Domine quàm dulcis est memoria tui? quanto*

quanto magis in te meditor, tantò es mihi dulcior, & amabilior.

Richardus de S. Victore Manna hoc censet esse *arcana divinitatis, & æternam felicitatem* ob ineffabilem dulcedinem, quam omnes Sancti in cœlo secundùm mensuram Gomor, id est, juxta mensuram bonorum operum unus plus, alter minus percipiunt. De quo Regius Psaltes, *Psal. 30. Quàm magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.*

Præter istas allegoricas annotationes cœlestis *Manna* ultima est & foro nostro apta, dum spirituales consolationes, quæ ex dominio & concupiscentiarum carnalium frænatione velut congrua merces à Deo dantur, *Manna absconditum* appellamus. Qui enim malas suas moderantur inclinationes, pravas affectiones in ordinem redigunt, passiones utriusque appetitûs dominantes subjugant, iis velut victoribus gloriosis *Manna absconditum* à Deo promittitur, quod propriè & verè est absconditum; quia exteriùs non videtur, sed intus in anima sentitur, & gustatur. Experientiâ constat, heroicam cujusdam tentationis victoriam, suppressionem passionis, & generosum contemptum vani honoris mox sequi mirum animi gaudium, interiorem delectationem, & inexplicabilem sentiri voluptatem, quæ consolationes oppositas delicias, si in eas fuisset consensus datus, longè superant, ut adeò non sint condignæ passiones & labores ad futuram etiam hujus temporis consolationem, quæ idem præstat in mortificata anima, quod præstitit Manna in ore Hebræorum. Sicut enim dulcedo corporalis, gustum carnis afficit & delectat, ita per analogiam dulcedo spiritualis mentem reficit, & interiùs hominem deliciis perfundit. Atque hæc est *magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te.* Abscondisti ad tempus, ut post exercitas virtutes, subjugatas passiones, & ad hibitos labores, quando tibi è re nostra visum fuerit, ex promptuario tuo resumas, & velut *suavissimo Mannâ* amicas, & heroicas mentes delineas.

Habes jam multiplices fructus ex passionum subjugatione provenientes: vincenti enim datur *Manna absconditum* mira scilicet animæ quies & affluentia spiritualis consolationis. 2. Sequitur puritas animæ quæ est necessaria dispositio non tantùm ad accipiendum Numen Evcharisticum, sed etiam singulares à Deo promeretur gratias, & totum possessorem cordis divinum facit spiritum. 3. Ad cœlestium contemplationem animum affigit, & in sacris Scripturis arcanos sensus, stupenda mysteria detegit, qui victor est sui. 4. Æternam felicitatem passionum dominio appignoratam sibi habet, *ubi vincenti dabitur Manna absconditum,*

ubi erit Regnum verè beatum, carens morte, vacans fine, cui nulla tempora succedunt per avum. Ubi victor miles illis Hymnidicis Angelorum sociatus choris cantat Deo sine cessatione canticum de canticis Sion, nobile perpetuâ caput amplectente coronâ. S. Aug. *in Meditat. cap.* 22. advertente.

Manna absconditum à subjectione affectionum suarum percepit S. Beregisus Lotharingus Abbas & Fundator Monasterii Andaini nunc S. Auberti. Is ex Condustro pago Austrasiorum, qui Lotharingi nunc dicuntur, matre Berilla genitus in Ecclesia S. Trudonis sub habitu Canonico educatus, atque scientiis ita instructus fuit, ut Presbyter ordinatus ob eximiam sanctitatis famam Pipini Brabantiæ Ducis conjugi Plectrudi conscientiæ moderatorem agere sit jussus. Magnus interea ipse propriæ conscientiæ moderator extitit suarúmque passionum rector generosus, sensuum custos vigilantissimus, & admirabilis abstinentiæ. Tantam severitatem cum cælesti quadam suavitate conjunctam præseferebat, ut non aulicos tantum, sed ipsum quoque Pipinum principem, eò, quòd semel durante Missæ Sacrificio crinarium non deposuerit publicè arguere, & ante peractam pœnitentiam ab osculo pacis arcere non sit veritus. Contigit Plectrudem viæ quadam per saltum Arduennensem iter agentem, dum in amœno quopiam prato consedisset, videre chartulam è cœlo dilabi, quam arripiens marito detulit is verò eandem Beregiso legendam exhibuit. Continebatur in eâ locum illum à Deo electum esse, ut inibi cœnobium ad Principis Apostolorum honorem exstrueretur. Quarè tam ipsorum Principum quàm aliorum magni nominis virorum, ut & B. Huberti Leodiensis Episcopi, cui Angelus etiam chartulam aureis litteris, eadem in ea conscripta continentem exhibuit, consilio Beregisus in eodem loco à vicino fonte Andaino nuncupato insignem Basilicam B. Petri Apostoli nomini inscriptam exstruxit adjuncto Clericorum regulariter viventium collegio. Quibus ipse ab eodem Huberto Episcopo in Abbatem Præfectus est. Vixit tum multis Annis divinis laudibus indesinenter vacans, Monasteriúmque tam spiritualibus quàm temporalibus bonis audaugens, ubi tandem 2. Octobris Anno 689. vitam pientissimè clausit. *Plura in vita ejus per Joann. Mauburnum nostrum. L.* 2. *Venatorii cap.* 84. *conscripta & in Officiis approbatis Canonicorum Regularium Lateranensium.*

B. Jacobus de Glusianis Canoniæ S. Georgii de Brinate Præpositus *Manna absconditum* & cœleste à Deo impetravit ob insignes virtutes & vitæ Sanctimoniam. Placet unum afferre prodigium, quo Pater cœlestis liberalitatem in pauperes tenaci, mundo

do manifestatam voluit. Quodam enim tempore, cùm ingens fames ex sterilitate terræ parta homines dirè premeret, Jacobus omne ferè frumentum in pauperes distribui jussit. Accessit autem non multò post eundem rusticus quidam, magna egestate laborans, & inter lacrymas ad ejus pedes procumbens *miserere mei*, ingemiscebat, *Reverendissime Domine, en fame cum liberis meis pereo.* Misertus illius Jacobus procuratorem acciri fecit, eique ut modicum illud frumentum, quod in horreo pro necessario Canonicorum usu residuum erat indigenti errogaret, mandavit. Renuente procuratore, *vade*, inquit, *jussa imple; spe etenim fretus vivo, te ita Deo optimo disponente triticum in horreo paratum inventurum esse.* Quo dicto exsequens jussa abiit ille, &, ut B. Jacobus prædixerat, horreum adeò refertum reperit, ut præ quantitate frumenti ostium aperire nequiverint. Virtutibus, & vitæ Sanctimonia floruit sæculo XIII. circa annum Domini 1340. *Ex Joanne Philippo l. 7. c. 14. apud Pennottum. l. 2. c. 49. & l. 3. c. 51.* Manna cœleste & dulcissimum ex subjugatione passionum, & spiritualis devotionis abundantia reportavit Guilielmus Broekius Prior Ordine tertius in Rubea Valle. Is tanta devotione rem divinam ad aram peragere solebat, ut Cameracensis Antistes sæpius se Bruxellis clam subtraxerit, ut in Rubea Valle Guilielmi Sacrificio interesset, atque à S. adeò fonte pietatis fluenta in suam quoque animam derivaret. *Ex Heriberti Rosweydi S. J. Epistolâ dedicatoriâ ad Paulum Schoof Canonicum Regularem & Priorem Generalem Congregationis Windesemensis præfixâ Chronicæ Windesemensi Joannis Buschii nostri.*

Illustrissimus Blasius de Novellis Ferrariensis vitæ Sanctimonia, jurisque Pontificii doctrina illustravit sæculum XIV. Evectus ad Prioratum S. Jacobi de Cella Volana Sanctis moribus Canoniam instruxit, & disciplinam mirificè reparavit, cúmque locus ob aëris graveolentiam & corruptionem Canonicis inhabitatoribus ferè omnibus destitueretur, irreparabilem vastitatem cordicus ingemiscens, Thadæum de Binasco non sine Numinis nutu convenit, ut Cellam Volanam reformationi Frigdionariæ subdere ac unire vellet, quod Thadæus, si consensus Capituli generalis A. 1424. celebrandi accesserit, libenter annuit. Resignata posteà Prioris dignitate severiorem disciplinam suscepit, atque in magna spiritûs humilitate & paupertate vixit cum duobus Sociis, Canonicis S. Lazari victum illis præbentibus. Cùm intereà *Manna absconditum*, & cœlestes consolationes degustaret Blasius, jubente Eugenio IV. Rom. Pontif. Frigdionarios Canonicos nostros in Ecclesia Lateranensi; restituente

te Socius adjunctus est, & pœnitentiarii munus in Sacratissima Basilica eidem demandatum. Posteà ob insignem virtutum splendorem ab eodem Eugenio Adriæ Episcopus designatus, post Ecclesiam Sanctissimè aliquot annis administratam decessit in Canonia S. Lazari propè Ferrariam Anno 1457. *Ex Abbatis Rosini memoriis mem. 2. & Gabriele Pennotto l. 3. c. 54.*

Gerardus Delft cœleste Manna in corde suo persensit post gloriosam sui, suarúmque passionum victoriam. Ob animi demissionem omnium se vilissimum, omnium malitiosissimum, atque in via virtutum omnium negligentissimum reputavit. In Monasterii Windesemensis Priorem electus, post quatuor annorum curriculum Sponte sua eodem munere se se abdicavit. Ne autem plures ejus exemplum imitati, similia peterent Patres in Comitiis Provincialibus congregati pœnitentiam ei injunxerunt, ut in refectorio cunctis præsentibus humi sedens comederet. Quam is hilari animo subiens aliis postmodùm narravit, se animo pacatiori ac lætiori tum humi sedisse, quàm si primus omnium mensæ accubuisset. Amore Dei ita æstuabat, ut præ admiratione ac stupore infinitæ ipsius bonitatis, consideratione verò suæ vilitatis quasi extra se raptus videretur. Hoc amore accensus, omnia ut stercora arbitrabatur; certè noctes diésque ei deficiebant, rerum cœlestium contemplatione. Talem se in sacro odeo, in domo, in villis, in otio Sancto, in labore manuum, in cunctis denique gestibus suis exhibuit, ac si Deum coram sibi præsentem intueretur. Modestia splendebat ei in vultu, & mirè omnes alliciebat.

Annis triginta tribus Procuratoris officio functus fuit summa sedulitate, ut, licèt se rebus exterioribus mutuârit quidem, tradiderit nunquam. A primo fervore ac devotione deflexit nunquam, semper in Deo absorptus, atque cœlestia contemplans. Certè non vidisse se scribit Joannes Buschius noster in Chronico Windesemensi è. 27. *Hominem religiosiorem, humilitate profundiorem, proprii sensus & voluntatis resignatiorem, timore Dei pavidiorem, verâ sibi ipsi devotione intimiorem, contemplatione divina absorptiorem, externarum rerum ad se non pertinentium negligentiorem, & profundi sanique consilii perspicaciorem. Corpore nobiscum ambulavit, sed mente extra se raptus quasi de alio esset mundo, in Deum suspensus videbatur, speciem vitæ contemplativæ, & gustum beatitudinis futuræ verbis suis & moribus publicisque collationibus præbuit, & præmonstravit.* Ad aram sacris operaturus, nunquam priùs accessit, nisi præviâ accurata conscientiæ discussione peccatorúmque exomologesi. Nec hoc contentus, disposuit se ferventibus votis, ardentissimis preci-

precibus, quas tenera pietas ei dictârat. Ad aram stetit immotus, & quasi extra se raptus, nisi quid agendum aut claris verbis proferendum foret. Muscas etiam prægrandes aut fronti aut capiti nonnunquam fixè inhærentes, suísque aculeis ad Sanguinem usque mordaces minimè abegerat, sed rebus divinis totus intentus præ nimia spirituali dulcedine, ac si nullum sentiret dolorem in cepto sacrificio perrexit. Supra caput ipsius divina peragentis imminens à fratre quodam laico globus conspectus est. Post gravissimos maximâ patientiâ tolleratos calculi dolores piissimam primo Octobris efflavit animam Anno 1434. Religionis 41. *Ex vita à Buschio in Chronica Windesemensi cap.* 26. 27. 28. *& 29. descripta.*

Ut concludamus præsentem articulum insigni adhuc exemplo passionum dominio præditi magni servi, Venerab. Petrum Forerium inducimus. Manna absconditum ille sentiebat in abstinentia admirabili. Nonnunquam per integram septimanam in alimentum potúmque haud amplius admisit quàm jurcula, unum die Dominico, alterum 9. Novemb. in quem solemne congregationis festum inciderat. Frequenter in agros egredi fuit solitus, nullo penitus sumpto cibo, quare evenit, ut aliquando tam subita virium sensuúmque defectione ob famem correptus fuerit, ut mox, atque domum intravit, frustillum panis per amorem Dei postulârit, alioqui præ imbecillitate collapsurus. Primas Congregationis Virgines in Abbatia *Portûs suavis* constitutas, cùm æstivo quondam die inviseret, sitim adeò violentam perpessus est, ut labia invicem vix ab se se jungere, & ne verbum quidem effari, potuerit. Una earum id advertens celerrimè cucurrit aquã haustura, quam in cratere frigidissimam allatam ei propinavit; tum ille: *Fateor omninò, perquàm hic aqua haustus saperet, sed posteaquam tam operosè eam inquisivisti; meliùs erit Davidis Exemplum sequi, & eàdem abstinere.* Dein illam in terram effudit, nihil prorsùs inde degustans. *Ex L. 2. vita c. 14.* Non tantùm gustum acerbiore domitu moderabatur, verùm & alios sensus summè frænebat, ut ea propter perfectum passionum dominium illum acquisivisse dubium non sit. Hinc ejus reliquiæ post obitum inordinatas passiones edomandi & supprimendi etiam in aliis vim cœlestem habuerunt. In notula miraculorum ex Processu Tullensi n. 47. f. 773. innotuit, quòd *nobilis adolescens insano amore erga plebeiam affectus, ac invitis parentibus eam pro sponsa volens, tactu Reliquiarum servi Dei ab immoderata Passione statim liberatus fuerit.*

ARTI-

ARTICULUS VII.

De Perfectione, & in quo illa propriè constituenda?

SUMMARIUM.

58. Perfectio spiritualis omnium in Religione actionum finis, & meta laborum est.

59. Tripliciter dicitur aliquid perfectum absolutè, secundùm naturam, & finem.

60. Finis alius intrinsecus, alius extrinsecus.

61. Charitas actualis, & habitualis.

62. Ejus numerantur effectus.

63. Variæ opiniones SS. PP. de religiosa perfectione.

64. Conclusio 1. perfectio formaliter consistit in Charitate.

65. Probatur, auctoritate, & ratione.

66. Diluuntur objectiones.

67. Conclusio 2. & quidem consistit in habituali.

68. Solvitur objectio.

69. Conclusio 3. non qualicunque, sed habituali stabili & firma, aliarúmque virtutum habitibus circumvallata.

70. Infertur 1. tria vota esse tantùm media ad perfectionem.

71. Inf. 2. tres vias ad illam benè assignari.

72. Inf. 3. alias virtutes ad charitatem velut causas, aut effectus considerare posse. Pondus amoris.

58 TAndem post pertractatam de passionibus, earumque dominio materiam via nos ducit ad ipsam perfectionem religiosam, quæ est felix ille terminus, quò collineant nostri conatus. *Hanc* enim velut metam spectant regulæ hucusque de extirpatione vitiorum, & frænatione passionum traditæ. *Ad hanc* documenta de mortificatione sensuum, tanquam dispositiones ad suam formam tendunt. *In hac* principia & meditandi praxes velut in acquisito termino quiescunt. *Circa hanc* septem Articulo prioris capitis tanquam media suum circa finem versantur. *De hac*, quidquid spiritules Magistri, Mysticæ Theologiæ Doctores, Sanctarumque Religionum Scrip-

Scriptores varis libris tradiderunt, tanquam de objecto, & votorum omnium summa intelligenda sunt omnia, nam sicut charitate in hac vita majus nihil est, ita etiam perfectione spirituali, quæ in illa fundatur, melius nihil est. Hinc attestante Pinuphio *apud Cass. coll. 20. c. ult. perfectionis culmen pertingere cupienti non satis est ab illicitis temperare, nisi & in illis virtutibus indefesso cursu semetipsum semper extenderit, quibus ad satisfactionis indicia pervenitur, & nisi illam bonam virtutum fragrantiam, qua Dominus delectatur, puritate cordis, & Apostolica charitatis perfectione possederit*, Hanc sententiam Religiosissimi Magistri si penitiùs inspiciamus, perpendamúsque clarè innotescet, studium omne esse à nobis eò conferendum, ut perfectionem charitatis assequamur, in quâ omnis delectabiliũ virtutum fragrantia, & perfectionis summa continetur. Igitur ostendamus, in quo consistat ista perfectio spiritualis, ad quam ut tendant Religiosi, sub gravi obligantur culpa. Pro statu quæstionis præpositæ ritè percipiendo.

59 Notandum 1*mò*. triplici modo aliquid dici posse perfectum: 1. *Absolutè*, & per omnia prædicata, qua ratione solus Deus perfectus est omni omninò imperfectione carens. 2. *Secundùm essentiam, & naturam*, quò modo quodlibet perfectum est, cui in substantia, & natura nihil deest, sic dicitur animal perfectum, quando nihil ei deficit ex dispositione membrorum, & aliis hujusmodi, quæ requiruntur ad vitam animalis. 3. *Secundùm finem*, ad quem aliqua res dirigitur, sic vestis à sartore facta dicitur perfecta, si ad finem servit, propter quem est confecta. Hac ratione *unumquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio*, ut docet S.Th. 2.2. q. 184. a. 1. Dum igitur de religiosa perfectione hîc agimus, non eam accipimus primo & secundo, sed 3*tiò* modo, quia prima soli Deo est specialis, altera verò nimis laxa, & comunis omnibus rebus, & non tantùm hominibus quibusvis.

Notandum 2. duplicem esse finem extrinsecum, & intrinsecum. 60 Finis *extrinsecus*, & ultimatus hominis est solus Deus, summum ac infinitum bonum. Finis *intrinsecus* verò illius est cognitio & amor Dei. Dicitur etiam à Theologis finis *quo*, quia mediante cognitione, & amore Dei, ceu fine intrinseco extrinsecum, nempe Deum attingimus, & summum bonum assequimur in hac vita quidem pro modulo nostro, & quasi in ænigmate per fidem, in cælesti verò patria perfectè, & facie ad faciem per lumen gloriæ, & æternam visionem.

Notandum 3. aliam esse charitatem actualem, aliam habitualem. 61 *Actualis* consistit in actu amoris

tis erga Deum super omnia, quales actus serventissimos, & frequentissimos S. P. N elicuisse constat. *Sic meditat. c.* 35. amoris sui vim declarat: *scis ergo occultorum cognitor Deus, quoniam cœlo, terra, & omnibus, quæ in ea sunt, tu mihi acceptior, tu mihi amabilior es. Diligo enim te super, cœlum & terram, & cætera omnia, quæ in eis sunt, immo amore nominis tui, quæ transitoria sunt, procul dubio amanda non sunt. Amo te Deus meus amore magno, magisque te amare cupio.* Actualis quoque amor est in Deum, dum gravis peccator propter amorem summi boni à se offensi de peccatis comissis dolet, & supernaturalem elicit contritionem, vel quando justus exercet opus pium ex actuali amore Dei. *Habitualis* est qualitas perseverans in homine, quamdiu per peccatum mortale, quod illi summè contrariatur, non expellatur, etsiamsi actus non exerceatur. Utraque est supernaturalis, vires naturales hominis excedens, à Deo *infusa cordibus nostris per spiritum sanctum Rom.* 5. Et quidem, licèt gratuitò à Deo infundatur, commensuratur tamen communiter dispositioni hominis. Discrimen porrò inter *actualem*, & *habitualem* est, quod prior post actum elicitum cesset, posterior verò etiam sine actu exercito permaneat, nam licèt dormias, aut ambules sine actuali intentione amoris Dei, habitualem tamen charitatem habere potes. Sciendum porrò gratiam, sanctificantem, quæ facit hominem Deo gratum & *à Deo amatum* denominat (quod respectivè est aliquod extrinsecum) inseparabilem esse ab habituali charitate, quæ hominem facit amara, seu *amantem, & amicum Dei* denominat, inqua formaliter unio, conjunctio cum Deo, & adhæsio hominis cũ ultimo fine suo fundatur, & in hac vita spiritualis perfectio nostra, & amicitia habetur. 62

Notandum 4. varios esse effectus *charitatis habitualis*. 1. Tanquam virtus infusa, & supernaturalis non solùm dat simpliciter posse operari, & elicere actus supernaturales, sed etiam ad modum aliorum habituum facilitat potentiam, seu voluntatem, quia nulla virtus habet tantam inclinationem ad suum actum, sicut charitas, nec aliqua ita delectabiliter operatur: inclinat enim potentiam ad charitatis actum, *& facit eam promptè, & delectabiliter operari, ut* loquitur *S. Th* 2. 2. *Q.* 32. *a.* 2. *in corp.* 2. Justificat impium secundùm Concilium Trid. *sess.* 6. *c* 7. facit Deo charum, ex inimico amicum, & hæredem cælestis gloriæ. 3. Reddit opera nostra Deo grata, & meritoria, quóque magis per actus frequentatos intenditur, eò plus gloriæ in cælo, & gratiæ in terra obtinet. 4. Stabilitatem quandam, & singularem affectum confert homini in exercitiis religiosis, ac spiritualibus, ut ad altiores gradus in virtutibus connitatur.

No-

Notandum 5. sanctos Patres, & 63 Ascetas variè de perfectione formali discurrere. S. Paulus ad *Rom.* 6. *Fructum in sanctificatione, finem verò vitam æternam haberi* vult. Quin etiam in mortificatione perfectionem constituere videtur, dum ibidem ita suos Romanos exhortatur *Vetus homo noster simul crucifixus est,* : *ut destruatur corpus peccati. Et si spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis.* Simile quid ad suos Corinthios scribit: *Mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritus perficientes sanctificationem in timore Dei.* Christus videtur posuisse perfectionem in vera sui abnegatione. *Matth.* 16. *Qui vult venire post me, abneget semet ipsum &c.* Cassianus *coll.* 1. *cap.* 5. perfectionem in puritate cordis posuit, quia sine hac *finis* scilicet *vita æterna non poterit apprehendi.* Et c. 7. *principium nostræ salutis* posuit quidem *timorem Domini,* & tandem successivè extirpatis vitiis, & acquisitis virtutibus puritatem cordis introduci demonstrat, qua *charitatis perfectio possideatur.* Idem spiritualis Magister *coll.* 14. *cap.* 3. ita perfectionem, ejusque cognitionem explicat: *Actualis perfectio duplici ratione subsistit; nam primus ejus est modus, ut omnium natura vitiorum & curationis ratio cognoscatur.* 2. *ut ita discernatur ordo virtutum earúmque perfectione mens nostra formetur, ut illis non jam velut coacta, & quasi violento imperio subdita famuletur, sed tanquam naturali bono delectetur, atque pascatur.* Atque adeò in extirpatione vitiorum, & implantatione virtutum perfectionem Religiosam consistere docet. S. P. N. *in Ps.* 130. *Ipsam perfectionem nostram humilitatem* asserit. Quarè in ista varietate opinionum quoad genuinum, in quo *formaliter* perfectio consistat, explicandi modum sententiam etiam nostram proferamus, & discordantes concordemus, prælibatis itaque iis, quæ præsentem quæstionem concernunt.

Dicendum 1. perfectio religiosa & spiritualis formaliter ac propriè consistit in charitate Dei. Ita S. Th. 2. 2. Q. 184. A. 1. rationem hujus conclusionis ex S. litteris deducit. *Colossr.* 3. *Super omnia charitatem habete, qua est vinculum perfectionis.* Et *Joan.* 3. *qui non diligit, manet in morte.* 64

Ratio Theologica est, quòd in eo consistat spiritualis perfectio, quo ultimus finis hominis attingitur, sed charitate ultimus finis hominis attingitur, nam per charitatem homo unitur Deo summo bono, & ultimo fini, *qui enim manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Joan.* 14. Ergo spiritualis perfectio in charitate Dei consistit. Atque hinc omnes virtutes, quæcunque à nobis eliciuntur, radicantur in charitate, quam ex motivo principalissimo attendunt. Quamvis enim quælibet virtus ob proprium finem & honestatem suos eliciat actus, ultimatò tamen 65

tendunt omnes ad charitatem, à cujus imperio, si perfectas, & meritorias velimus esse, dependent attestante Apostol 1. *Cor.* 13: *si habuero omnem fidem, ita ut montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum* (qui actus est charitatis in proximum) *omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum* (quales sunt actus variarum virtutum, & mortificationes sensuum) *ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.*

65 Probatur 2. conclusio auctoritate S.P. N. qui in plurimis locis perfectionem in charitate constituit. *Epist. 95. ad Innocentium. In hac vita*, scribit, *deficiente cupiditate*, sive amore sæculi mali, *& charitate crescente proficimus: in illa vita cupiditate extincta, & charitate completa perfecti sumus.* Ex quo ità argumentari libet. In eô continetur vera spiritûs perfectio, quô in hac vitâ perficimur, & in alterâ perfecti erimus: sed charitate in hac vita perficimur, & in altera perfecti erimus: ergò in charitate continetur spiritûs perfectio. *Ser. 50. de verb. Dom. quale bonum*, exclamat, *est charitas? Quid pretiosius, quid luminosius, quid firmius, quid utilius, q[illegible]curius eâ? Nihil enim prosunt [illegible] sine charitate, adde charit[illegible]nia: detrahe ch[illegible]sunt cætera. [illegible] per charitat[illegible]eo, & ex eo [illegible]*

Confirmatur. Ad quod omnes virtutes & spirituales labores tendunt; in eo consistit, perfectio, quæ est velut finis illarum in hac vita; atqui ad charitatem omnes virtutes & spirituales labores tendunt, & hæc est illarum finis in hâc vita: ergò in charitate consistit perfectio. *Major* ostenditur ex eo, quòd omnes scientiæ, & artes suam perfectionem acquirant à suo objecto, & fine, ad quem tendunt, & in illo consistunt: ergò etiam virtutes, & spirituales conatus perfectionem suam acquirunt ab objecto, quod in suis actibus respiciunt, & à fine, ad quem tendunt. *Minor* declaratur, qui humilitatem exercet, si quæras, cur se contemnat, omnibus se se postponat, ambiat nesciri, & pro nihilo haberi respondebit procul dubio se id facere ex charitate Dei. Qui se mortificat, passiones supprimit, vitia extirpat, mansuetudinem, liberalitatem, aliásve virtutes exercet &c. Si inquiras ab eo, quem in finem ista agat, & reponet propter charitatem Dei se virtutes & mortificationes arduas exercere. Sic teste S. P. N. virtutis exercitium non est, nisi exercitium amoris Dei. *Ut temperantia sit amor integrum se præbens ei, quod amatur. Fortitudo amor facilè tolerantis omnia propter amatum. Justitia amor soli amato serviens, & propterea rectè dominans. Prudentia amor sagaciter seligens ea, quibus adjuvatur ab eis, quibus impeditur, &c.* Præcipuæ enim vir-

virtutis partes ad amorem, tanquam ad fontem referuntur. Ergò in charitate consistit perfectio, quæ ultimatò intenditur. Exprimit S. P. N. perfectionem charitatis, dum non tantùm virtutum, sed humanarum & divinarum legum plenitudinem in illa constituit; atqui ubi est plenitudo legis, est perfectio legis, ergò in charitate est perfectio. *Interroga* (inquit S. Doctor) *cor tuum, vide, utrum habeat charitatem: si est ibi charitas, est ibi plenitudo legis. In Ps.* 91. *v.* 1. Quod omnes virtutes, & nostri conatus ad charitatem tendant, & in eâ quiescant, docet etiam clarè Cassianus magnus ille vitæ spiritualis Dux *coll.* 1. *cap.* 7. In hæc verba: *Principium nostræ salutis, sapientiæque secundum scripturas, timor Domini est: de timore Domini nascitur compunctio salutaris: de compunctione cordis procedit abrenunciatio, id est, nuditas & contemptus omnium facultatum: de nuditate humilitas procreatur: de humilitate mortificatio voluntatum generatur: mortificatione voluntatum extirpantur, atque marcescunt vitia universa: expulsione vitiorum virtutes fructificant, atque succrescunt: pullulatione virtutum puritas cordis acquiritur: puritate cordis NB. Apostolicæ charitatis perfectio possidetur,* quæ per omnes vittutes ultimatò intenditur.

66 Objicies. *Patientia opus perfectum habet* 1. *Jacobi* 1. Ergò in hac perfectio constituenda est. R. opus perfectum patientiæ provenire ex abundantiâ charitatis, quæ est formalis perfectio, quia propter Deum tolerantur omnia adversa juxta illud *Rom* 8. *quis nos separabit à charitate Dei, tribulatio, an angustia?*

Objicies 2. in Dominio passionum maxima habetur perfectio: ergò in hoc consistit. R. Dominium passionum propriissimum esse effectum charitatis: hoc enim juxta art. priorum dicta in aggregatione omnium virtutum fundatur: perfectio autem cujuslibet virtutis particularis est tantùm *secundùm quid*, seu partialis; *at perfectio charitatis simpliciter attenditur, & per se est principalissimum, & maximum respectu perfectionis, quæ attenditur secundùm alias virtutes*, ut loquitur S. Th. 2. 2. q. 184. a. 1. ad 2. hinc ad dominium passionum vel maximè prærequitur charitas, quæ regulat, dirigit, & ad altissimum finem ordinat virtutes, per quas resistitur inordinatis & diversis animæ passionibus.

Objicies 3. illud venerabilis Thomæ Kemp. ita habentis: *perfectio hominis consistit in offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinæ, non quærendo, quæ tua sunt, nec in parvo nec in magno, ut una æqualisacie in gratiarum actione permaneas inter prospera, & contraria omnia æqua lance pensando.*

Respondeo Venerabilem Ascetam Kemp. sicut alios quoque modo scholastico non fuisse locutos, nec voluisse ostendere, in

 quo

quo formaliter, & immediatè radicetur spiritualis perfectio, sed tantùm media vel præcedentia, vel subsequentia, & conservantia charitatem, in qua est vera perfectio, pro faciliori captu quorumvis hominum docuisse.

Sed nova oboritur Quæstio, qualis nam charitas habitualis, vel actualis esse debeat? Quare pro dissolvendo dubio.

67 Dicendum 2. In charitate habituali vera perfectio spiritualis consistit Ratio est, quia spiritualis perfectio (hujus vitæ) sita est in eo, quo finem ultimum attingimus, quantum in præsenti vita obtinere possumus: sed per habitualem charitatem ita obtinemus finē ultimum: nam per actum charitatis quidem attingimus sum̃um bonum, sed non adeò stabiliter, & quantum possumus, cessante enim actu cessaret consecutio: ergo in charitate habitualis sita est spiritualis perfectio. Deinde in actu charitatis utut perfecto ex eo non potest ultimata perfectio formalis consistere, quia quivis actus tendit ad ulteriorem perfectionem, scilicet habitûs, & ultimus actus hujus vitæ intendit, & augmentat habitum: ergò pro præsenti vitâ perfectionis spiritualis terminus in charitate habituali ponendus est. Ulteriùs *ad actum charitatis eliciendum necesse est, ut in nobis existat aliqua habitualis forma superaddita potentiæ naturali* ex sent. S. Th. 2.2. Q. 23. a. 2. Atqui omnis res, sicut & spiritualis perfectio formaliter est per suam formam, non per actum: sicut homo formaliter est per animam, ita charitas est formalis vita spiritualis animæ, & sicut anima im̃ediatè unitur corpori, ita charitas animæ: ergò formalis perfectio spiritualis per charitatem habitualem habetur, per actum verò habetur solùm actualis consecutio ultimi finis in hac vita.

Nec dicas, actum esse perfectiorem habitu, consequenter in illo, non in hoc ponendam esse spiritualem perfectionem &c. 68

Respondeo enim, verum hoc esse, si actus tamdiu duret, & continuetur, sicut habitus, prout fit in beatis, ubi actus, & habitus charitatis sine interruptione coexistunt. In præsenti verò vita mortali habitus magis perseverat, quàm actus, qui propter tot obvenientes distractiones, & interruptiones, aliaque naturalia impedimenta brevi solùm tempore perdurat, cùm econtra habitus etiam dormiente, vel negotiis quibusvis implicato homine perseveret. Unde robur potiùs desumit nostra conclusio, quia debilis in hac vita mortali nimis foret perfectio spiritualis, & Religiosa, utpote brevi spatio temporis comprehensa, & tantùm per modum transeuntis homini à Deo concessa. Ex quo tamen constat, *actualem*

lem perfectionem, seu *charitatem in actu exercito* (ut loquuntur Theologi) consistere in actibus charitatis, non tamen *formalem*, quæ denotat ipsam formam habitualem, nempe charitatem, prout citata quæstione scholasticè probat S. Th.

69 Dicendum 3. Perfectio non consistit in quacunque charitate habituali, sed in habituali stabili, firma, & radicata: adeóque ultrà habitum charitatis requiruntur aliarum virtutum habitus, ceu quædam adminicula, ac robora pro conservatione habitualis charitatis. Assertionem hanc divinus Magister sub nota parabolavit, dum *Matth.* 13. charitatem, & divinam gratiam *semini* comparavit, quod in diversam terram; id est animam cadens radicem non egit, vel suffocatum spinis (peccatis) vel tandem in quibusdam fructus centesimos produxit. Inde inter perfectos christianos, & imperfectos discrimen posuit, quòd licèt utrique charitatem habitualem habeant, imperfecti tamen non habeant in se *radicem*, facta enim tribulatione, & persecutione continuò scandalizantur; *perfecti* autem radices agant, stabiles sint, & fructum afferant. Similiter suos hortatur Apostolus ad perfectionem, seu charitatem perfectā, *ut sint in charitate radicati & fundati ad Ephes.* 3. *&* 4. & *ad Colos.* 2. *v.* 7. Denique talem ædificationem & perfectionem fundamentalē charitatis in nobis desiderat, *ut jam non simus parvuli fluctuales & circumferamur omni vento doctrina in nequitia hominum &c.* Sed insuper cum spiritualis perfectionis Doctore veraciter dicere valeamus in charitate stabiles, ac perfecti *ad Rom.* 8. *quis ergò nos separabilit à charitate Christi? tribulatio, an angustia an fames? an nuditas? an periculum? an persecutio? an gladius?* Eô modo S. P. N. Aug. *in Epist.* 1. *S. Joan.* perfectam explicat charitatem secundùm 3. gradus incipientium, proficientium, & perfectorum dum dicit: *charitas dum fuerit nata, nutritur.* (Qui est primus gradus incipientium) *Cùm fuerit nutrita, roboratur* (Qui est gradus proficientium in virtutibus) *Cùm fuerit roborata, perficitur.* Qui tandem est gradus spiritualis perfectionis, & perfectorum. Ratio denique cōmunis est, quod nemo in ulla arte perfectus habeatur, qui quidem unum, vel alterum opus perfectum conficit, mox verò ab artis regulis deflectit, & imperfectiones maximas committit: ergò etiam quoad spiritualem perfectionem, quicunque charitatem habitualem etiam intensam in se obtinet, si tamen facilè per peccatum mortale rursus deperdat, perfectus dici nequit. E. G. sit aliquis multùm intensa charitate præditus, propter malam tamen consuetudinem oblata occasione infirmus, & inconstans

stans adeò est in suis propositis, ut facilè labatur in peccatū, quamvis iterum resurgat, atque iterum pœniteat, & per Sacramenta suscepta habitum charitatis augeat, perfectus tamen non est, nec dici valet ob defectum stabilitatis, & roborationis in charitate.

70 Inferes ex dictis 1. tria vota Religionis, Paupertatem, Castitatem, & obedientiam non esse finem Religionis, sed tantùm jurata media efficacissima, quibus ritè observatis stabilis perfectio charitatis obtinetur. Uti docet S. Th. 2. 2. Q. 186 a. 3. 4. 5. quia status Religionis est quoddam exercitium, & disciplina, per quam pervenitur ad perfectionē charitatis, *ad quod quidem necessarium est, quod aliquis affectum suū totaliter abstrahat à rebus mundanis* per votum paupertatis, dicit enim S. P. N. *L. 10. Confess. c. 29. minùs te* (Deum) *amat, qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* 2. Requiritur perpetua continentia, ut teste Apost. 2. *ad Cor. 7. mundemus nos ab omni inquinamento carnis, & spiritùs perficientes sanctificationem nostram in timore Dei*, cui consentit S. P. N. *1. soliloq. c. 10.* inquiens: *mihil esse sentio, quod magis ex arce deiiciat animum virilem, quàm blandimenta fœminea &c.* 3. Requiritur obedientia, quia Religionis perfectio in imitatione Christi consistit, *qui factus est obediens usque ad mortem*, & jussit *Matth. 19. si vis perfectus esse &c. sequere me.* Qui ergò cupit pervenire ad finem Religionis, subdatur alicujus Magistri arbitrio, ne à fine aberret: per hæc autem tria vota certissimè pervenitur ad perfectam & radicatam charitatem, consequenter non sunt Religionis finis, sed media ordinata ad illam.

Inferes 2. Cap. VI. part. prioris tres vias communes, *purgativam*, *illuminativam*, & *unitivam* fuisse ordinatè positas, ut nempè per *primam* vitia evellerentur ex agro animæ, & sic charitas *primas* agere posset *radices.* Per *secundam* virtutibus augeretur, & robur acquireret, & cresceret quasi variis virtutum habitibus circumvallata charitas, ne à sua vegetatione restinqueretur. Per *tertiam* tantam acquiret perfectionem, & consummationem, constantiam, & stabilimentum, ut adversùs quoscunque adversarios immobilis perseveraret, nec ampliùs amitteretur. 71

Inferes 3. aliarum virtutum tum supernaturalium, tum moralium habitus esse perfectissima adminicula, & fulcimenta, ac dispositiones ad perfectam, radicatam charitatem, ità, ut in his *causaliter*, & *dispositivè* illa constituatur, non *formaliter*: in quantum verò virtutum actus ex imperio charitatis eliciuntur, effectus hujus dici possunt, & ab ea supernaturale meritum obtinent. Cæterùm cum tali proportione accipienda sunt, quæ egimus 72

gimus de dominio passionum, & de ascensu continuo ad perfectiora, mediante enim habitu charitatis, dum contrariis passionum motibus resistitur, & plenum earum acquiritur dominium, & puriores semper sunt actus, quibus augetur habitus, & omnia opera perfectiora redduntur, utpote ex motivo stabilitæ charitatis facta, quod ipsum est ascendere ad perfectiora.

PONDUS AMORIS.

MAgna vis magnetis, quâ ferrũ ad se rapit in certa activitatis sphæra, scilicet in certa quadam distantia, ac cum proportione quantitatis: at major vis amoris, quia nullis limitibus arctata. Mundum transvolat, aërē dissecat, cœlos penetrat, immensum Numen attrahit, summúmque bonum sibi conjungit, & unit. *Pondus* est, quod continuò in centrum tendit, & in solo amato quiescit. Mira amoris natura! si in terrenis versatur, si vana & peritura hujus mundi bona amplectitur, *pondus* est ad ima deducens humanum cor deprimit animæ affectus, & altas aogitationes mentis suo pondere gravat, & vanitatis centro figit. Econtra si cœlum petit, & rectà in Deum tendit, *pondus* est fursùm attrahens animam, ut relictis terrenis quietem non habeat, donec sũmo bono dulciter quiescat. Si amor ignis est ejus pondus sursum tendit. Sed *vade, pondera mihi ignis pondus? 4. Esdra 4.* Inflammatum audiamus Amatorem *amoris pondere* in cœlestes dulcedines plenitùs abreptum, magnum Augustinum *L. 13. Confess. c. 11.* ignis & amoris pondus ponderantem, *Pondus meum, amor meus: eo feror quocunque feror. Bono tuo accendimur, & sursum ferimur; inardescimus, & imus, & ascendimus ascensiones in corde & cantamus canticum graduum. Igne tuo, igne tuo bono inardescimus, & imus ad pacem Jerusalem.* Perpendite singula verba amoris Magistri. Amorem *pondus* vocat, quod cor nostrum sursum elevat ad Deum, tanquam ad centrum, sivè ad proprium amoris locum. *Ignem* appellat, & quidem *ignem bonum*, quô inardescimus; nam sicut ignis in forma pyramidali sursum sese evibrat, & ignito acumine flammulas in cœlum emittit: ità, cùm cor nostrum in similem pyramidalem figuram efformatum esse noscitur, unicè in cœlum suas affectiones emittat, ad centrum suũ contendat, sumum bonum amet, & summè amantem Deum continuò complectatur, se séque illi intimè

timè conjungat. Sic *pondus amoris est ignis pondus. Vade* igitur; imò evola cor meum, *ponderabis mihi ignis pondus*, si probaveris mihi *pondus amoris. Detrahe de pondere cupiditatis, ut accedat pondus charitatis*, ut cum amantissimo Magistro *Epist. 89. ad Hilar.* Scribere & dicere possis: *animus noster velut pondere amoris fertur, quocunque fertur.* Et *lib. 13. confess. cap. 8.* Magnitudinem amoris ponderandam esse ex magnitudine rationalis creaturæ præclarè docet, quæ nunquam quiescit, nisi in solo Deo. „Corpus pondere „suo nititur ad locum suum. Pon„dus non ad ima tantùm est, sed ad „locum suum. Ignis sursùm ten„dit, deorsùm lapis. Ponderibus „suis aguntur, loca sua petunt. O„leum infrà aquam fusum, suprà „aquam attolitur: aqua supra ole„um fusa, infra oleum demergi„tur. Ponderibus suis aguntur, lo„ca sua petunt. Minùs ordinata „inquieta sunt; ordinantur, & „quiescunt. Amor illuc attollit nos „& spiritus bonus exaltat humilita„tem nostram de portis mortis. „*In ipsa misera inaquitudine defluentium* „*spirituum satìs ostendis* Domine, *quàm* „*magnam creaturam rationalem feceris, cui nullo modo sufficit ad beatā requiem, quidquid te minus est, ac per hoc nec ipsa sibi sufficit.* Quapropter ut ponderare posset amoris sui pondus, Illuminari à Deo petiit, ut scire avileret, quid & quantum deesset amoris; sicque concludit: *Da mihi te Deus meus, redde te mihi, te enim amo; & si parum est, amem validiùs. Non possum metiri, ut sciam, quantum desit mihi amoris, ad id quod satis est, ut currat vita mea in amplexus tuos: nec avertatur, donec abscondar in abscondito vultûs tui. Hoc tantùm scio, quia malè mihi est præter te, non solùm extra me, sed & in me ipso: & omnis mihi copia, quæ Deus meus non est, egestas est.*

Desideras, Religiose, scire, quantum in spirituali vita perfeceris, quantámque perfectionem obtinueris? pondera charitatem tuam in Deum, quantum *amoris pondus*, tanta erit perfectio tua. Num illuc feraris quocunque feraris? num cor tuum rectà in cælum ad Deum, vel deorsum in terram ad creaturas, vanitates, corporis commoditates, & sæculi voluptatis tendat? an detrahas de pondere cupiditatis, ut accedat pondus charitatis? vade, & pondera ignis pondus, libra *pondus amoris*, & facilè coniicies pondus religiosæ perfectionis.

Sanctus Bernardus Mentonius amore in Deum adeò ardebat, ut, quocunque ferebatur, in illum ferretur. Propterea nunquam profanorum Societati se se immiscuit, nec cum quoquam, nisi frugis spiritualis causâ egit, ne ab amore unquam abstraheretur. Persuasum enim sibi habuit, satius esse, divinis vacare contemplationibus, quàm cum religiosæ quietis jactura plurium consuetudinem inire, probè gnarus Aurelianæ Parœmiæ, quod

minus

minus Deum amet, qui præter Deum aliquid amat. Unius Valdiserii Canonici (cui propriè uni adscribitur, quòd occultæ, virtutes, & mirabilis vita S. Bernardi nobis innotescant, utpote qui singula religiosissimo calamo consignaverat) familiaritate crebriùs utebatur, quod & ipse solitudinis amans totum divinis rebus se tradidisset, de quibus inter se collocuti mutuò ad studium virtutis accendebantur Seraphinorum more, qui vultibus in se mutuo conversis, alisque se se contingentibus ad Dei amorem se exstimulant. Et quoniam Seraphinorum nomen ei attribuit interpres Scriptor vitæ, Lectorem ad librum S. Bonaventuræ de sex alis ablegat, ubi agnoscet, inquit, S. Bernardum suo volatu diu antè, quàm alter ille vir Seraphicus alas Seraphinorum descripsit, omnium alarum officium exactè præstitisse. *Ex vita c. 9. supra cit.* B. Guilielmus de Campellis, ex Archidiacono Ecclesiæ Parisiensis Canonicus Regularis S. Victoris ibidem, tum Episcopus Catalaunensis amore velut pondere in Deum ferebatur. Nihil illi dulcius, quàm repetitis actibus animam cœlesti Numini conjungere. Inunxistis mellifluum Doctorem Bernardum in Abbatem Claravallensem, cum quo tanta amicitia fruebatur, ut ipsis planè cor unum, & anima una, in Deo fuerit. *Ita sanè* (utor verbis Scriptoris apud Angelum Manrique To. 1. annalium Cisterciensium cap. 2. pag. mihi 80. n. 6.) (*ut sæpè alter alterum hospitem deinceps haberet, & propria esset domus Episcopi domus Claravallis: Claravallum verò efficeretur non sola domus Episcopi, sed & per ipsum tota civitas Catalaunensis.* Ex amore erga Abbatem redundante etiam in totam Cisterciensium familiam in sua diœcesi celebre domicilium, fortè à fontibus eo loco scaturientibus, *Trium fontium* dictum, è fundis erigi fecit. Ut verò munus boni pastoris erga oves curæ suæ commissas palam ostenderet, nullus dubitavit in Pontificia dignitate constitutus in absentia propriorum Pastorum, vices illorum gerere, quod describens Mellifluus Doctor pulchrè *Epist. 58.* ait: *Certè duobus monasteriis S. videlicet Petri, & S. Urbani, pastorali aliquando solatio similiter destitutis bonæ memoriæ vester Dominus Guilielmus non longi itineris laborem, non hyemis reputans austeritatem (bis, ni fallor) Cluniacum, semel Divionem per seipsum adiit, hincque virum bonum Dominum Hugonem, qui pòst defunctus est, illic virum Venerabilem, qui adhuc præest, Dominum Radulfum, vix multis precibus impetratos abducens, singularem singulo præposuit monasterio.* Hæc S. Bernardus. Obiit verò Guilielmus, inquit Manrique loc. cit. fol. 102. n. 4 *Ingens Catalaunensis, imò & totius Gallicanæ Ecclesiæ Lumen, magno suorum luctu, maximo autem Monachorum Trium fontium;*

tium, quippè orbatorum fundatore perillustri, atque patrono sibi collendissimo, Anno post Deum Hominem 1119. ut ex Necrologio S. Agiulphi Corboliensis, Joannes Picardus Canonicus Regularis ad S. Victorem in notis ad tertiam Epistolam D. Bernardi adnotavit, octavo Calend. Februarii, non pridie nonas Julii, ut asseruit Chrysostomus Henriquez. *Ex Joan. Bollando To. 2. die 25. Januarii, ubi Guilielmum mortem oppetiisse tradit. A. 1121. Et Claudio Roberto in Gallia Christiana. f. 296. atque Angelo Manrique l. c.*

Reverendissimus Paulus Malchiodus Placentinus Congregationis Lateranensis 15. natus annos Ordinem nostrum amplexus doctrina, & virtutibus eundem postea plurimùm illustravit. Tanta facundia fuit præditus, ut in celeberrimis cathedris oratoris clarissimi famam obtinuerit. Varias insuper Canonicas ad S. Mariam Calenæ Abbas, ad S. Sophiam Beneventi Præpositus, Parmæ, Mortarii, Placentiæ, ac Spoleti Prælatus ubique dignissimus, & vitæ Sanctioris notam ubique famosus rexit, & perfectionis religiosæ, solidæ scilicet charitatis vestigia reliquit. Sufficiat hujus afferre unum actum, à quo sequela institui potest ad reliquos tam profundæ humilitatis, quàm pedissequæ altissimæ, & optimè ordinatæ *Charitatis.* Aliquando annonæ charitatis tempore tristissimo, egenorum causam ita cordi habuit, ut ad stipem pro eis conquirendam non solùm ipse ostiatim plateas obiverit, sed etiam æstu flagrantissimo prolixiùs è suggestu divitem populum ad charitatis obsequia animaverit, & exoraverit. Debitum naturæ solvit in ea ipsa Abbatia calenæ Anno sæculari postremùm exacto, scilicet Anno 1600. die Conversionis Doctoris gentium pro festo occumbente jam sole inter manus & officia Eugenii Donesani Caraugini, & Augustini Veronensis Annos natus quinquaginta octo. Eo adhuc inter vivos agente per Congregationis Academias circumferebantur, quæ in concionibus habebat ad verbum, & ab ejus obitu personarunt per diversorum ora eadem ipsa commendatione, & non pœnitendo fructu. Quod integrum audivimus reliquisse (sunt verba Abbatis Rosini vitæ Scriptoris) manu scriptum est. *De Jona Propheta vocatione, Fuga, Navigatione, Somno, Confessione, Projectu, Sepultura, Evomitione, Prædicatione, & Querelis libros quinque Historicè, Moraliter, Allegoricè. Ex Lyceo Lateranensi Abbatis Rosini lib. 14. Ex Gabriele Pennotto Historia tripartita lib. 3. c. 18.*

Venerabilis Joannes Robertus Canonicus S. Crucis Colimbricensis religiosæ perfectionis exemplar absolutissimum fuit. Serenissimi Regis Petri Sanctii primi hujus nominis Sacellanus beata pignora quinque

quinque Martyrum, qui apud Marochium pro fide Christi occubuerunt, piissima solicitudine custodivit, & insignes favores ab iisdem ob singularem zelum promeritus est. Obsequium enim tam sanctæ custodiæ, & flagrantissimum Athletas Christi imitandi studium duplici gratia SS. Martyres compensare visi sunt. Primo namque cùm eques quidam nomine Petrus à Rosa ob ingens desiderium illorum reliquias contemplandi, scalam ascendisset, illico diriguit, cujus magnis ejulatibus hic Sanctus Vir accurrens, illius criminibus confessione expiatis, caput unius dictorum martyrum ejus pectori admovit, quô facto, ille statim perfectè pristinam salutem recuperavit. Deinde cùm Rex D, Alphonsus II. dictorum Sanctorum Martyrum reliquias ad Cathedralem Colimbricensem deferri statuisset, ille divino miraculo in Monasterio S. Crucis substiterunt, ac ibidem ipsi Martyres sua pignora condi voluerunt, ut constat ex Chronologiis ipsius Regis Alphonsi, nec non ex Chronicis Franciscanis lib. 1. cap. 19. quod piè credendum est in recompensationem laboris præstitum, quam Sanctus hic Canonicus ejus loci professus impenderat in eorum reliquiis custodiendis. *Ex Gabr. Penn. l. 2. c. 61. n. 1.*

B. Gudinus Lusitanus primus S. Vincentii, & antea Monasterii de Balneo Canonicus, postea verò ad Episcopatum Lamacensem, & tandem ad EpiscopatumBracharensem assumptus charitatis pondere in Deum trahebatur, & proter religiosæ perfectionis, & sanctioris vitæ famam Metropoliticas Insulas adeptus est. Cùm Annis duodecim, mensibus septem, diebus viginti septem sanctissimè tenuisset Cathedram, ex hac mortali vita ad perrennem evolavit 30. die Martii An. 1188. Colitur pro Sancto, ac in magna veneratione habetur. Hunc Casparus Alvarez de Lousada Macado D. Augustini Bracharensis Archiepiscopi olim Chronographus in suis memoriis narrat, miraculorum gloria floruisse. *Ex eodem l. c. n. 2.*

ARTICULUS VIII.

De statu perfectionis, & obligatione Regularium ad eam tendendi.

SUMMARIUM.

73. *Status physicè, & moraliter accipitur.*
74. *Differt ab officio, & gradu.*
75. *Prælati Episcopo inferiores sæculares, esto, quòd sint perfecti, non sunt in statu perfectionis.*
76. *Conclus. 1. cum Ecclesiasticâ hierarchia duo sunt status perfectionis, scilicet Episcoporum, & Regularium.*
77. *Respondetur 3. objectionibus.*
78. *Conclus. 2. Religiosi ad perfectionem tendere, non autem esse perfecti tenentur.*
79. *Objecta solvuntur.*
80. *Corollarium 1. Religiosus graviter peccat, qui media ad perfectionem respuit, &*
81. *Coroll. 2. minora Ordinis Statuta etiam sub nullo peccato obligantia contemnit. Hinc*
82. *Coroll. 3. Religiosorum peccata triplici de causa sunt graviora peccatis sæcularium. Ex alia tamen ratione etiam possunt esse minora. Vinculum perfectionis.*

73 ALiqua hic complectimur, quæ Doctor Angelicus totis quæstionibus & articulis scholastica tradidit methodo. Imprimis dicendum venit post explicatum statum officium & gradum, in quo statu sint Religiosi? an status sit perfectionis, dein agendum de obligatione eorum, qui sunt in statu perfectionis, continuò connitendi ad eam. Ut autem singula ritè pertractemus, & paucis comprehendemus scitu necessaria ad hauriendam doctrinam asceticam, Præmittendum primò, quod *Status* dupliciter accipi possit. 1. Physicè, & sic importat *quandam positionis differentiam, secundùm quam aliquid disponitur quoad modũ suæ naturæ quasi in quadam immobilitate*, ut si homo nec jaceat nec sedeat, nec accumbat, sed solùm erectò stet, nec rursùs stare dicitur, si moveatur, sed quando quiescit. Secundò *moraliter*

liter & *politicè* acceptus *Status* respicit obligationem stabilem, & non ex levi causa mutabilem personæ, prout est sui, vel alieni juris. *Unde Status propriè pertinet ad libertatem vel servitutem, sive in spiritualibus, sive in civilibus.* Qua de causa non ille dicitur in statu libertatis, qui hic & nunc non servit, obligatus tamen aliunde ad serviendum: nec actu dicitur servus, qui actu non servit, sed utriusque status desumitur ab immutabili obligatione ad libertatem vel servitutem. Hinc etiam ea, quæ extrinseca sunt homini, & de facili contingentia, non constituunt statum, puta, si aliquis sit dives vel pauper, senator vel plebejus. Quare in jure civili, qui à senatu amovetur, non status sed dignitas ei auferri dicitur. Ita S. Thom. 2.2.q. 183. a. 1. Dum igitur hic de statu perfectionis loquimur, *statum* in morali sensu accipimus pro immobili obligatione ad servitutem spiritualem, rejectis omnibus impedimentis.

Præmittendum secundò, differre inter se *statum*, *officium* & *gradum*. *Status* enim denotat stabilem quandam obligationem serviendi, sive in spiritualibus, sive in civilibus, ut mox dictum est. Officium respicit peculiarem quandam actionem, & ubi sunt diversæ actiones, diversa sunt officia ad eas deputatorum. Hinc necessarium est in Ecclesia diversa esse officia propter diversas actiones, & ad evitandam confusionem, ne unus alterius officium incurrendo actiones disturbet. *Sicut enim in uno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent, ita multi unum corpus sumus in Christo, Rom. 12.* Gradus respicit quendam ordinem pulchritudinis Ecclesiasticæ, ita, ut in eodem statu vel officio detur superior, & inferior. Atque ista diversitas ingentem ornatum Ecclesiæ inducit; atque perfectionem quoad *statum*, necessitatem quoad *officia*, pulchritudinem quoad *gradus* significat, secundùm illud, astitit Regina à dextris tuis in vestitu deaurato circumdata varietate Psal. 44. *Scilicet* (ut habet glossa ordinaria) *doctrina Apostolorum, & confessione Martyrum, & puritate Virginum, & lamento pœnitentium ornatur Regina*, Ecclesia. Ita S. Th. cit. Q. a. 2. & 3.

Præmittendum tertio. Prælatos sæculares Episcopo inferiores non esse in statu perfectionis, licet varia & multiplicia administrent officia, & teneant gradus in hierarchia Ecclesiastica, quia neque ex susceptione S. Ordinum, neque ex parte curæ animarum, quam suscipiunt, ponuntur in statu perfectionis, *non enim obligantur ex hoc ipso vinculo perpetui voti ad hoc, quod curam animarum retineant, sed possunt eam deserere, vel transeundo ad religionem, etiam absque* Scientia Episcopi, c. 19. q. 2. c. duæ sunt in fine.

&c.

&c. *Et etiam cum licentia Episcopi potest aliquis archidiaconatum vel Parochiam dimittere, & simplicem prabendam accipere sine cura, quod nullo modo liceret, si esset In statu perfectionis. Ita S. Th. quæst. 184. a. 6. in corp.* Hujus ratio universalis est, quia per tria vota non contrahunt stabilem obligationem ad perfectionem tendendi, sicut Religiosi, nec suscipiunt consecrationis Officium cum deputatione perpetua ad animarum curam, sicut Episcopi, qui non nisi auctoritate Summi Pontificis, ad quem etiam solum pertinet in votis perpetuis dispensare, possunt Episcopalem curam deserere. S. D. loc. cit. His itaque præmissis.

Dicendum 1. Duo in Ecclesiastica hierarchia sunt status perfectionis, scilicet Episcoporum, & Regularium. Ita cum S. Dionysio S. Thomas 2. 2. q. 184. a. 4. *Ratio est, quod ad statum perfectionis requiratur obligatio perpetua ad ea, quæ sunt perfectionis cum aliqua solemnitate. Utrumque autem horum competit & Religiosis & Episcopis Religiosi enim se voto astrinxerunt ad hoc, quod à rebus sæcularibus se abstineant, quibus licitè uti poterant, ad hoc, quòd liberiùs Deo vacent, in quo consistit perfectio præsentis vitæ.*

Jam exponitur ita argumentum S. Thomæ. Qui contraxit obligationem perpetuam cum aliqua solemnitate ad ea, quæ sunt perfectionis, est in statu perfectionis; atqui soli Episcopi & Religiosi contraxerunt obligationem perpetuam cum aliqua solemnitate ad ea, quæ sunt perfectionis: Ergo Soli Episcopi & Religiosi sunt in statu perfectionis. Minor declaratur. Soli Episcopi obligant sed ad ea, quæ sunt perfectionis pastorale assumentes officium, ad quod pertinet, ut animam suam ponant pastores pro ovibus suis, sicut dicitur Joan. 10. Adhibetur etiam quædam solemnitas consecrationis simul cum professione prædicta secundùm illud 2. ad Tim. 1. resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum, quod glossa exponit de gratia Episcopali. Et S. Dionysius dicit c. 5. Eccle. Hierarch. quòd summus Sacerdos, id est, Episcopus in sua ordinatione habet eloquiorum super caput sanctissimam superpositionem, ut significetur, quòd ipse est participativus integræ totius hierarchicæ virtutis, & quòd ipse non solùm sit illuminativus omnium, quod pertinet ad S. locutiones, & actiones, sed quòd etiam hoc aliis tradat. Hucusque S. Thomas l. cit. Religiosi etiam per trium votorum emissionem perpetuo se obligant ad ea, quæ sunt perfectionis. Per votum paupertatis omnem curam rerum sæcularium abiiciunt, quibus aliàs licitè uti potuissent. Per votum castitatis coercent concupiscentiam delectationum sensibilium & venerarum. Per votum obedien-

tiæ

tiæ ordinant suam propriam voluntatem juxta imperium, & directionem Magistri, ne à fine ultimo aberrent, & in via ad perfectionem hallucinentur. Porro se totaliter offerunt ad divinum obsequium, & in holocaustum perpetuum, de quibus Gregorius Magnus dicit ho. 20. super Ezechielem, sunt quidam, qui nihil sibimetipsis reservant, sed sensum, linquam, vitam, atque substantiam, quam perceperunt, omnipotenti Deo imolant. In hoc autem perfectio hominis consistit, quòd totaliter Deo inhæreat, sicut ex supra dictis patet: ergo Religiosi sunt in statu perfectionis.

Deinde (ut bene probat Ang. Doctor 2. 2. quæst. 186. a. 1.) Religio importat statum perfectionis: ergo etiam Religiosi in illa viventes erunt in statu perfectionis; nam *id, quod communiter multis convenit, antonomasticè attribuitur ei, cui per excellentiam convenit*; sed Religio est id, seu illa virtus, per quam aliquis ad Dei servitium, & cultum aliquid exhibet, & communiter multis convenit, omnibus illis scilicet, qui aliquid exhibent ad Dei cultum: ergo Religio antonomasticè attribuitur ei, cui per excellentiam convenit. Atqui Religiosis antonomasticè Religio, ejúsque perfectio attribuitur, utpote qui se totaliter mancipant divino servitio, Deóque in holocaustum se offerunt: ergo per excellentiam Religiosis convenit perfectio, consequenter erunt in statu perfectionis. 77

Dices 1. Quod convenit omnibus de necessitate salutis, non potest solis Religiosis attribui; sed Religio convenit omnibus de necessitate salutis: ergo non solis Religiosis potest attribui, aliàs soli Religiosi salvarentur.

R. Disting. M. Quod convenit omnibus de necessitate salutis, ut aliqua exhibeant ad cultum divinum, non potest solis Religiosis attribui. C. M. Quod convenit omnibus de necessitate salutis, ut totaliter se & sua divino cultui deputent solis Religiosis. N. M. Sed Religio convenit omnibus de necessitate salutis, ut aliqua exhibeant ad cultum divinum. C. m. Ut totaliter se & sua divino cultui deputent. N. m. Et consequentiam. De necessitate salutis est, ut Religionis virtutem omnes exerceant, credendo in Deum, ipsum amando, adorando, ejus præcepta servando, & aliqua ad cultum ipsius præstando: sed etiam consilia servare, non solùm sua, v. g. aliqua bona temporalia, sed etiam semetipsum, suamque libertatem totaliter Deo in holocaustum offerre, non nisi Religiosis convenit, qui propter heroicam sui abnegationem, & ad divinum obsequium mancipationem antonomasticè dicuntur illi, quibus per excellentiam Religio convenit, consequenter

soli sunt in statu perfectionis, & non omnes, puta sæculares.

Dices 2. multi sæculares sunt perfectiores quibusdam Regularibus: ergò etiam illi sunt in statu perfectionis. R. C. ant. N. consequentiam quia status perfectionis non desumitur ab actu, sed á stabili professione, & obligatione, ut sæpe hucusque dictum.

Dices 3. Religio est locus pœnitentiæ: ergò non est status perfectionis, quia perfectio opponitur imperfectioni, quam secum trahit pœnitentia defectuum commissorum. Dein etiam in Religione sunt incipientes, & proficientes: ergò non omnes in statu perfectionis, consequenter Religio non est status perfectionis.

R.C. ant. N. consequentiã. Religionis enim status principaliter est institutus ad perfectionem adipiscendam per quædam exercitia, quibus tolluntur impedimenta perfectæ charitatis. Sublatis autem impedimentis perfectæ charitatis multò magis exciduntur occasiones peccati, per quod totaliter tollitur charitas, ut habet S. Th. q. 186. a. 1. ad 4. Magis igitur evincitur, quòd eo ipso pœnitentiæ locus sit status perfectionis, quia per opera pœnitentiæ excluditur peccatum, inducuntur virtutes, firmatur charitas, & ad culmen perfectionis majoris evehitur. Ad additum patet responsio, quòd necessariò debeant esse incipientes, & proficientes in Religione, ex ipsius fine, quòd sectatores sui susceperint obligationem in se tendendi ad perfectionem: tendere autem ad perfectionem est quasi à primo gradu ad altiores semper ascendere, id quod est incipere, & sensim proficere, & tandem perfectum fieri; nam sicut in omnibus scientiis, & artibus dantur incipientes, proficientes, & perfecti, quod perfectioni artis non obest: atque sicut ille, qui intrat scholas, non profitetur se scientem, sed profitetur se studentem ad scientiam acquirendam. Ita quoque ille, qui transit ad Religionem, non profitetur se esse perfectum, sed profitetur sed adhibere studium ad perfectionem consequendam. S. Th. c. l. a. 1. ad 1. Igitur Religioni optimè convenit triplex ad perfectionem via incipientium. &c.

Dicendum 2*dò*. Religiosi non tenentur esse perfecti, sed sub gravi obligantnr tendere ad perfectionem charitatis. Ita S. Th. 2. 2. q. 186. a. 2. Ratio prioris est, quia *status Religionis est quadam disciplina vel exercitium ad perfectionem perveniendi.* Ergo qui Religionem profitetur, non tenetur esse perfectus. Antecedens est Præceptoris Ang. l. c. consequentia probatur. Qui profitetur disciplinam per certa quædam exercitia ad perfectionem perveniendi, is non profitetur actualem perfectionem, nec te-

tenetur esse perfectus; sed qui profitetur Religionem, is tantùm profitetur disciplinam per certa quædam exercitia ad perfectionem perveniendi: ergo qui profitetur Religionem, non profitetur actualem perfectionem, consequenter non tenetur esse perfectus.

Probatur 2. Arg. S. Th. *Qui ex obligatione operatur ad finem non ex necessitate convenit, quòd jam assecutus sit finem, sed requiritur, quod per aliquam viam tendat ad finem*; atqui Religiosus professus per observantiam trium votorum operatur ad finem, scilicet ad perfectionem charitatis: ergo ex necessitate non convenit, quòd Religiosus professus jam assecutus sit finem, sed requiritur, quod per aliquam viam tendat ad finem, scilicet per observantiam trium votorum, & eorum, quæ substantiam & finem charitatis concernunt. *Et ideo ille qui statum Religionis assumit, non tenetur habere perfectam charitatem, sed tenetur ad hoc tendere, & operam dare, ut habeat charitatem perfectam.* Ratio posterioris est. Qui habet perpetuam obligationem ad finem tendendi, non potest respuere media ad illum conducentia; sed Religiosus habet perpetuam obligationem ad finem tendendi, scilicet ad perfectionem charitatis: ergo non potest respuere media ad illum, scilicet ad perfectionem charitatis conducentia. Jam subsumitur. Si nunquam jurata media, scilicet tria vota, & ex Regula præscripta licitè à se amoliri potest: ergò ex obligatione ea observare tenetur, quibus mediantibus eo ipso ad finem Religionis, nempe ad perfectionem charitatis tendere tenetur. Hinc S. Doctor concludit, Religiosum non teneri ad hoc, quod impleat, quæ ad perfectionem charitatis consequuntur, teneri autem ut ad ea, quæ charitatem introducunt & conservant, implenda intendat.

Dices 1. Qui interiùs perfectionem eandem in se non exprimit, 79
quam profitetur exteriùs, simulationem committit & mendacium; sed multi Religiosi interiùs illam perfectionem in se non exprimunt, quam exterius profitentur: ergo simulationem comittunt & mendacium. R. cum D. A. Q. 184. a. 5. ad 2. distinquendo M. Qui interiùs perfectionem eandem in se non exprimit, quam profitetur exterius, & si illa consistat in actuali perfectione, simulationem committit & mendacium. C. M. Si verò consistat solùm in obligatione tendendi N. M. Hinc quamdiu Religiosus ab intentione perfectionis animum non revocat, non comittit mendacii crimen, quia ipsius Religiosi obligatio non hæret in actuali perfectione, sed tantùm in obligatione ad eam tendendi. Ex quo patet, quòd hypocrisin, simulationem & mendacium incurrat is Religiosus, qui perfectio-

nis incurius vivit, omnémque intentionem ad perfectionem tendendi abjicit.

Dices. 2. Actus martyrii est perfectior charitas secundùm illud Joan. 15. v. 13. majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis: ergo martyrium est status perfectionis, non status religiosus.

R. Martyrium in actu perfectissimo charitatis consistere, Religio autem non est status perfectionis secundùm actum, sed secundùm finem & obligationem, ut supra diximus, & priori articulo perfectionem non in actuali, sed in habituali charitate posuimus; unde in hac, non in actu martyrii religiosam perfectionem constituimus.

Dices 3. Episcopi tenentur esse perfecti, quia sunt in statu perfectiònis: ergò æquè Religiosi obligantur esse perfecti, & non solùm tendere ad perfectionem.

R. non ideo Episcopos teneri esse perfectos, quia sunt in statu perfectionis quocunque, sed quia exercent simul officium magisterii, quod requirit esse irreprehensibiles, ut ait Apostolus. Cæterùm æquè sunt in statu perfectionis, sicut Religiosi cum hoc discrimine, quòd hi obligationem habeant tendendi ad perfectionem, illi verò eam actu in se exprimendi. Nam juxta S. Augustinum 12. de Genes. ad lit. *Semper agens præstantius est patiente.* Quia secundùm S. Dionysium *Episcopi se habent, ut perfectores, Religiosi autem ut perfecti* quoad finem, atque intendere debent. Quorum unum pertinet ad actionem, alterum autem ad passionem. Unde manifestum est, quod status perfectionis potior est in Episcopis, quàm in Religiosis. Videatur S. Th. q. 184. a. 7. Nobis hæc adducta sufficiunt. De hac materia Ascetica scripsit insignem libellum *Manuductio ad perfectionem religiosam per vias rectas & planas* intitulatum Reverendissimus, Prænobilis, ac Amplissimus D. D. Gregorius celeberrimi & exempti monasterii Schyrensis Abbas tunc temporis Præses Generalis, postea etiam Congregationis Benedictino-Bavaricæ, Visitator, ubi solida Asceseos fundamenta rara methedo concinnata aperiuntur. Partus planè dignus qui etiam Romæ fuit approbatus, & ob insignem doctrinam publico celebratus encomio. Nos quoque Part. 1. cap. 3. a. 3. à fol. 136. quædam jam delibavimus.

Ex dictis colliges 1. grave com- 8
mittere peccatum Religiosum professum, qui respueret media ad perfectionem charitatis obtinendam necessaria, qualia non tantùm sunt communia præcepta divina & Ecclesiastica, verùm & Religionis vota, licèt enim ad omnia consilia servanda non teneatur, ut docet S. Th. sæpè cit. q. 186. a. 2. obli-

ligatur tamen ad ea, quæ proximè obstant spirituali profectui; obstat autem vel maximè neglectus votorum & præceptorum, sicut & aliorum mediorum ad charitatem conservandam requisitorũ. Hinc

81 Colliges 2. Graviter peccare Regularem, qui ex contemptu minora ordinis sui statuta, etiam sub nullo peccato obligantia, nollet observare. Nam contemptus meliora agendi causa foret, quòd *animus obfirmaretur contra spiritualem profectum*, quod ipsum foret positivè non tendere ad perfectionem. Quamvis enim non teneatur Religiosus *ad ea, quæ perfectionem charitatis consequuntur, neque ad ea exercitia omnia, quibus ad perfectionem pervenitur, sed ad illa, quæ determinatè sunt ei taxata secundùm Regulam, quam professus est*, si tamen ad sit contemptus, ita ut nihil ducat transgressiones quotidianas sub pæna tantùm obligantes, *contra ea agit, quæ conditio sui status requirit*, & hinc à peccato mortali excusari nequit. S. Th. l. c. Sic qui passim frangeret jejunium regulare, solveret silentium statuto tempore & loco, spirituales lectiones, examina conscientiæ, medidationes, aliáque in ordine sacro præscripta exercitia negligeret, laudabiles consuetudines sive quoad chorum, sive quoad refectorium contrariis actibus perverteret, licèt cæteroquin ad hæc sub culpa non daretur obligatio, propter supinam negligentiam contemptui horum conjunctam graviter peccare censendus est.

Colliges 3. Peccata Religiosorum graviora esse peccatis sæcularium. 82 Ratio est, quòd illi professi sint statum perfectionis, ad quam tendere vi suæ obligationis tenentur, non autem isti. Dein triplici modo peccatum Religiosi aggravatur. 1. Quando agit contra votum Religionis, ut si fornicetur, quod est peccatum contra castitatem, vel furetur, quod peccatum contra paupertatem est. 2. Si ex contemptu peccet; sæcularis enim aliqua præter læsionem charitatis contemnere potest, quæ nequit Religiosus. Hinc enim ex hoc videtur esse magis ingratus divinis beneficiis, quibus est sublimatus ad statum perfectionis. Sic Apostolus Hebr. 10. *Fidelem*, asserit, *graviora mereri supplicia ex hoc quòd peccando filium Dei conculcet per contemptum.* Unde & Dominus conquetitur Jerem. 11. *Quid est, quod dilectus meus in domo mea fecit scelera multa?* 3. Peccatum Religiosi potest esse majus propter scandalum, quia ad vitam ejus plures respiciunt, & hinc peccatis suis alios quodamodo ad peccandum inducit. Ita rursus Dominus apud Jeremiam c. 23. v. 14. conqueritur: *Et in Prophetis Jerusalem vidi similitudinem adulterantium, & iter mendacii. & confortaverunt manus pessimorum, ut non converteretur unusquisque à malitia sua &c.*

Si verò Religiosus non ex contemptu, sed ex infirmitate, vel ignorantia aliquod peccatum, quod non est contra votum suæ professionis, committat absque scandalo (puta in occulto) leviùs peccat eodem genere peccati, quàm sæcularis; quia peccatum ejus, si sit leve, quasi absorbetur ex multis operibus bonis, quæ facit. Et si sit mortale, faciliùs ab eo resurgit, ut constat ex p. 1. c. 1. n. 4. propter copiosa media, orationes confratrum, lectiones sacras, inspirationes cælestes, & obvia virtutum exempla, quæ nunquam desunt in S. Religione. Hinc Religiosi peccantes non statim ex contemptu peccâsse, sed magis ex ignorantia vel infirmitate arguendi sunt. Si verò ad hoc perveniant, quòd ex contemptu peccent, efficiuntur pessimi, & maximè incorrigibiles, quos plerumque aut à Religione defecisse aut miseram in Religione vitam duxisse, atque infelici morte defunctos historiæ & experientia docent. Ea propter S. P. N. in Epist. ad plebem hippon. Profectum spiritualem Religiosorum, & defectum notandâ sententia animadvertit, dicens: *Ex quo Deo servire cæpi, quomodo difficilè sum expertus meliores, quàm qui in monasteriis profecerunt; ita non sum expertus pejores, quàm qui in monasteriis ceciderunt.* Cogita igitur, Religiose, sublimem professionis tuæ statum, non excidat animo tuo finis, ad quem tendere debeas, sit in ore tuo illud S. Bernardi: Bernarde ad quid venisti. Memorare illa, quæ suggerit S. Pater *serm. 49. de diversis*, ubi non solùm te, sed omnes sub S. sua Regula militantes admonet Clericos, ne professionis suæ memoriam unquam exuant, vel perfectionis statum hypocritarum instar exteriùs simulent. *Quia malum est cadere à proposito, sed pejus est simulare propositum, Vovete, & reddite ergò Domino Deo vestro. Quia melius est non vovere, quàm vovere, & non reddere. Clericus duas res professus est, & sanctitatem, & clericatum, Interiùs sanctitatem, exteriùs Clericatum, si intus habuerit simulationem, totus cecidit.*

VIN-

VINCULUM PERFECTIONIS.

ZElosissimus gentium Doctor suos Colossenses ad Christianam perfectionem erudire cupiens, præter virtutes varias, misericordiam benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, dilectionem erga proximum &c. Tandem super omnia charitatem commendavit, *super omnia autem hac*, inquiens, *charitatem habete, quod est vinculum perfectionis.* Vinculum scilicet virtutes omnes connectens, integrans, perficiens, & conservans. Etenim sicut unio inter animam, & sublatâ illâ totum dissolvitur, membra dissipantur, corpus corruit ac perit: ita etiam sublatâ charitate virtutes omnes dilabuntur, & quidquid perfectionis in iis continetur, ociùs destruitur, & disrumpitur. *Charitas*, inquit theophylactus, *unit omnes virtutes, complétque totum corpus perfectionis Christianæ, quod in aggregatione virtutum christianarum consistit, ut si charitatem tollas, virtutes disfluant, & tota perfectio, corpúsque virtutum pereat.* Nempe charitas omnes alias virtutes ligat in unitatem perfectam quia *unumquodque dicitur esse perfectum, in quantum attingit proprium finem, qui est ultima rei perfectio. Charitas autem est, quæ unit nos Deo; qui est ultimus finis humanæ mentis, quia qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo* 1. *Joan*, 4. Ita Angelicus Magister 2.2. q. 184. a 1. Habet quidem virtutes omnes amicabile vinculum, quo invicem adunantur & colligantur, ita ut una præbeat auxilium alteri, sic *Modestia* opus habet *Patientiâ*, ut in injuriis & contumeliis ferendis fortiter simul, ac modestè se gerat. *Patientia* opus habet *humilitate*, ut alteri sibi superbè insultanti se non præferat, sed potiùs humiliter se subjiciat, & molestias humiliter perferat. Ast charitas virtutum omnium est *vinculum*, quia illis suam perfectionem, quam habet à Deo, communicat & ita contribuit, ut illæ nec simul, nec quælibet seorsim subsistere valeant. Atque in hunc sensum Cherubicus Doctor *serm.* 57. *de verb. Dom. Pacem, serenitatem mentis, tranquillitatem animi, simplicitatem cordis* appellat *amoris vinculum, consortium charitatis.* Audiamus porro charitatis vinculo penitus colligatum S. P. N. qui *lib. de laud. charitat.* ita differit: „sectamini charitatem dulce, ac salubre *vinculum* mentium: sine „qua dives pauper est, & in qua „pauper est dives. Hæc in adversitatibus tolerat, in prosperitatibus temperat, in duris passionibus fortis, in bonis operibus hilaris, in tentatione tutissima, in „ho-

„hospitalitate latissima, inter veros fratres lætissima, inter fallos patientissima. In Abel per sacrificium gratia, in Noe per diluvium secura. In Abrahæ peregrinatione fidelissima, in Moise inter ærumnas lenissima, in David tribulationibus mansuetissima in tribus pueris blandos ignes innocenter spectat, in Machabæis sævos ignes fortiter tolerat. Casta in Susanna contra virum, in Anna post virum, in Maria præter virum: libera in Paulo, ad arguendum, humilis in Petro ad obediendum, humana in christianis ad confitendum, divina in Christo ad ignoscendum. Charitas est vita animarum, prophetiæ virtus, sacramenti salus, scientiæ solidamentum, fidei fructus, divitiæ pauperum, vita morientium. Quid tam magnanimum, quàm pro impiis mori? Quid tam benignum, quàm & inimicos diligere? Sola est, quam felicitas aliena non premit, quia non æmulatur; sola est, quam felicitas sua non extollit, quia non inflatur: sola est, quam conscientia mala non pungit, quia non agit perperam. Inter opprobria secura est, inter odia benefica, inter iras placida, inter insidias innocens: inter iniquitates gemens, in veritate respirans. Quid illâ fortius non ad retribuendas, sed ad non curandas injurias? Quid illa fidelius, non vanitati sed æternitati? Nam ideo tolerat omnia in præsenti vita, quia credit omnia de futura vita: & sufert omnia, quæ hic irrogantur, quia sperat omnia, quæ ibi promittuntur. Merito nunquam cadit. Ergo sectamini charitatem: & eam sanctè cogitantes, afferte fructû justitiæ, & quidquid uberius, quam ego dicere potui, vos inveneritis, in ejus laudibus, appareat in vestris moribus.

Et cur *Vinculum perfectionis*, omniúmque virtutum unio meritò vocetur charitas, si quæras rationem astruit subtile Doctoris nostri ingenium à contrario deductam, quia malus amor cælesti amori oppositus omnia vitia in se colligit, & adunat, atque per quandam redundantiam iis se se immiscet: dein malus amor vacare nequit, & otiari, sed continuò malè operatur, quidquid vitiosè operatur. Rectè igitur divina charitas pariter otiosa esse nequit, sed continuò sanctè operatur, quidquid in virtutibus, sive virtuosè operatur atque adeò ex abundantia virtutes in se transformat, séque virtutibns omnibus communicat, quod est *vinculum perfectionis*. Audiamus SS. Magistri verba ita in Ps. 31. discurrentis. *Dilectio vacare non potest. Quid enim de quoquam homine etiam malè operatur, nisi amor? Da mihi vacantem amorem & nihil operantem? Flagitia, adulteria, facinora, homicidia, luxurias omnes nonne amor operatur? Purga ergo amo-*

amorem tuum, velut aquam fluentem in cloacam, converte ad hortum. Quales impetus habebat ad mundum, tales habeat ad artificem mundi. Non vobis dicitur: nihil ametis, imò amate. Sed, quid ametis, videte. Amor Dei, & amor proximi dicitur charitas: amor mundi, amor hujus sæculi, cupiditas dicitur. Cupiditas refrænetur, charitas excitetur. Ipsa enim charitas bene operantis dat ei spem bonæ conscientiæ. &c. Sit igitur tua Religiose, charitas adeò animata, ut virtutibus ceteris vitam supernaturalem quoque tribuat: sit adeó firma, ut stabilitatem aliis conferat: sit adeò operibus & actionibus omnibus intima, & unita, ut vigorem cælestis meriti illis communicet, atque toti corpori mystico cunctarum virtutum sit *vinculum perfectionis.*

Hoc vinculo virtutes raras colligabant, quotquot sanctitate conspicui ex ordine Canonico æternis modò fruuntur gaudiis. Placet aliquos adducere, qui quamdiu vixerunt in terra, continuis laboribus, suisque studiis ad perfectionem charitatis contenderunt, nec tamen reputârunt se unquam quid magni fecisse pro Dei gloria, & Ecclesiæ incremento. Ita S. Ollegarius nobilibus Parentibus in Catalaunia ortus, postquam adolescens Ecclesiæ S. Eulaliæ in Canonicum fuerat oblatus, assiduo maioris perfectionis indipiscendæ studio ferebatur, atque exin in celeberrima S. Rufi Abbatia Regulam S. Augustini profiteri volebat. Hic propter eximium in virtutibus progressum brevì charitatis ectypon cœteris præluxit, ut non tantùm Collegii S. Adriani à se instituti, ac dotati Prior (ut vocant) verùm etiam S. Rufi Abbas fuerit electus. Tandem vacante sede Barcinonensi post obitum Raymundi Guilleni à Mauris occisi, cùm de nova electione Comes, Clerus, ac populus essent congregati, & Ollegarius alia de causa præsens, inspirante Numine unanimia in ipsum cecidêre vota, quæ electio etiam à Cardinale Bosone Legato Pontificio reluctante licèt humillimo Abbate, fuit rati habita, & postea à Paschali secundo S.P. confirmata. Erat jam tunc, Berengario Barcinonensi Episcopo è vivis erepto, sub Bertrando S. Rufi priùs Abbate, & postea Episcopo Berengarii Successore Cathedralis Ecclesia per Regulares reformata, cujus Bertrandi scilicet ad Episcopalem sedem evocandi è S. Rufi præcipuo Canonici Ordinis in Provincia Monasterio, vel sola, vel magna causa fuisse scribitur spectata viri virtus, & zelus Barcinonensium comitum, cupientium canonicæ disciplinæ vigorem (*quæ sæculo illo undecimo tam feliciter per omnes orbis christiani provincias reflorescebat, sub peculiari Lateranensis congregationis instituto, & Augustinianæ Regulæ professione*) suis quoque in ditionibus resuscitatum videre per ejus

modi Pastoris electionem, quæ Anno MLXXXIX. contigit.

Cùm igitur aliquot annos felicissimè præfuisset, & gregem Domini sanctissimè pavisset, exigentibus virtutum meritis Tarraconensis Archiepiscopus renuntiatus, & à Gelasio II. pallio donatus: à Calixto verò II. *Legatus Apostolicus de Latere* Pontificiis literis declaratus, in bello Jerosolimitano plurima mala, & gravissimas molestias patientissimè tulit, magna fortiter egit, & vigilantissimi Pastoris munere sanctè perfunctus est. Ecclesiæ sibi commissæ jura constantissimè tutatus est contra potentes adversarios. Iniquas exactiones, & tributa suâ apud Principem intercessione populo gravato relaxari fecit. Lites inter Decanum, & capitulum aliquamdiu protractas ita feliciter composuit, ut Capellaniam *S. Mariæ de la Mar*. (de qua controversia) Decano, quoad viveret, decerneret possidendam, postea Capitulo liberam. Signavit sententiam Berengarius Gerundensis Antistes, séque Episcopum de more scripsit: at verò Archiepiscopus, nunquam non humilitatis memor, non aliud expressit propria manu, quàm humilitatis characterem: *Ollegarius indignus Terraconensis Minister &c.* Et verò fidelis Ecclesiæ Minister fuit, dum pro quiete, & immunitate Ecclesiastica publica indixit comitia, quibus præsentibus Episcopis Abbatipus, Comitibus, Nobilibus, & urbium Principalibus Comissariis præfuit Ollegarius; ubi post varia contentionum argumenta 9. Maji A. D. 1126. Conclusum *quòd nemo imposterum Ecclesias intra 30. passuum ambitum violare præsumat. Quod Ecclesiasticarum personarum corpora, vel bona nequaquam divexet. Quòd comes ejúsque filius de consensu Baronum Archiepiscopo, & Episcopis, Principatus, omnes Ecclesias cum juribus earum cœmeteriis, & possessionibus liberè, & sine lite restituat. Item forma assignata est, qua Ecclesiæ sine earum fraude, & absque contribuentium periculo decimas capiant.* Pacis postea Angelus fuit inter Alphonsum Toletanum, & Raymundum Barcinonensem comites. Mox anno sequenti 1130. Ad *Concilium Claromontanum* ab Innocentio II. evocatus, reditus Suffraganeorum Episcoporum quoad partem impendendos pro exornanda Basilica Tarraconensi obtinuit, quam etiam Proto-Martyri urbísque Patronæ S. Theclæ sacratam magnificè exstruxit, & in augustiorem formam redegit. Non tantùm Tarraconensis Metropolitanæ, sed variarum etiam etiam in tota provincia Ecclesiarum à Mauris destructarum & profanatarum Restaurator exstitit, unde zelus, pietásque Pontificis in Deum & Sanctos elucet. Liberalitas in pauperes inde innotescit, quòd publico nosocomio iis prospicere, & amplos reditus assignare

re sub interminatione gravis pœnæ voluerit, ut, *si quis hoc nostræ beneficentiæ donum* (sunt verba S. Antistitis) *disrumpere audeat, tanquam necator pauperum excommunicetur.* Templariis à Raymundo III. fundatum monasterium A. 1134. Impetravit. tot, tantísque peractis, placuit tandem supremo Agonothetæ Deo innumeris continuísque Præsulis beati laboribus pro christianæ plebis quiete, & fidei defensione exantlatis coronidem imponere, ejúsque patientiam probare, gravissima ægritudine, quâ licèt corporis vires deficerent, ea tamen animi constantia perseveravit, ut Synodum Diæcesanam Novembri de more habendam nihilominus congregari voluerit, in qua cùm miro spiritûs fervore toto, quo Synodus tenuit, triduo, multa disseruisset *de statu Ecclesiæ, de cura Pastorali, de Religione, fide operibus christianis, de officio Sacerdotali, de obedientia, & S. spiritu. &c.* Præsentibus hanc ultimam fore Synodum à se celebratam prædixit, & inter lachrymas eorum orationibus se commendans paterna Benedictione munitos, paritérque gementes, ac lachrymabundos à se dimisit. Vatem fuisse B. Præsulem eventus docuit. Nam sequenti anno 1137. cùm pro more Synodum convocâsset sub initium quadragesimæ, interesse ampliùs conventui non valens extremis Ecclesiæ Sacramentis ad decretalem agonem ritè instructus post impertitam omnibus Benedictionem inter suspiria filiorum beatum Deo reddidit spiritum pridie nonas Martii sole pariter cum illius vita temporali occidente, *ac si, extincto tam illustri Ecclesiæ astro, radios quoque suos lugubri tenebrarum peplo obvolvere Barcinonensibúsque socia in luctu obsequia voluisset præstare. Aut certè Taraconensi Hemisphærio meritò suam subduxit lucem, quòd novus cælo Phæbus sit ortus, animâ B. Ollegarii in Olympum abeunte.* Ita non diu ab obitu gloriosissimi Archipræsulis prodigia testantur. Nam mulier usu linquæ destituta, S. Episcopi sepulturæ præsens cum gemitu cordis, & oculorum lachrymis sanitatem rogans, inter preces suas, & circumstantium mirè solutâ linquâ in hæc verba prorupit. *S. Ollegari, ora pro me.* Et impedimentum fandi amplius non sensit. Barcinonensi rostratæ, à novibus Maurorum circumdatæ, cùm Navarchus aliique alto oppressi somno jacerent, evidentem tulit opem, dum omnes excitavit, *fugite* exclamans, *discedite illicò, ecce irruentes supra vos mauros!* nec tantùm Narvarchus talia monentem audivit, sed ipsum rocheto indutum albo, virgam, ut solitus erat, manu complexum vidit. Surgunt omnes, discindunt anchoræ retinacula, retróque legentes iter, hostilibus navigiis obsessas portus illius, ubi antea appulerunt, fauces reperiunt.

unt. Restabat, ut auxilium Dei, atque B. Ollegarii implorarent: implorant, viresque sibi ad remigandum crescere, decedere hostibus experiuntur, & ita auxilio Dei, atque B. Ollegarii ope incolumes revertuntur. Similiter, ut erat amantissimus Pater pauperum & afflictorum, ita post obitum Evergeta benignissimus fuit. Tres captivi à mauris valentiam abducti diro in carcere diversis macerabantur ærumnis, inter quos unus Sacerdos à B. Ollegario ordinatus socios ad implorandam Præsulis opem hortabatur. Nec mora, precantibus præstò fuit, ipsum enim præsentem sibi viderunt, & catenas eorum diffringentem, eóque duce ex ergastulo egressi, conscensâ navi in litore reperta, Barcinone ad Tumbam Beati compedes ipsos appendêre, quos in carcere mirabiliter solutos attulerant, ad perenne miraculi, & gratitudinis suæ testimonium. Infirmos variis languoribus oppressos integræ sanitati restitutos, cœcos illuminatos, mortuos resuscitatos, gravissimè prolabentes vitæ periculo ereptos, aliáque plura supra naturam portenta per intercessionem S. Præsulis impetrata publicam ei ab Ecclesia venerationem promeruisse publica testantur acta apud *Bolland. ad diem VI. Martii. Ejus festum sub ritu duplici Canonici Regulares hoc die celebrant.*

B. Odo I. Abbas cœnobii Aquæ-Curtensis B. Mariæ virtutibus & eximia pietate insignis à Lamberto Atrebatensium Præsule Calendis Novembris eodem sæculo, quo S. Ollegarius, scilicet 1101. in primum Præsulem inauguratus ad perfectionem Sanctitatis studia & labores omnes contulit, unde Beati nomen apud vicinos in Belgio populos promeruisse scribit Arnoldus Raissius. Dolendum sanè B. Viri merita, & res gestas temporum, ac bellorum incuriâ intercidisse aut etiamnum latere. Ejus obitus refertur ad Annum 1142. 6. Martii. *Ex cit. Rais. Joan. Molan. & Bolland.*

Illustrissimus *Titus de Novellis Ferrariensis* ab ineunte ætate præclara virtutum specimina dedit. Juvenis rerum sæcularium, honorum, & divitiarum contemptum generosum præsetulit, ad quem domestico exemplo, & disciplina mirifica *Blasius Novellus* genitoris frater nepotem ac discipulum suapte ingenio ad omne bonum præparatum induxit. Hic jam provectæ ætatis Doctor decretorum, cùm Ordinem Canonicum, cui per solemne votum pridem addictus erat, labefactatum, ac collabentem in Congregatione *S. Jacobi Cella Volona* Præses cerneret, ex summa animi pietate ac Zelo illum in seipso, ac in locis suis, instaurare precibus apud Deum, om-

omnibúsque conatibus apud homines decrevit. Eapropter reformationem Frigdionariam amplexatus, atque ab omni administratione abdicatus illam ab Anno 1423. mirabiliter in Domino florescentem prospexit, dum interea ad altissimas perfectionis religiosæ vias non tantum se ipsum animavit, sed etiam *Titum*, qui intra paternos lares probitate & eruditione haud vulgari adoleverat, doctorali Canonicarum Santionum laurea jam insignitus, ad vitæ Canonicæ institutum pertraxit. *Blasio Novello* in restitutione Patriarchii Lateranensis per Eugenium IV. nostris factâ, Pœnitentiarii munus obeunte, & Adriensi Episcopo renuntiato tantus evasit *Titus*, ut Canonicis Director, & prudentiâ commendante omnes successivè Ordinis gradus administraverit. Post particularia plura Collegia gubernata Visitator An. 1454. Rectore Generali Timotheo Maffeo Veronense, Archiepiscopo Ragusino creato, triennis in Censoria dignitate perseveravit contra morem illius temporis. In primoribus Italiæ suggestibus virtus ejus eloquentiæ enituit inter præcipuos illius sæculi Ecclesiastes numeratus, ac propterea hinc inde æmulâ contentione Prælatorum, ac populorum expetitus. Per exantlatos hujusmodi labores gloriosos, dum conspicua virtus evehebat virum, de se ima sentientem, commotus Paulus II. S. P., qui pro sanâ vi novatorum pulsos Canonicos iteratò Laterano restituit, in conspectu aulæ Romanæ *Titum* velut Candelabrum posuit, & constanter renuentem *Adrianorum Episcopum* ordinavit. Ad septennium oves suæ curæ comissas gubernavit alacriter in nullo remissa priore vivendi forma, & in dies sibi coacervatis novis virtutum meritis. Obiit Ferrariæ Anno septuagesimo primo supra quartum decimum sæculum; atque in memoriam prædilectæ, benèque cultæ Religionis apud suos Concanonicos tumulari elegit, quod & Patruus item egerat in Ecclesia S. Lazari. Eorum ossa postmodum in nova urbis ampliatione, & munitione circa annum quintum sequentis sæculi intra civitatem translata in templo Divi Præcursoris Baptistæ ante aram maximam terræ restituta fuêre, unácum corpore Danielis de Arlunis Concanonici Episcopi Foroliuensis suprapositis insignibus lapidibus ex Carariæ marmore excisis, & expolitis. *Ex Lyceo Lateranensi Abbatis Rosini lib.* 17.

Si perfectionem virtutum ab unione & vinculo charitatis, prout hucusque probavimus, deducimus, virtutes omnes planè heroicas, & in summo gradu perfectionis fuisse in Ven. Petro Forerio consectaneum est, quia charitas illius heroica & perfectissima fuit. Amore

re divino incalescens suos continuo hortabatur, ut non omnia tantum ex amore Dei, sed etiam perfectiori modo, quo possent, peragerent. Monialibus à se institutis simbolum adjecit *charitas.* Iis porro Religionis finem esse voluit, *id omne faciendi, quod cœlesti suo Sponso gratiùs fore judicarent.* Perfectionem religiosam, & perfectam sanctitatem statuendam esse asserebat in desiderio reipsa existente, eóque insatiabili, Deo continuò in omnibus actionibus & operibus nostris placendi. Continuò ore & corde volvebat illa verba: *Ach Deus meus! amor meus, pondus meum!* Hinc tanta conformitas suæ cum divina voluntate, ut præter alienum peccatum triste nil accidere posset. Si depravatos alicujus mores recenseri audiret, mox vultus pallorem induebat, & corpus contremiscere, & lachrimas profluere videbatur. In rerum sacrarum contemplatione demortui adinstar fixus hærebat adeo modesta oculorũ acie, ut ne minimam quidem distractionis materiam quisquam ipsi creare potuisset. Plura de perfectione charitatis commemorare hic non vacat, cùm ex processibus Auctoritate Apostolica variè institutis satis inclarescat, sicut charitatem, ita reliquas virtutes in gradu heroico à Ven. Petro fuisse exercitas. Pro testimonio sit Decretum à S. Congreg. Rit. A. 1717. editum, quod mihi communicatum Religioso Lectori hic subiicio.

DECRETUM TULLEN.

Beatificationis & Canonizationis Ven. Servi Dei

PETRI FORERII

De Mataincuria Lotharingi Ordinis Canonicorum Regul. S. August. Congregationis Salvatoris nostri Præpositi Generalis, & Reformatoris ac Monialium dicti Ordinis, Congregationis nostræ Dominæ nuncupatarum Institutores.

Cùm dudũ, videlicèt die XXII. Novembris 1707. in Congregatione Generali Sacrorum rituum habita coram Sanctissimo Domino Nostro Clemente Papa XI. in Palatio Apostolico Qui-

Quirinali; proposita fuisset per bon. mem. Cardinalem Gabriellium, loco, & vice similis mem. Card. Carpinei ponentis tunc infirmi, causa beatificationis, & Canonizationis Venerab. Servi Dei PETRI FORERII Ordinis Canonicorum Regul. S. Aug. Congregationis Salvatoris Nostri Reformatoris, ac Monialium dicti ordinis Congregationis nostræ Dominæ nuncupatarum Institutoris: discussóque dubio - *an constaret de virtutibus ejusdem servi Dei tam Theologalibus, quàm Cardinalibus, earúmque annexis in gradu heroico in casu, & ad effectum &c.* Nonnulli duntaxat ex consultoribus suffragia sua tulissent; ob tarditatem horæ dimissa fuit congregatio, rejectis reliquorum votis ad aliam Congregationem quàm primùm habendam; proùt subindè post octo dies, nempè die XXIX. ejusdem Mensis, habita fuit coram eodem Sanctissimo Domino in Palatio Apostolico Vaticano tunc degente. In hac porrò secunda Congregatione tam ii Consultores, qui in præcedenti Congregatione minimè Suffragati fuerant, quàm Reverendissimi D. D. Cardinales, suas super eodem dubio Sententias dixerunt; attentâ tamen rei gravitate, nulla tunc à sua Sanctitate capta fuit desuper resolutio; sed solùm post duorum ferè annorum lapsum eadem Sanctitas sua, accitis coram se tunc existente Secretario præfatæ Congregationis, ac R. P. D. Lambertino tunc Coadjutore bon. mem. Archi-Episcopi Myrensis, dum viveret, fidei Promotoris, mentem suam illis aperuit, demandando, quod ad affectum maturiùs ac diligentiùs discutiendi nonnullas difficultates, quæ in duabus supra relatis Congregationibus promotæ fuerant, cogi iterum deberet Congregatio, atque in ea reproponi causa prædicta super eodem dubio Virtutum, proùt factum fuit coram eadem Sanctitate sua in Palatio Apostolico Quirinali die octava Julii 1710. ad relationem memorati Cardinalis Gabriellii, vices ut supra adimplentis Cardinalis Carpinei causæ ponentis, tunc similiter infirmi. Auditis autem tam Consultorum quàm Dominorum Cardinalium Suffragiis in hac tertia Congregatione disertè latis, quibus difficultates in prioribus congregationibus excitatæ penitùs dissolutæ remanserunt, illa quidem Sanctissimus Pater plurimùm commendavit, ac verè docta, & elaborata appellavit, sed adhuc distulit propositi dubii resolutionem, ut priùs de more auxilium superni luminis imploraret; quod diu sanè, hoc est septem ferè annorum spatio: enixiùs tamen, ac ferventiùs mox elapsis Dominicæ Passionis, ac Sanctæ Resurrectionis diebus invoca-

vocatum, sibi tandem affulsisse declaravit infrà scripta die; qua nimirùm coram se vocatis præfato R. P. D. Lambertino fidei Promotore, ac me infra scripto supradictæ Congregationis Secretario ad præmissum dubium de Virtutibus dari, & promulgari jussit responsum affirmativum, videlicet - *Constare de Virtutibus Vener. Servi Dei PETRI FORERII tam Theologalibus, scilicet fide, spe, & charitate: quam Cardinalibus, nimirùm Prudentiâ, Justitiâ, fortitudine, & temperantiâ, earúmque respectivè annexis, in gradu heroico, in casu & ad effectum de quo agitur.* Et ita &c. Hac die prima Aprilis 1717.

F. Card. de Abdua Præfectus.

Loco † Sigilli.

N. M. Tedeschi Episcopus Liparitanus Sac. Rit. Congregationis Secretarius.

ROMÆ Typis Rever. Cameræ Apostolicæ 1717.

CAPUT VIII.
De impedimentis perfectionis.

DUm hoc capite impedimenta perfectionis complectimur, non loquimur de peccato mortali, quod non tam spiritualem perfectionem impedit, quàm perimit, ac omnino expellit ab anima. Verùm de iis agere volumus, quæ cum charitate simul consistere valent, nempe de tentatione, scrupulo, ariditate, particulari amicitia, parrhesia, noxia conversatione, derisione aliorum, & minimorum negligentia, quibus plerumque S. S. Patrum testimonio spiritualium candidatorum animi concuti solent, ut minorem profectum capiant, impediantúrque ab ulteriori in virtutibus progressu, atque hoc modo charitatem, in qua perfectionis Summa continetur, non solùm non augeant, sed potiùs deperdendi eam maximo periculo exponant. Quare, ut sciant Tyrones in quovis statu ritè se gerere, præsentis capitis documenta benè percipiant, atque traditas regulas data occasione, & tribulationis tempore applicent. Proin sit

AR-

ARTICULUS I.

De Tentatione.

SUMMARIUM.

83. *Necessitas & utilitas tentationum in hac vita.*
84. *Tres earum causæ Deus, diabolus, & caro.*
85. *Deus ad salutem nostram ob 4. causas immittit, aut permittit.*
86. *Notabiles tentationes S. Catharinæ Senens. & S. Antonii &c.*
87. *Altera tentationum causa dæmon.*
88. *Diverso modo tentat incipientes, proficientes, & perfectos.*
89. *Notanda apprimè doctrina S. Laurentii Justiniani.*
90. *Tertia causa caro, quæ, 91. propter complexionem naturæ, vel cibi potúsque copiam, vel propriam voluntatem tentat.*
92. *Remedia generalia. Sagitta furentis Achab & Jezabel.*

83 QUia militia est vita hominis super terram, in omni hominum statu tentationes, diversa bella difficultates, & pugnæ hinc inde se offerunt. Cœlum enim veluti suis victoribus destinatum regnum sine generoso certamine, & gloriosa victoria non obtinetur, *quia oportet nos per multas tribulationes intrare in regnum cœlorum*, monente Apostolo 14. *tribulatio* autem non est nisi *tentatio*, sine qua impossibile habetur ordinariè terram promissionis attingere, nisi per amaritudinis viam transeamus. Unde apparet tentationis necessitas, quia *tempus hoc tempus belli est* teste S. Hieronymo *in cap. 3. Ecclef.* S. Bernardus *serm. 64. in cant.* suos milites ita ad certamen provocat: *Necesse est, fratres charissimi, necesse est, ut veniant tentationes; quis enim coronabitur, nisi qui legitimè certaverit? aut quomodo certabit, si desit, quod impugnet?* Hoc bellandi genus pro virtutum experientia, & spiritualis fortitudinis probatione pernecessarium indicat Africanus Bellidux *in Psal 144.* dicens: *si nunquam tentaris, nunquam probaris. Nonne melius est tentari, & probari, quàm non tentatum reprobari? quem enim Deus probat, & probatum fidelem invenit, coronam gloriæ præparat.*

Tres autem assignantur efficientes causæ tentationum, nempe 84

Deus, 2. Diabolus, sivè ab eo instigati homines mali, & 3. caro propria, cum rebelli propria voluntate, de quibus singulatim agendum.

Quando Deus immittit, aut permittit varias tentationes, unicè eas intendit ad suam gloriam, & nostram salutem. Et hæc tentatio à S. P. N. *Epist. 146. ad Consentium* vocatur *probationis*, & *correctionis*. Qua ratione tentatus est Abraham, Job, & Tobias, aliique Sancti veteris ac novi testamenti famuli Dei. Patet tentationis â Deo immissæ fructus ex eo, quòd Deus assistricem gratiam copiosam offerat, singularia præbeat auxilia, fortitudinem tribuat, atque cum certante ipse concertet. Imò pugnantem aspicit, contra hostes tuetur, &, ut S. P. N. animadvertit *in Psalm. 32. ipse hortatur, ut pugnes, adjuvat, ut vincas, certamen inspectat, ut deficientem sublevet*. Adeò fidelis est Deus, attestante Apostolo, 1. *Corinth. 10. ut non patiatur nos tentari supra id, quod possumus, sed facit etiam cum tentatione proventum, ut possimus sustinere*. Licèt verò divina Providentia, quæ in sua dispositione nunquam fallitur, & omnia sapientissimè ordinat, plures, quin infinitas, easque occultas rationes habeat humanas actiones ad æternam gloriam suam dirigendi, in iis tamen nostram quoque respicit utilitatem, & animarum salutem sive in prosperis, sive in adversis casibus. Enim verò *misericors Deus mæstis rebus quadam etiam jucunda, & jucundis tristia permiscet, quod certè in Sanctis omnibus facit, quos neque tribulationes, neque jucunditates sinit habere continuas: sed tum de adversis tum ex prosperis justorum vitam, quasi admirabili varietate contexit*. Ita S. Chrysost. *hom. 8. in Matt.* præclarè annotat.

Cur autem Deus tentationes affligentes immittere soleat, multiplices assignari possunt causæ; nos quatuor præcipuas adducimus. Prima earum est *ad excutiendum animi torporem*, prout Aureus Orator *hom. 12.* advertit, dum populum Antiochenum ad ignavam socordiam expellendam hortatur, & in tentatione ad Deum redire jubet. *Cùm enim Deus*, inquit, *nos ad torporem declinantes viderit, & ab ipsius familiaritate resilientes, & spiritualium nullam rationem facientes, paullulum nos relinquit, & tentationes immittit, ut ita castigati ad ipsum studiosius redeamus.*

2. Ad inducendam humilitatem. Nam vilitatis infirmitatisque suæ probè conscia anima, cùm videt nullo conatu â tentationis alicujus, etiam levis molestiâ liberare se se posse, vel inclinationem pravâ extirpare propriis ex viribus, in abyssum sui nihili, & ad cognitionem humilem de se abducitur. *Tentatio* enim *probatio est, ut hominibus ostendat Deus, quò humiliores fiant ad petendum adjutorium, & cognoscendam Dei gratiam.* Ut notat S. P. N. *L. Q. Q. super Exodum*

dum Q. 51. Sic etiam *l. 10. Conf. cap. 5.* Imbecillitatem suam agnoscens altùm exclamat: *Tu autem Domine scis ejus omnia, qui fecisti eum &c. Ego verò, quibus tentationibus resistere valeam, quibúsve non valeam, nescio. Et spes est, quia fidelis es, qui nos non finis tentari, supra, quàm possumus ferre, sed facis cum tentatione etiam proventum, ut possimus sustinere.* Enimverò tentatio, quæ â nobis abigi non potest, cognitionem inducit, ut nosmetipsos cognoscamus, non altùm de nobis sapiamus, nihil nostris viribus adscribamus, sed ab omni inflatione jactantiæ procul simus. *Plerumque enim* (sunt verba S. P. N. *l. 16. de civ. c. 32.*) *animus humanus aliter sibi ipsi innotescere non potest nisi vires suas sibi non verbo, sed experimento, tentatione quodamodo interrogante respondeat: ubi si Dei munus agnoverit, tunc pius est, tunc solidatur firmitate gratiæ, non inflatur inanitate jactantiæ.* Immittuntur â Deo graves etiam tentationes viris Sanctis, qui etiam post acquisitas virtutes excellentes magnam facilitatem illas exercendi sunt assecuti, ut hac ratione in humilitate conserventur, sicut observat idem S. P. N. *l. 2. de peccat. merit. & remiss.* Ubi de tentatione ita loquitur: *non In hoc* (tentatione) *Deus vult nos esse damnabiles, sed humiles, commendans nobis eandem gratiam suam, ne facilitatem in omnibus* (virtutibus, & exercitiis spiritualibus) *assecuti nostrum putemus esse, quod ejus est.* Hanc causam â Deo permissæ tentationis pariter insinuat de se humilis Apostolus 2. *Corinth. 12. Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ, qui me colaphizet.*

3. *Ad roborandas virtutes*, nam quo major est virtus & illustrior, eò magis hosti apparet contraria, ut propterea nunquam desinat invidere, & illam persequi. Permittit igitur Deus tentari, quia probatur, & exercetur virtus, & est palma gloriosior non consensisse tentatum, quàm non potuisse tentari. Ut habet S. P. N. *l. 11. de Genes. cap. 6.* Pulchra id comparatione ostendit magnus Parisiensis Cancellarius Gerson *parte 2. Serm. de omnibus Sanctis.* Ubi ita disserit: *Ut arca Noe, quò magìs abundârunt aquæ diluvii, tantò ampliùs ferebatur: sic mansuetus animus, quò majores erunt tribulationis aquæ, tantò erit excelsior.*

4. *Ad conferenda majora dona gratiæ, & sublimiora cœlestia præmia. Qui enim vicerit, ei datur manna absconditum, & nomen novum.* Quò majores enim invalescunt tentationes, eò fortiora sunt gratiæ auxilia, quibuscum hostis infernalis machinamenta superare & conterere possumus. Deus namque cum homine tentato pugnans in se sperantem non permittit cadere, *quoniam Dominus Deus vester, qui præcedet vobiscum, simul debellabit vobiscum inimicos vestros, & salvos faciet vos. Deut. 20.* In quæ verba commentans Doctor noster *l. Q. Q. super*

Deut. Q. 30. inclamat: *ecce quemadmodum & in Spiritualibus conflictibus sperandum, & petendum est adjutorium Dei, non ut nos nihil faciamus, sed ut adjuti cooperemur. Sic enim ait, debellabit vobiscum: ut & ipsos acturos, quod agendum esset, ostenderet.* Cujus rationem assignat *Psalm. 61. Qui dat tentatori potestatem, ipse tentato dat misericordiam. Ad mensuram enim tentare permittitur Diabolus. Et potabis nos, inquit in lachrymis, in mensura. Noli igitur timere, nisi permissum aliquid facere tentatorem. Habes enim misericordissimum Salvatorem. Tantum permittitur ille tentare, quantum tibi prodest, ut exercearis, ut proberis, ut quid te nesciebas, â te ipso invenias.* Sublimius cœlestè prœmium conferri ad majora hujus vitæ merita Catholicum dogma est, at ubi frequentiores tentationes, pugnæ, & victoriæ, ibi majora sunt hujus vitæ merita; ergò ad frequentiores tentationes sublimius confertur cæleste prœmium. Id variis parabolis expressit cœlestis Magister, *qui reddit unicuique secundùm opera sua.* Sic etiam promisit præcurrenti in stadio virtutis cæleste bravium, & S. Mariæ Magdalenæ, *quia plus dilexit, plura remisit,* & majora donavit. Atque hæ sunt quatuor potissimùm causæ tentationum â Deo immissarum, quamvis, uti dixi, aliæ & occultæ adhuc erui possent, de quibus plura agere supervacaneum censetur.

86 Quod autem justus Judex certantibus victoribus cum sua gratia assistat, & præmia secundùm æquitatem decernat, S. Catharinæ Senensi ipsemet testatus fuit. De quâ Surius *in Aprili* ita scribit: *aliquando verò omni destituta solatio animum generosè sumebat, seque ipsam his verbis animaverat:* túne vilissima ullis te consolationibus dignam putas? itáne tuorum oblita es peccatorum? an non satis est tibi, si possis vel damnationem æternam evadere, etiamsi has tenebras, & molestias ad supremum usque vitæ diem perferre oporteat? an verò Christo propter ejus consolationes servire voluisti, & non eò potiùs, ut æternùm illo fruaris? nihil igitur de solitis remittas studiis, quin addas potiùs aliquid. *Quibus & aliis prolatis dæmonum catus instar fumi evanuit, & Christus ei apparuit, gratulans illi triumphum. Cui virgo,* ubi, *inquit,* fuisti mi Domine, cùm esset cor meum tot spurcitiis divexatum? *& Christus respondit:* in corde tuo. *Sed* quî fieri potuit, *reponit Virgo,* bone JEsu, ut tu in illo meo esses corde, quod tot obrutum erat impurissimis cogitationibus? *Tandem bene notandam doctrinam dedit Dominus, dicens:* cogitationes illæ quid in tuo efficiebant animo? gaudiumnè, an mærorem? *Imò verò, inquit illa,* summum dolorem. *Hoc igitur,* Christus ait, *ego mea præsentia efficiebam, quâ si tu destituta fuisses, illis spurcitiis delectata esses; jam vero, cùm eas profligare*

gare velles, nec posses, inde mœror oriebatur, sed me auctore, & effectore, qui eram intus in corde tuo, & tuebar illud, interim extrinsecùs te sinens oppugnari, quantum videbatur expedire tibi, mox eas abscedere jussi. Et ita consolatam virginem majoribus affecit gratiis, & cælestibus donis.

Similiter de Sancto Antonio refertur à Marulo *l. 5. cap.* 7. quòd, cùm post gravissimum conflictum cum dæmonibus apparenti Christo dixisset: *ubi eras Domine, ubi eras?* Responsum acceperit: *aderam Antoni, sed eventum pugnæ tuæ præstolabar, quam dum imperterritus, immotúsque viriliter sustinuisti, manet te victoria tua indeficiens in cælo triumphus, & immarcescibilis corona, præmiúmque sempiternum.*

Scribit Cæsarius *l. 4. c. 102.* Virginem quandam reclusam carnis stimulo vehementer impugnatam fuisse, instantérque petiisse à fœda cogitatione liberari. Unde cùm oranti Angelus dixisset: *vis liberari?* Illa respondit: *volo, Domine, volo.* Cui Angelus, *dic,* inquit, *illum versum: confige timore tuo carnes meas.* Quo dicto cessavit tentatio, sed statim periculosiùs tentabatur de Deo, & fide christiana, à quâ etiam tentatione multis lachrymis petiit liberari. Tunc Angelus dixit ei: *Quomodo te habes Soror.* Et illa respondit: *nunquam pejùs.* Et Angelus: *putas te vivere sine tentatione? necesse est, alteram harum habeas.* Cui illa: *eligo primam, quia, etsi immunda, tamen humana est.* Tunc spiritus blasphemiæ eam deseruit, & stimulus carnis rediit &c. Disce igitur ex his paucis exemplis, Religiose Tyro, in tentatione ad Deum confugere, animum non despondere, sed pro Dei gloria viriliter certare, adjuvante Dei gratiâ generosè vincere, fidem servare, ut imponatur tibi corona justitiæ, quam reddet tibi justus Judex in illa die.

Altera tentationum causa & origo existit dæmonum nequitiâ. 87 Nam teste Doctore nostro *l. de dog. cap. 82. Non omnia vitæ iniquæ vitia tribuenda sunt carni, sed etiam majori ex parte communi generis humani hosti, qui vigilantissimum semper gerit oculum, ut nos à Deo ad suum vexillum abstrahat.* Atque hinc magnanimus Pontifex S. Leo observavit, vehementiores esse avernalium inimicorum tentationes contra animas Deo dicatas, & magìs à peccatis abstinentes. *Pervigil* enim *ille tentator*, inquit S. Pontifex, *eos acrioribus pulsat insidiis, quos maximè videt abstinere à peccatis.* Sic etiam S. Gregorius M. *hom. l. 2.* Testatur dæmonis nequitiam, quando in hæc scribit verba: *hostis noster, quantò magìs nos sibi repellare conspicit, tantò ampliùs expugnare contendit: eos verò pulsare negligit, quos quieto jure possidere sentit.* Variæ sunt dæmonum nequitiæ, & plerumque importunas excitant tentationes iis tyronibus, qui in virtute, & religiosa per-

fectione magis proficiunt, prout etiam apparet in Christo Domino, quem post quadraginta dierum jejunium, & tot miracula patrata in deserto aggredi non sunt veriti. Nullum tempus locus, ætas, occasio aut sanctitas vitæ occurrere valet, ubi versipellis hostis Religiosos non aggreditur. *Venit in oratorium*, uti advertit B. Petrus Damiani *serm. in vig. Nat. Domini. Dormitorium occupat, insidet refectorio, circuit claustrum, revisit officinas. Nullam prætermittit artem nocendi, sed ubique suæ calliditatis assignat argutias, & in choro quidem inter orandum & psallendum mentem pertrahit in diversa, præteritorum rememoratione puritatem intellectûs involvens. Quid plura? in choro devotionem, in toro castitatem, in refectorio parcitatem, in claustro lectionem, in officiis silentii virtutem virtutis inimicus extirpat: nec sufficit invigilando subtilibus spiculis cordis terebrare muralia, sed dormiendo singulari se versat, & reversat astutia, quæ melius vestræ conscientiæ, quàm styli scientiæ derelinquo.* Hucusque ille

88 Tentationes dæmonum adoriuntur quidem omnes Christianos Viatores, sed non eodem modo. *Imperfectos* quidem Religiosos & *incipientes* confictâ difficultate, & virtutem assequendi impossibilitate deterrent: si verò vitiosis habitibus, & pravis inclinationibus affecti sint, continuò in consueta peccata labi faciunt, & ita bonum gratiæ semen restinquunt; atque radices agere prohibent. *Aspirantes ad majorem virtutem*, & *proficientes* plerumque anxios, & scrupulis plenos reddunt, regularum multitudinem objiciunt, ut memoriam confundant, & sensim in desolationem, ab hac in torporem & consuetorum actuum omissionem deturbent. *Qui verò altiorem adepti jam sunt perfectionem religiosam*, aut in elationem animi, & aliorum contemptum, aut in nimiam in se, ac suis viribus confidentiam eos præcipitant, quo fit, ut minimorum curâ depositâ & fundamento humilitatis ruente totũ perfectionis spiritualis ædificium corruat, & quò altiùs illi priùs ascenderant, eò profundiùs in graviora scelera labantur

Istud nequissimorum spiritûûm genus hominem debellandi S. Patriarcha Laurentius Justinianus *l. de discip. & perfect. Monast. conversat. in fine cap.* 12. Præclare insinuat, & religiosos tyrones obarmat spiritualibus documentis. Habent etiam ipsi nequan spirtius hoc proprium (*sunt verba S. Præsulis*) quòd non uniformiter omnes tentant. Observant autem loca congrua tempora aptiora, & singulorum naturas, ut ad suum, quos tentant, trahant consensum; Callida etenim arte unicuique (permittente Deo) secundùm proprium gradum tendunt ad decipiendum laqueos. *Incipientes* námque, & noviter introductos impugnant de- 89

de difficultate spiritualis belli, de austeritate vitæ, de asperitate pænitentiæ de memoria præteritarum delectationum, de affectione parentum, de sodalium, & amicorum lasciva conversatione, de instabilitate status, de tentatione & laboriosa impugnatione, de multorum casu, qui cæperunt, nec perseveraverunt, & de impossibilitate perseverantiæ usque ad vitæ terminum. Contra verò *proficientes* nimio furore bacchantur. Nam adversùs eos omnium tentationum genera (si permissi sunt) irruere faciunt. Pronos ipsos ad irracundiam, ad elationem, ad gulam, & ad singula quæque vitia reddunt: præcipuè tamen ad fornicationem. Non diebus, non noctibus ab illis secedunt. Nimia enim invidiæ face succensi de ipsorum profectibus graviter cruciantur. Propterea tanquam rugientes, sævique leones sine ulla requie infesti sunt militibus Christi generosè certantibus, si quô modô eos impingant in consensus delictorum. Ipsi autem divino fulti præsidio quotidie robustiores fiunt: & ex usu ad dimicandum aptiores, atque cælesti igne accensi tantò acriùs adversarios prosternunt, quanto vehementiùs ab illis impelluntur. Viros autem perfectos ad spiritualia assuetos certamina, callidè semper observat. *Illis* námque in lucis Angelum transfigurat se, & vitia sub virtutum specie suadere continuè nititur. Nam sub colore zeli furorem inserit, sub justitiæ imagine crudelitatem, sub velamine charitatis carnalem affectionem, sub prætextu honoris Dei privatam laudem, & sub desiderio salutis animarum prælationis officium suadet, ut quæratur. Hortatur etiam ad prædicationes, ad sæcularium conversationem, & ad virorum mulierúmque indistinctam collocutionem, illud Apostoli commemorans. Omnibus omnia factus sum, ut omnes lucri faciam. In his omnibus latent fraudes, & inimicorum laquei formidabiles, quibus capiuntur, qui carent prudentia, & elatum habent cor. O quot, qui jam inter astra nidos suos collocâsse credebantur occasione fraternæ charitatis in lutum carnalis concupiscentiæ turpiter corruerunt. Quot temporibus nostris fuerunt, & sunt, qui tanquam ardentes lampades, & mundi luminaria lucebant coram hominibus, paulatim ex frequenti sæcularium converlatione, & confabulatione tepefacti ad pristina opera sæcularis vitæ miserabiliter redierunt? Quàm multos quotidie intueri possumus, qui, donec in humili statu, & sub obedientiæ disciplina perstiterunt, in mentis puritate, cordis celsitudine, & virtutum perfectione se custodierunt, sed post adeptam dignitatem, post assumptum pastorale officium

um propter insuetos honores, & nimias occupationes obliti, quales fuerant, ad ima miserabiliter descenderunt? Apostolorum sanctorúmque opus est, in prælationis dignitate humilitatem, in sæcularium conversatione mentis puritatem, in condescensione proximorum cordis servare rectitudinem, & corporis castitatem. Ideò qui stat, videat, ne cadat: & qui ascendit, diligenter aspiciat, quò ascendit. Exinde tria sunt præcipua dæmonis tela, quæ in nos contorquet, & uti suos monet B. Climacus *gradu. 1. 1. bonum impendire, ne fiat conatur. 2. vel ne secundùm Deum fiat, laborat. 3. quodsi bis non profecerit, laudibus benè facta extollit, ut humilitatem, & cum ea fructus operis auferat.* Cæterùm quidquid contra nos molliuntur dæmonum fraudes, nocere animæ non possunt, quamdiu generosè illis resistitur, & eorum suggestionibus consensus abnegatur. Diabolus enim velut canis in catena ligatus est, qui quidem latrare, neminem tamen, nisi sponte accedentem, mordere potest. De cætero persuasum tibi habeto, quod diaboli nequitiæ divinæ commensurentur voluntati, *tantúmque duntaxat admittitur ipse tentare, quantum tibi prodest, ut exercearis, ut proberis, ut, qui te nesciebas, à teipso inveniaris.* Uti clarissimum Ecclesiæ Lumen, & fortissimus contra diaboli nequitias Pugil Augustinus docet *in Ps. 61. supra cit.*

Tertia causa tentationum est *caro nostra*, & *rebellis voluntas propria*, 90
ut, adeo veraciter dicantur *inimici hominis domestici ejus*, scilicet quinque sensus, eorum pravæ inclinationes, laxitates &, quidquid arridet carni, ultroneæ concessiones maximam tentationum causam efficiunt. Perspectis enim hominis inclinationibus minima diaboli suggestio substernit: nam *diabolus*, ut inquit Hugo victorinus noster l. 2. *quando decipere quendam tentat, prius naturam unius cujusque intendit, & inde se applicat, unde aptum hominem ad peccandum aspicit.* Blandis & lenibus moribus luxuriam, & vanam gloriam, devotis elationem, asperis iram, menacholicis teporem, & desperationem, & pro varietate inclinationum varia proponit vitia. Hinc S. P. N. *l. 13. civ. c. 3.* ait: *indicitur tibi bellum non solùm adversùs suggestiones diaboli, sed adversùs teipsum: in teipso est flagellum tuum; fit rixa tua tecum, sic vindicatur in rebellem adversùs Deum, qui pacem habere noluit cum Deo.* Ex quibus patet, tentationes ad carnalia inclinantes originem suam trahere ordinariè ex fomite à peccato originali in natura relicto, quamvis cæteroquin non omnia peccata, nec potentia peccandi oriantur ex fomite, sed sine illo anima peccare possit, consequenter parvæ inclinationes ad peccandum allicientes à solius arbitrii humani libertate ortum suum quo-

que

que trahere valeant sine tentatione diaboli ut docet S. Th. p. 1. q. 114. a. 3. & 1. 2. q. 80. a. 4. cum S. P. N. aliisque Doctoribus.

91 Distinquendum porro est inter motus tentationum, quia alii oriuntur à complexione naturali, ut blandi & lenes tentantur, seu inclinant ex naturali indole ad vanè complacendum aliis, asperi ad irascendum &c. alii à cibo & potu, aliisque commoditatibus corporalibus initium trahunt; alii demum ab ipsa voluntate propria descendunt, à qua magis, quàm à fomite, velut à fonte derivantur omnia tentationis genera, quia cum appetitu sensitivo proximam habet affinitatem. Religiosi ergo sibimetipsis diversas tentationum insidias struunt, & occulta animabus pandunt retia, dum voluntatem quasi malam Reginam dominari sinunt, & amicam, ac famulantem voluntati carnem contra spiritum obarmant, mollibus vestiuntur, opipera delectantur mensa, vino, ciboque opplentur, otio perfruuntur, somno immodico saginantur & in curanda cute nimis sunt solliciti, eique quidquid leocinatur, & arridet, parari satagunt. Et quid mirum, si hos inermes inimica caro ab ipsis armata prosternit, & luxuriæ ignis, in quem perpetuò fomenta conjiciunt, depascitur? Econtrario indiscretè agunt, qui immoderatis carnem jejuniis, abstinentiis, flagellis, catenis, vigiliis, & hujus modi immodicis exercitationum instrumentis onerant; hoc enim non est se armare in hostem, sed potiùs pro hoste. Superanda sic est caro, ut pugnare queat, non ut armorum generi succumbat, priusquàm in arenam descendat. Imitandus nobis est S. David, qui cum Goliath Philistæo decertaturus arma regis sui Saul nimis onerosa deposuit, & sola funda & lapide, armis ætati suæ congruentibus communitus in tantum hostem intrepidus irruit.

Remedia generalia contra tentationes sunt 1. si sunt à Deo immissæ (quod quidem directè nemo advertere potest citra specialem revelationem) cogita Deum tecum pugnare, ultra vires non immittere pugnam, & victoriam ad magnum tibi fore præmium, te ab ipso probari, num fidelis existas, & denique virtutem tuam tentationibus roborari, utpote quæ sine illis excellentem gradum nunquã attingeret. 92

2. Si proveniant à Dæmone (quod ex eo cognoscere est, quando nullam in te causam tentationis advertis etiam post diligens examen) impigrè ad Deum clama, ad orationem fuge, animum obfirma contra diaboli suggestionem, & dic cum Rege tentato: *in Deo meo transgrediar murum.* Et cum S. Cath. Senensi cujus historiam retulimus. n. 86. *Mihi non solùm has,*

sed etiam alias molestias, & tentationes pro nomine Salvatoris perpeti jucundum & delectabile, quatenus quidem ejus visum erit Majestati.

3. In omni inclinatione tentationes tuas examina easque suspectas habeto, ne facilè eas forinsecùs signis, impatientia, vel voce, & querelis patefacias, nam ut dictum ex n. 90. & M. Hug. in animæ damnum vaferrimus hostis ejusmodi signis externis utitur. Quod etiam Magnus Pontifex *l. 29. Moral. super illud Job. dividitur, æstus super terram* observavit, dum nequitias diaboli hisce propalavit. *Priùs*, inquit, *complexionem uniuscujusque adversarius perspicit, & tunc tentationis laqueos apponit. Alius namque lætis alius tristibus, alius timidis, alius elatis moribus existit, quò ergo adversarius occultus facilè capiat, vicinas complexionibus deceptiones parat. Quia lætitiæ voluptas proxima, lætis moribus luxuriam proponit: Quia tristitia in iram facilè labitur, tristibus peccatum discordiæ porrigit; Quia timidi supplicia formidant, paventibus terrores intentat: Et quia elatos extolli laudibus conspicit, eos ad quæcunque voluerit, blandis favoribus trahit singulis igitur hominibus, vitiis convenientibus insidiatur &c.*

4. Tria Dæmonis tela num. 89. insinuata benè prævideas, & in omni actione discerne spiritum, & quousque pertrahat. In dubio, an bonum, vel malum sit, quod agis, ad Deum recurre, & Patris spiritualis consilium sequere.

5. Cave, ne in ulla tentatione pusillanimem te exhibeas. Nunquam turberis, si cogitationes pessimas, & molestissimas contra Deum, Sanctos, & sacratissima fidei mysteria patiaris.

6. Etsi graviores in Religione, quàm in sæculo sustineas tentationes, statum tuum non abhorreas, nam *mundus adversùs desertores suos fortiùs pugnat, & egredientes vita sæcularis illecebras gravior congressus exspectat.* Teste S. Petro Chrysologo.

7. In quavis tentatione, quamvis bonum sit clamare ad Deum: *Domine salva nos, perimus*, nunquam tamen conqueraris; Deus enim absentiam dissimulat exteriùs, cùm interiùs adsit, ne in graviorem labaris tentationem, sicut Virgo reclusa à Cæsario relata num. 86.

8. Tandem in omni tribulatione, & tentatione quatuor novissima præ oculis, & vivacissimè memoriæ imprimenda sunt; sic enim in æternum non peccabis. Quod attinet tentationes à carne, & propria voluntate excitatas, illas regulas diligenter observato, quæ in cap. 2. a. 6. & 3. a. 4. item c. 4. a. 8. & 10. part. prioris. fuerunt præscriptæ. Denique remedia in c. 7. per totum tradita pro diversitate tentationum adhibenda sunt, quibus rite observatis Dei gratiam victor evadet obsequens, & timoratus Religiosus Tyro.

SA-

SAGITTA FURENTIS ACHAB, ET JEZABEL.

M. Hugo de S. Victore mirâ & profundâ ingenii sui doctrinâ *tentationis* originem sub pulcherrima allegoria nobis exhibet, dum l. 1. *Annotat. Elucid. allegor. in l. 4. Regum. l. 7. c. 15.* in persona *Eliæ* quemlibet *hominem tentatum*, sub figura impii regis *Achab tentantem diabolum*, sub forma verò petulantis, & tyrannicæ reginæ *Jezabel carnis illecebras*, & ipsam tentationem per fatales inimicos auspicatam *sagittam volantem* in scenam producit. Sancti etenim, inquit loco citato, viri, qui sublevatione spiritûs ad superna rapiuntur, quamdiu in hac vita sunt, ne superbiant, tentationibus rapiuntur. Hinc est, quòd *Elias*, cùm tot virtutibus profecisset, *Jezabel* postmodum quamvis reginam, impiam tamen mulierem fugerit. *Elias* Propheta Domini vita & miraculis clarus quemlibet designat *fidelem*. *Achab* Rex impius Domini, & præceptorum ejus adversarius *diabolum* significat, qui rex est super omnes filios superbiæ. *Jezabel* mulier impudica, & Eliæ semper inimica *immunditiam* exprimit *carnis*, quæ semper justum persequitur, & ejus actibus inimicatur. Cujus minis *Elias*, id est, *fidelis* nonnunquam perterritus, quamvis virtutibus, bonisque operibus inclarescat, timens tamen, ne occasio veniat, & eum *Jezabel*, id est *luxuria* occidat, Apostolico consilio fugit sæcularem habitum, conversationem mundi derelinquit, & in *desertum* vadit, qui habitum, & vitam *Religionis* assumit. *Desertum* est vita spiritualis, atque *Religio*, quia à multis deseritur, & à paucis incolitur. Opinatur quidem anima fidelis *Elias*, dum in deserto isto sub *junipero* residet, & quietem capit, ab infestis inimicis se liberum esse, sed *juniperi* hujus aculeos, acerrimas scilicet, & importunas cogitationes, vel *tentationes*, quæ more spinarum teneritudinem animorum pungunt, sustinere nolens volens cogitur. Quatuor autem sunt tentationum modi. Alia est tentatio levis, & occulta: alia levis, & manifesta; alia gravis, & occulta: alia gravis & manifesta. Tentatio *levis & occulta* est, quando aliquis leviter tentatur, & tamen nondum intelligit, an malum sit illud, de quo tentatur: v. g. Quando aliquis de officio, sive prælatione leviter tentatur: *levis* tentatio est, & *occulta*: quia nescit, an sibi expediat id, quod desiderat. Tentatio *levis, & manifesta est*, quando aliquis leviter

tentatur, & manifeſtè de malo tentatur: v. g. Quando aliquis de fornicatione leviter tentatur, tentatio *levis* eſt, quia leviter tentatur: & *manifeſta*, qui manifeſtè de malo eſt. Tentatio *gravis & occulta* eſt, quando aliquis graviter tentatur, & tamen non novit, an noxium ſit ſibi illud, de quo tentatur: v. g. Quando aliquis de prælatione, & alio miniſterio graviter tentatur, *gravis* eſt tentatio, quia graviter tentatur: *occulta*, dum neſcit, quod ibi lateat diabolica fraus; ad hoc enim diabolus de exaltatione tentat, ut per exaltationem magis corruat ad damnationem. Tentatio *gravis, & manifeſta* eſt, quando aliquis graviter & manifeſtè de malo tentatur. v. g. Quando aliquis de fornicatione graviter tentatur, tentatio *gravis* eſt, quia graviter tentatur: & *manifeſta*, quia manifeſtè de malo eſt. Quos ſcilicet tentationis modos Pſalmiſta Pſ. 90. benè deſignat, ubi dicit: *Non timebis à timore nocturno. A ſagitta volante per diem, à negotio perambulante in tenebris: ab incurſu, & dæmonio meridiano.* Tentatio nàmque *levis, & occulta* timor eſt nocturnus. Tentatio *levis, & manifeſta* ſagitta volans in die. Tentatio *gravis, & occulta* negotium perambulans in tenebris. Tentatio autem *gravis, & manifeſta* incurſus, & dæmonium meridianum. Iſti itaque tentationum modi ſunt iſtius *juniperi*, ſcilicet S. Ordinis aculei, qui more aculeorum teneritudinem pungunt animorum, & non nunquam lacerant corda bonorum, non quia Ordo malus eſt, ſed diabolus tantò acriùs juſtum per tentationes pungit, quantò eum ad ſublimiora, & ſecretiora per habitum & vitam Ordinis cernit tranſire. Rectè igitur ſecundùm ſupra dicta *ſagitta volans* tentatio eſt, eam verò emittens *Achab* infernalis, & *Eliam* ubique perſequens furibunda atque immunda *Jezabel* carnis ſpurcitie, & Ordo Religioſorum *junipero* comparatur, dum variis aſperitatibus & tentationibus pungere approbatur. Ad hanc denique *juniperi* umbram venit Elias, quando aliquis ſæcularia fugiens Ordini alicujus aſperitatis ſe ſubmittit. Animæ verò ſuæ, ut moriatur, petit, quando mori penitus mundo, & vivere Deo concupiſcit. Qui tamen non mortem quam petit, ſed dormitionem, quam non petit, invenit; quia plerumque Religioſus diverſis in ſpirituali converſatione fatigatus tentationibus, & adverſitatibus in profectu virtutum, & bonorum operum torpeſcit. *Angelus* autem Cuſtos & excitator *Eliæ*, eſt *Prælatus* Cuſtos, & exhortator fidelis *animæ* ſibi ſubjectæ. Qui dum *Eliam*, id eſt, *animam* ſibi creditam conſpicit dormitare ſub *junipero*; id eſt; ſub Ordine torpeſcere, ſtatim *excitat*, *paſcit* docendo, & *potat* admonendo. Elias

lias quoque excitatus comedit, & bibit, dum admonitus sub verbis loquentis patienter acquiescit, nec his, quæ dicuntur, contradicit. Rursum verò obdormit: quia nonnunquam subjectus multis tædiis affectus post primam admonitionem & eruditionem iterum tepescit. Sed *Elias* per Angelum secundò excitatur, & pascitur, dum subjectus per prudentem, & fidelem Prælatum, iterum admonetur, & instruitur. *Surge*, inquit, *comede, grandis tibi restat via.* Quasi diceret; si confidis in solo Ordine, scias, nil tibi prodesse, sæculum tantùm corporaliter derelinquere, coram oculis humanis solummodo habitum Religionis palliatum exhibere: stude per virtutes ultra proficere, per opera misericordiæ proximis subvenire. Lege, meditare, psalle, ora, operare, *grandis tibi restat via*; quia parùm adhuc profecisti, & multùm habes proficere. *Comedit denique Elias, & bibit, & vadit in fortitudine cibi illius 40. diebus, & 40. noctibus usque ad montem Dei Oreb.* Dum subjectus per eruditionem benè confortatus in prosperitatibus quasi *in diebus*, & adversitatibus *quasi in noctibus* per virtutum exercitationem, & bonorum operum exhibitionem proficiens, ad culmen sublimitatis venit. Habes jam Religiose viator in Elia exemplum, qualiter in conflictu tentationum gerere te oporteat, ut *Sagittas furentis Achab, & impura Jezabel* cautè declines. Si in divina gratia spem tuam reponas, humilitate regem superbiæ facilè convinces, ejùsque machinationes evitabis, atque per virtutum exercitationem, dum â bonis operibus non torpesces, liber evades *ab incursu & dæmonio meridiano. Sagittam* porrò *volantem* per diem, & noctem ut avertas, necessaria est fuga â facie *impudica Jezabelis*, quæ carnalibus illecebris animæ tuæ omni tempore infesta est. Sed, inquies, in domo animæ corporea, velut regio palatio *Jezabel* regnat, imperat, & ab ancillantibus sensibus optata accipit obsequia, nec sua possessione, quamdiu agit anima in corpore, deturbari valet. Fuge ergò cum *Elia* in desertum, sub umbra *juniperi* mortificationum aculeis â natura, id est, Religionis exordio undique obarmatæ quiesce: imò non quiesce, sed ablata corpori requie jussu Magni Patris tui in Reg. c. 3. *carnem doma jejuniis & abstinentia esca & potûs, quantum valetudo permittit*, oculos Jezabelis nuntios custodi, libertatem iis nullam permitte, flagra, spinas benedictas sancti Exemplo Benedicti adhibe, & impuram Reginam veluti canum morsibus objectam, & ad ossa usque depastam, & absumptam experiêre. Superest modò, ne cùm Elia sub junipero (S. Ordine) torpens obdormias, &, quasi

quasi ad salutem animæ sufficiat in desertum abiisse te, operari bene, virtutésque exercere negligas. Quod si tamen somnus subreperet, Angelum excitatorem, tuum Prælatum admonentem, Patrem spiritualem exhortantem nunquā malo animo excipe. Surge velociter, torporem excute, manum ad virtutis opus pone, ductum Angeli tui sequere, *grandis tibi restat via.* Si hæc tibi data documenta in corde tuo reposueris, sagittas furentis Achab & Jezabel elides.

Ingentes quidem tentationes passus est, sed insignes planè victorias de hoste stygio reportavit Arnoldus Pius Reicherspergensis Canonicus, Gerhoho Venerandissimo ibidem Præsuli non sanguine magis, quam virtutum æmulatione conjunctus. Sanctiore vivendi ratione & Regularis disciplinæ studio exactum pugnandi cum larvis infernalibus modum sibi comparavit, aliisque in simili pugna dux fuit, sed & exemplum præbuit bene vivendi, & moriendi. Mors consentanea vitæ ei obtigerat, quam pluribus hic prosequor. Cœperat is ante Christi natalem, lenta, sed pœnè continua febri æstuare, & palam fatiscere ad tumulum. Interrogatus sæpius ùt valeret, serena fronte, & hilari facie respondit: *bene divino munere; fractas quidem vires, sed dolores nullos sentio.* Cibum, quem omnem morbidus stomachus fastidiêrat; rarò admisit. Mores, quos hospes, & incolumis exhibuerat, eosdem & ægrotus repræsentavit. nunquam non mitis, placidus, & inconcussæ patientiæ. Iis, qui lectulum cingebant, obitum suum enixè commendāvit; & velut præscius sui funeris, ipso die lustratæ Virginis Deiparæ sepeliri voluit. Nec aliter, quàm destinaverat, evenit.

Itaque post matutinas preces, antequam diluxerat, repentè territus apertis, ac hiantibus oculis astantes vidit diabolos. Hic ille horrore tremere, angi, sudare, & inclamare suos his vocibus. *En domus hæc plena est dæmonibus! non cernitis inferorum monstra?* Ad has voces Christi in cruce pendentis imago ei porrecta, quam ille osculis & amplexu veneratus velut clypeum objecit larvis avernalibus. Nec desiit Crucifixum Dominum unà cum præsentibus in auxilium vocare. Qui circumsteterant, tremebant, orabant, & pœnè animam cum illo agebant. Non enim solùm moribundi lucta, sed & locus ipse nescio quid horroris injecerat. Ægrotus insuper jam antè orantes adhortatus, *orationem dominicam*, ajebat, *assiduè repetite. Huic Symbolum adjungite. Credo in Deum, credo in unum Deum. Hac una re nihil efficacius adversus dæmones. Sed & Matrem Domini, ejúsque fidum patrocinium imploremus.* Facto hoc mox iterum æger: *ubi sunt plures*, inquit,

multis

multis enim nunc opus est precationibus. Singulariter Virginem Beatissimam Domini Matrem invocans, ejus divino nomine satiari non poterat. Ita semianimis & velut medius inter vivos & mortuos, inter Angelos & diabolos, hinc accusantes, inde defendentes luctatus est. Ideò subinde has voces misit. *Accusate modò, ego etiam meipsum accusavi.* Fiduciam reverà omnem in Domino, & Matre Domini collocaverat, solo Deo nixus. Nihilominùs terribiles cacodæmonum formæ non cessabant repugnantem infestare. Et quamvis vox fracta jam, & debilis esset, collectis tamen viribus eum intendens non sine clamore cacodæmonem repulit, frequenter dicens: *abi, abi, abi, tu fur, abi, abi.*

Jámque apparebat dies, cùm ille Virginis Matris tutelam identidem implorans diceret: *Hæc mihi veniam apud Iudicem vel verbulo poterit exorare.* Sic nocte superata lætior, & piè subridens, dexteram protendit, & velut præcentoris officio functurus Psalmum 121. incœpit. *Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in domum Domini ibimus.*

Mox vultu ad circumstantes verso, & digito in Crucifixum intento: *En*, inquit, *hæc salus nostra, hic libertatis nostræ vindex, & parens est.* Mox addens, O inquit, *Obedientia!* paulò pòst. *O quantam & quàm inexplicabilem cerno gloriam! vana sunt, nulla sunt, quæcunque huic tempori subiiciuntur! leve, ac momentaneum hoc tribulationis nostræ, æternum gloriæ pondus in nobis operatur.* Deinde tanquam respirans post difficilem pugnam: *Maria Virgo*, ait, *veniam mihi apud judicem impetravit.* Morâ non longâ interpositâ caput erigens, totúmque corpus, quantùm licuit per vires, allevans, & utramque manum largiter protendens, surgere nitebatur tanquam ab aliquo ad abitum invitatus. Sed exhaustis jam viribus inanes hi erant conatus. Ideo se cupere testatus voce: *non possum*, inquit, *surgere, & abire.* Mox in lectum residens conticuit, nec multò post animam transmisit ad Judicem divinum 1. Januarii Anno 1166. *Ex Chron. Reicherspergensi, & Rdmo. J.G. Grueber in Theat. Virt. Can.*

Similes tentationes passus est S. Bernardus Mentonus non quidem in articulo mortis, sed in flore juventutis ubi omnem infernus movit lapidem, ut à Deo avocaret, ad se traheret castissimum juvenem. Igitur cùm intelligeret, voluptate juventutem duci: quæ ludiens oblectatur, & experientiæ defectu melli inhiat, aculei secura: juvenem sanctum omnis generis deliciis & opibus & mundi fastu inescare aggressus est, cunctis hisce ipsi obtrusis, si suis obsequi jussis vellet. Hinc illustris familiæ splendorem; inde triginta nobiles ejus toparchias, arces, dominia, terras, ac dynastias; rursus, titulos, jurisdi-

risdictiones, clientelarum jura, jus vitæ ac necis, subditos, vectigales, servitutes illi objiciebat, Deinde dominandi dulcedinem, servorum comitatum, famulos ab ejus ore pendentes ob oculos ei ponebat. Dein multa de honestis voluptatibus, quas capere, de oblectamentis, quibus innoxiis absque ullo conscientiæ animique damno frui posset inculcabat. Modo opulenta, quæ se offerebant, conjugia, nobiles puellas, quæ certatim ejus matrimonium expetebant, fausti conubii felicitatem, tam amplæ hæreditatis jus, facultatem ad honorata munia, & dignitates aspirandi oggerebat: atque hæc in eum finem, ut ejus mentem infringeret, ac voluntatis alacritatem, operosam religiosæ vitæ seriem molientis, emolliret, cujus ut inaccessæ, præruptæque rupis prorsus inviæ, difficultate obta absterrere juvenem nitebatur. Post hæc parentum recordatione illum oppugnavit; quorum reverentia videbatur omnia ejus consilia, justis ipsorum votis contraria pessumdatura. Denique cum omni eo conatu nihil dæmon eviceret, machinas in Bernardum movit, statuitque munitionem, qua parte debilior minúsque firma visa est, tormentis fortius verberare: dum annisus est, lascivis amoribus eum irrectire; fœdis imaginibus animo repræsentatis, sensuumque blandimento in speciem dulci, sed periculi pleno carnem titillare; obscænis adeo simolacris oculis importunè ingestis, sensim sine sensu de gradu dimovere, ac tandem totis viribus simul ac semel expugnare. *Rolland. in vita c. 4.*

Alexander Nekam Anglus è S. Albano Canonicus Regularis, deinde ad S. Augustinum Oxonii Abbas ævo suo ob præstantem doctrinam, raram eloquentiam, ingeniique acumen non ab Anglis modò, sed Italis ac Gallis, *ingenii Miraculum*, habitus est. Memoratu dignissimum est, quod scriptis reliquit Auctor sermonum, *Dormi securè*, Alexendrum videlicet ob ingenii acumen in magnas incidisse tentationes, ut non semel Immaculatam conceptionem Beatissimæ Virginis Mariæ originali labe infectam argumentis comprobare meditaretur, ab his incæptis tamen quadam infirmitate identidem prohibitum fuisse. Quarta vice cum propositum suum sequenti die operi mandare de nocte cogitaret, gravior illum incessit morbus, in tantum sæviens, ut de vita periclitaretur. Eo in discrimine constitutus animum ad misericordiæ Matrem, commune peccatorum asylum convertit, illiúsque opem supplex imploravit, quæ vocata præstò fuit, hisce verbis eum allocuta: *En adsum. Causam adversæ sanitatis tuæ non aliam esse scias velim, nisi hanc ipsam, quod conceptionem*

nem meam, quæ macula carebat, contaminatam peccato adstruere conatus fueris. Tum accepto de manibus pedissequæ suæ cultello, è latere Alexandri frustum fætentis carnis proscidit, scissámque lateris partem acu, atque serico filo resarcit, quibus peractis ab oculis illius se subduxit. Ast æger cælesti visione in stuporem raptus, ne magnæ Matri sospitatrici pro miro favore esset ingratus, quam primùm ex eo morbo convaluit, sententiam suam mutavit, compositóque doctissimo libro, Conceptionem Deiparæ labe originaria immunem plurimis, solidísque rationibus adstruxit. *Ex Joanne Pitsio de Scriptoribus Angliæ, & dicto Auctore &c.*

B. Gilbertus Abbas II. celebris Canoniæ S. Joannis Valentianensis variis tentationibus, & adversitatibus impetitus velut aurum igne, sic virtutem adversis probatam cælo & terræ testatus est. Parentes nobiles Osbertum, & Godinam, omnémque sæculi substantiam generosè relinquens ordinem nostrum in Abbatia S. Joannis de vineis iuxta Suessionem sub Rogerio Abbate amplexus est. *Fulgebant hi duo viri inter alios velut duo luminaria super candelabra aurea posita ante Deum* (inquit Guisius Annalium Hannoniæ auctor *cap. 67. to. 3.*) *eorúmque fama, ac virtutum odor per totam provinciam Rhemensem spargebatur.*

Destitutum erat tum temporis sub Balduino tertio Hannoniæ comite Collegium Ordinis nostri S. Joannis Valentianensis Abbate suo Claremboldo Anno 1141. defuncto, nec non religiosa disciplina. Quare, ut huic cœnobio mederetur Reinerius Castellanus Valentianus, vir cultûs divini amantissimus ad Samsonem Archiepiscopum Rhemensem litteras dedit, in quibus eundem enixè rogavit, ut probum ordinis nostri virum ad se destinaret, qui cænobio S. Joannis præesset, religiosámque disciplinam pristino vigori restitueret. Missus proinde Gilbertus ab Archiepiscopo cum quibusdam sociis, Abbásque constitutus commissam sibi provinciam strenuè est aggressus, & zelo divino plenus Dei cultum ante omnia restituit, templum splendidè exornavit, canonicam disciplinam non tam verbis, quàm sanctis exemplis invexit, atque, ut eam stabiliret magis, & à facili ruina, in quam vergit laxa posterorum ætas, præservaret, statim Collegium, & Ecclesiam S. Joan. Congregationi nostræ Aroasiensi uniri, atque unionem à summis Pontificibus Innocentio II, & Eugenio III. ratam haberi fecit.

Sed ne virtuti deesset probatio, passus est in regimine suo multa gravia, & adversa; Valentianum quippè castrum cum dicta canonia dirissimæ flammæ penitus ab-

sumpserant; at in corde Gilberti tantam bonorum jacturam modestissimè deplorantis & fortissimè ferentis sanctiorem accenderant ignem, novam ædem Collegiatam, & Ecclesiam augustiori formâ reædificandi. Quod & Deo opitulante præstitit, dum brevi temporis spatio illustris planè Canonicorum domus, & Basilica splendidissima assurrexerint, velut è cineribus suis venustior phœnix. Ad hæc alia successit patientiæ probatio, quidam enim è suis Religiosis bullas papales subreptitias, depositionem Gilberti, sui verò ipsius ad Abbatiam promotionem continentes exhibuit, & in locum piissimi Abbatis subrogatus fuit. Verùm biennio pòst detecta fraude, diplomatúmq; falsitate deprehensâ magno cum dedecore fraudulentus pseudo Prælatus dignitate spoliatus, & Gilbertus pristino honori restitutus fuit, plaudente cælo, ringente orco, qui piis sanctorum conatibus semper invidet & adversatur. Hinc ultimum, ac validissimum posuit arietem B. Abbatis animum frangendi atque expugnandi, dum mundum in Balduino comite ad suppetias ferendas evocavit. Hic loci amænitate captus Collegium Canonicorum, & Ecclesiam S. Joannis aliò transferri, ac palatium ibidem erigi volebat, atque, ut suum certiùs assequeretur intentum, Gilberti expostulabat assensum, qui tamen comitis consiliis acriter se se opposuit, nullísque minis vel precibus moveri poterat, ut locum divino cultui deputatum, in veneris fanum, & Bacchi luxuriantis castrum permutari pateretur. Quare in tantam comes exarsit iram, ut Abbatem, & Canonicos Collegio suo exturbatos exilio damnaverit, Gilbertum vero, ubicunque locorum inveniretur, mortis victimam esse jusserit. Sed hic *furentis* istius *Achab* insidas declinans ad summum Pontificem pro tuenda Ecclesiæ causa, inde ad Imperatorem se contulit, & adversùs comitem eorum opem imploravit. Tum quoque in Angliam navigans Ecclesiam S. Thomæ nostri Archiepiscopi Cantuariensis, ac Martyris, similia pro Ecclesia Dei passi invisit, ejúsque meritis, ac patrocinio se suáque negotia commisit. In Hannoniam postmodum reversus, cùm quosdam suorum ibi reperisset, eos benignè consolatus ad patientiam hortabatur, prædicens, divinam providentiam opportuno auxilio brevi adfuturam. Vaticinio correspondit eventus, nam sub eodem tempore, quo Gilbertus apud Generalem Abbatem Aroasensis Congregationis substitit, Balduinus in lethalem morbum incidit, ut spes ulterioris vitæ à medicis interdiceretur. Amicorum proin consiliis Comes permotus Gilbertum ab exilio revocavit, qui ipso

Re-

Resurrectionis Dominicæ Festo in Ecclesia S. Joannis divinum officium magna solemnitate, ac devotione cum suis Canonicis celebravit. Verùm hostis avernalis B. Abbatis piis laboribus destruendis nova molitus est machinamenta. Comitis enim vitæ periculo liberati, & in pristinam sanitatem restituti animum odii, & iracundiæ facibus adeò succendit, ut Gilbertum non sine ingenti piorum ejulatu, suorúmque Canonicorum mœrore omnibus Hannoniæ finibus iterum proscriberet, & exilio mulctaret. Interea Religiosis optimum Patrem lugentibus, & ferventes preçes pro eo ad Deum effundentibus impius Comes noctu sub quietem vidit in suo cubiculo S. Joannem Baptistam clarissima luce circumfusum, qui cælitum Reginæ, aliísque Sanctis querelas non modicas detulit contra Comitem, eundem *furem* compellans. Cui Regina sententiam divinam exposuit, & respondit, comitem mox ad tartara damnandum esse, nisi resipisceret. Ad hæc ingenti timore correptus evigilaverat Balduinus, & ociùs Gilbertum revocatum Canoniæ restituit, & à Beato viro malè actorum veniam ac pacis osculum impetravit magnus post hac ex fatali inimico Ecclesiæ patronus. Beatus autem Abbas tot ærumnis confectus, postquam à S. Pontifice Alexandro III. Abbatiæ ejúsque privilegiorum, bonorum, ac indultorum confirmationem obtinuerat, vitam beato fine coronavit die 21. Augusti A. 1185. Ad ejus sepulchrum pro testimonio sanctitatis apposita subscriptio visitur.

Sanctus Gilbertus lustris qui præfuit octo. Ex Quisio supra laudato apud Arnoldum Raisium in auctario ad Natales SS. Belgii hoc die. Stephanus Serva Cremonensis Italus præter doctrinam, solertiam, ac sobrietatem comiseratione, zelóque animarum excelluit. Frequenti experientia doctus dæmonum astutias, dolos ac technas probè callebat. Unde in Eugubina Ordinis nostri Ecclesia, ubi S. Præsulis Ubaldi sacra pignora innumeris miraculis coruscant, se laboriosissimo, maximéque arduo exorcizandi energumenos exercitio plurimis annis impendit, cui & immortuus est circa annum 1524. Scripsit vitam, gratias, & Miracula Sanctissimi Ubaldi Episcopi latinè, & Italicè, quæ cusa sunt Parmæ A. D. 1519. *Ex Lyceo Lateranensi lib. 16.*

ARTICULUS II.

De Scrupulis.

SUMMARIUM.

93. *Definitio scrupuli, & triplex classis scrupulosorum.*
94. *Afferuntur causæ scrupulorum, &*
95. *Quædam signa eos dignoscendi.*
96. *Discrimen inter meticulosum, & laxum.*
97. *Exceptio regulæ datæ per quatuor notanda.*
98. *Præscribuntur generales regulæ scrupulosis, &*
99. *specialia remedia naturalia & supernaturalia,*
100. *inprimis illis, qui sunt anxii propter peccata præterita.*
101. *Et qui metuunt peccatum futurum:*
102. *Vel dubitant de dato consensu in tentatione:*
103. *Vel nimis solliciti sunt de confessione instituenda.*
104. *Aut in actuali operatione practicè se resolvere nequeunt.*
105. *Scrupuli spiritualem profectum retardant, ac nocent, aliquando etiam prosunt ad illum. Insidiæ colubri.*

93 INter impedimenta perfectionem spiritualem retardantia etiam recensentur scrupuli, de quibus hìc ad notitiam pro depellendo timore & consolatione teneræ conscientiæ paulò fusiora tractabimus. Definitur *scrupulus*, quod sit *inanis apprehensio, timor, & anxietas alicubi esse peccatum, ubi non est.* Ita D. D. Theologi communiter, vel, ut aliis placet (quæ tamen descriptio in priorem recidit) *scrupulus est cogitatio levissimis innixa rationibus, & motivis, quibus animus incipit fluctuare, & cruciari instar lapilli parvuli in calce pedem pungentis.* Scrupulosi seu pusillanimes & meticulosi in triplici sunt classe. *In prima* sunt tentati, qui putant propter tentationum multitudinem se graviter peccare, gratiam amittere, & perdere cælestem gloriam; unde tristes fiunt, & cessant benè operari. At graviter errant, si enim tentationi non consentiant, nec peccant, nec gratiam amittunt, ut est evi-

evidens, & cōmunis regula: *tam diu non est victus, quamdiu in conflictu quis existit.* *In secunda classe* continentur duri & frigidi, quasi insensibiles, & derelicti, qui opinantur, se non esse in gratia, sed in ira Dei, quasi jam reprobatos, & ad infernalem ignem destinatos. Graviùs tamen hi errant, cùm suavitas spiritualis & sensibilis dulcedo non sit gratia gratum faciens hominem, & amicum Dei, nec signum peccati talis derelictio. Ratio hujus satis patet à pari ex dictis n. 313. part. priori. *In 3tia Classe* ponuntur conscientiosi & inquieti, qui in confessione, oratione, & aliis actionibus timent se peccâsse, & ita prosequuntur umbram ex persuasione objecti realiter non existentis. Ex quo deducitur, quòd scrupulosi homines nunquam se satis determinare valeant, sed continuò inter timorem, & angorem vivant, ad neutram contradictionis partem cum vero judicio inclinantes.

94 Multæ sunt causæ, ex quibus oriuntur scrupuli. Prima & maxima est *suggestio diaboli* ad impediendum bonum spirituale. 2. Superiorum, & pœnarum timor; scrupulosi enim in aliis sunt laxi, & effusi, econtrà eorum negligentiam timor acuat. 3. Complexio frigida, & melancholica. 4. Imbecillitas capitis apprehensivi. 5. Lectio librorum spiritualium non satis intellectorum, & conversatio cum scrupulosis, utut spiritualibus. 6. Defectus judicii naturalis. 7. Acumen ingenii in inveniendis rationibus dubitandi, & impotentia solvendi. 8. Superbia occulta juncta negligentiæ, & ignorantiæ; scrupulosus enim timet peccatum, ubi non est, & negligit quærere ubi periculum est, nec facilè credit, ne doctrinâ inferior habeatur, nec judicio, & directioni alterius se submittit; quia putat se non intelligi ab alio. Ex hac causa quidam doctissimus vir cum Reverendissimo nostro Udalrico definiebat conscientiam scrupulosam, *ignaram* & *superbam*. 9. Sæpe repetita actio mala, qua magis intimidatur animus, ut si magnam reputes Religionem coram quavis Christi imagine tegere caput, & malum econtra post consuetudinem caput denudandi contractam habeas, nisi detegas caput, vel inclines &c. 10. Dejectio animi in repellendis timoribus. 11. Nimia sollicitudo cavendi etiam speciem peccati. 12. Voluntas Dei immittentis scrupulos ad punienda peccata præsertim superbiam, ad executiendum teporem, ad majus meritum, ad instruendum etiam hominem, ut aliis sciat compati.

Signa & judicia dignoscendi scrupulosos, hæc sunt, ut refert Reverendissimus Udalricus noster in via perfectionis. 1. Scrupulosi minutis torquentur, & inhærent, sicut muscæ in telis aranea- 95

nearum, & majoribus defectibus non invigilant. 2. Obstinatè propriis apprehensionibus inhærent, & Patribus spiritualibus parum aut nihil credunt. 3. Proprio judicio ita stant, ut solùm evidentia amplecti velint. 4. Amorem sequuntur proprium, unde sunt singulares, indiscreti, & communia parùm æstimantes. 5. Certi esse volunt de statu suorum interiorum, non contenti illo dicto. *nescit homo, utrum amore vel odio dignus sit.* 6. Pietatem simulant ac pro devotis, & tenerrimæ conscientiæ haberi volunt. 7. Omnes sibi cedere, & servire cogunt, ne scilicet perturbentur, vel aliquid molesti patiantur, ita, ut etiam in se insurgant, siquid displicet. 8. In spiritualibus nihil proficiunt, quia perturbata ratio, & intellectus raro est pacatus, sed rapidis passionibus continuò impetitus. Unde scrupulosi fiunt critici & dum imaginationi nolunt dominari, permanent rudes in intellectu, crudi in affectu, in spiritu inanes. 9. Quidquid creat molestiam, illud fugiunt, aut de illo desperant, adeò delicati sunt. 10. Fingunt sibi viam diversam ad salutem, & proprio ductu vivere volunt.

Hinc oriuntur graves tentationes etiam contra vocationem: sæpe mania & stupefactio, & desolationes gravissimæ. Hæc Rmus. Doctor noster de scrupulosis.

96 Ex discrimine *laxi* & *meticulosi* facilè etiam dignosci potest scrupulosus. 1. Spernit *laxus* ea, quæ alii boni, probi, & docti peccata judicant: *Scrupulosus* timet ea, quæ probi & docti non esse peccata asserunt. 2. *Laxus* concionatoribus & confessariis doctis non credit, si quid peccatum dicant: *Scrupulosus* iisdem peccatum excusantibus non credit. 3. *Laxus* proprio confisus judicio procedit: *Scrupulosus* iterum iterùmque interrogat, & securitatem palpare vult. 4. *Laxus* in confessione non multùm laborat pro exprimenda specie, & numero peccatorum: *Scrupulosus* dubitat, hæret anxius, numerum & circumstantias variè exprimit, nec tamen sibi videtur satisfacere. 5. *Laxus* præcipitanter & sine consideratione agit: *Scrupulosus* nec communi Theologorum doctrinæ fidit, sed semper evidentias, & demonstrationes quærit. 6. *Laxus* velociter & vagè præscriptas preces deproperat, sine causa interrumpit, inter orandum circumspicit vel fabulatur: *Scrupulosus* anxiè orat, caperata fronte attentionem facit, orata repetit, & de satisfactione timet.

Notandum est 1. Quòd ex de- 97
fectu purioris orationis nullus scrupulosus se talem judicare possit. Nec etiam ex una vel altera confessione anxiè depositâ, aut frequenti, scrupulositas conjici debet, cùm etiam viri sancti quotidie sint confessi.

No-

Notandum 2. Nec illos esse scrupulosos, qui post multa patrata peccata generalem deponunt confessionem, & postea iterum, & magis confiteri volunt, & præterita expiare, quia timor iste sæpe est prudens, dum facilè aliqua excidere possunt. Siquis veró in alia consueta peccata labitur, quamvis valde postea angatur, sólicitè se examinet, anxiè confiteatur, scrupulosus non illico censeri debet, justa enim est causa, quia Deus conscientiam mordentem à peccatis abstrahere cupit.

Notandum 3. Neque illum esse scrupulosum, qui dubitat, an in hoc, vel in illo casu, & an mortaliter peccaverit, dubium enim & scrupulus distinquuntur, nam dubium potest esse prudens, scrupulus autem est inanis apprehensio, & sine fundamento conceptus timor peccati ubi peccatum non est.

Notandum 4. Quòd qui in uno, vel altero casu tantùm est scrupulosus, absolutè talis dici non possit, quia non adest habitus, & frequentia actuum. Potest tamen aliquis esse *Scrupulosus* in una materia. v. g. castitatis, vel in horis Canonicis persolvendis &c. In aliis verò *Laxus*. Quidam verò sunt scrupulosi circa præterita, alii circa præsentia, quidam circa futura, qui nunquam se resolvere valent ad aggrediendum prævisum & futu-
98 rum opus.

Regulæ generales servandæ sunt scrupuloso 1. Quod nimiam difficultatem affert, moraliter non est possibile, unde ad illud nec Deus, nec Ecclesia obligat. Hanc regulam applicare potest plurimis materiis v. g. scrupulosus dicere potest: mihi nimis difficile est minutissimas confiteri peccati umbras, recitare horas semper repetendo, semper habere formalem attentionem, intentionem &c. Tentationibus impuris usque ad debilitatem capitis resistere: ergo ad talia non obligor.

2. In dubiis quidquid videt ab aliis hominibus probis & doctis agi, illud & ipse bona fide facere potest. 3. Quandò de aliqua lege certus non est, bona fide & sine contemptu, dum paratus est facere, si sciret legem esse, excusatur à lege. 4. Si dubitat ad id, in quo hæret, sit scrupulus, an prudens ratio dubitandi tutò contemnere potest velut scrupulum. 5. Scrupulosus vel memoria retineat, vel etiam in charta notet scrupulos, quos agnovit à confessario suo sicque ex horum similitudine præsentes dijudicet, & contemnat.

Remedia porro duplicis sunt 99
generis ad repellendos scrupulos; alia *naturalia* v. g. medicinæ sumptio propurganda atra bile. 2. Sanquinis minutio. 3. Fractio proprii judicii. 4. Diffidentia in propria prudentia. 5. Acceptatio consilii etiam à rudibus. 6. Moderata recreatio. 7. Mediocritas in omni,

nibus aptanda scilicet, ut scrupulosi phanthasiam regant, intellectum ad alia objecta applicent, nec illam propter vehementem impressionem objectorum quaquaversum evagari sinant.

Alia *supernaturalia* his comprehensa 1. remedium planè efficax est *fervens oratio* ad Deum, & imploratio Beatissimæ Virginis, nam ista Beatum Alanum 15. annis vexatum liberavit. 2. *Manifestatio* scrupuli suo confessario, vel Superiori, hi enim sunt magistri & medici à Deo dati. 3. *Humilis obedientia* captivando intellectum, séque totum committendo judicio alterius, nihil contrà disputando, vel obiiciendo, & licèt erraret Confessarius, error tamen iste magis placeret Deo propter humilem obedientiam, quàm ipsa veritas è proprio sculpta cerebro. Ita S. Antoninus quasi remedium remediorum pro scrupulosis præscibit 1. p. *Summ. Tit.* 3, c. 7. §. 10. asserens: *Est igitur quinta regula obedientiæ humilis imitatio, ut scilicet scrupulosus captivet intellectum suum dictis sapientum, & obedientiæ superiorum, quantumcunque sibi scrupulosus dictet aliud.* Nam qui obediens est superioribus, voluntatem Dei facit, quia illi sunt interpretes divinæ voluntatis. 4. Et ultimum remedium est *scrupulos contemnere*, quia à malo spiritu procedunt, & irrationabiles sunt, hinc, ut experientia docet, per contemptum quasi per gladium jugulantur.

Qui scrupulosus est propter peccata præterita 1. generalem confessionem deponat, atque ea ritè deposita nullo modo ampliùs rememoretur ullius circumstantiæ, numeri, vel occurrentis dubii &c. & deponat opiniones quasvis. 2. Nec timeat de sufficientia habitæ doloris contritivi. 3. Nec anxius sit, an circumstantias ritè explicuerit, quia dolor generalis ad omnia peccata se extendens supponitur adfuisse tempore confessionis generalis, vel alterius depositæ; hinc etiam peccata post diligens examen memoriæ occurrentia, & clavibus Ecclesiæ subjecta jam remissa censentur. Aliud foret, si peccatum certò commissum, & certò nunquam confessum, & quidem in prioribus proximis confessionibus depositum nunquam fuisset, tunc enim ex invicibili ignorantia factum peccatum sacrilegii non foret, illud solùm tamen in confessione proponendum esset. 100

Circa metum futuri peccati cogitandum est 1. Deum non esse tyrannum, sed esse clementem Dominum & gerere se tanquam patrem, & contentum esse diligentia modica filii juxta Psalmum: *Servite Domino in lætitia & exultatione.* Qui nimiùm adeò Deum timent, illud non noverunt, nec perfectè diligunt, timor enim habet pœnam, 101

nam, qui autem habet pœnam, non est perfectus in charitate. 2. Cogitandum est, Ecclesiam non esse Novercam, sed suavem Matrem, cujus leges humanæ infirmitati sint accomodatæ, & communiter non obligent cum magno periculo & damno. 3. Debet esse quis contentus probabili ratione, aut authoritate; in moribus enim vix habetur certitudo: sufficit ergo ad operationem humanam & honestam probabilitas, etiamsi contraria formido reclamet. 4. Inspicienda est vita moresque piorum hominum quietè Deo servientium: meritò enim judicatur honestum esse, quod tales viri faciunt sine scrupulo.

102 Qui scrupulosè angitur, dubitátque, an tentationi internæ consenserit, nec ne? 1. Credat se non mortaliter peccâsse, nisi certò sciat, & jurare possit, se advertisse malitiam gravem, & in eam plenè consensisse. 2. Si internis dubiis circa fidem angatur, positivè contra tentationem non pugnet, volendo elicere actus oppositos; sufficit enim quasi permissivè & contemptim se gerere. 3. Scrupulosus circa judicia temeraria similiter permissivè se habeat v. g. si audiat liberiùs loquentem contra superiores vel alios, sufficit recogitare interiùs: *Quid ad me? loquantur hi, quiquid velint &c.* De scrupulosis verò hæc procedit regula, non de aliis. 4. Nunquam in actu tentationis se examinare debet, an consenserit, nec ne, caput enim fatigat, & novas creat molestias: generaliter sufficit non velle peccatum. 5. Verbis, gestibus, aliísque exagitationibus contra scrupulos se velle defendere, signum manifestè erit aut vexationis diabolicæ, aut corruptæ rationis. Universim, nisi evidens sit ratio consensus in objectum tentatum, neque in scrupuloso, neque in aliis, qui aliàs timoratæ sunt conscientiæ, præsumendus est consensus plenarius in peccato, & in dubio magis credendum, se non plenè consensisse, ut docent Theologi.

Quod attinet solicitudinem 103 confitendi, ea sunt notanda, quæ cæteroquin communia. Imprimis enim confessio non est instituta carnificina conscientiæ, sed pro levamine, quare observandum erit 1. ut nullum peccatum confitearis nisi certum, & indubitatum, prætermissis omnibus dubiis, interim eliciendo generalem dolorem de omnibus peccatis occultis. 2. Antiqua peccata non repetas, etiamsi non memineris te confessum esse, quia non recordari non est irrationabilis causa dubitandi, non enim omnium meminimus, quæ diximus vel fecimus. 3. Confessionem generalem non instituas, nisi jubeat speciale statutum, vel aliqua ratio, esset enim refodere cadaver, ut novi vermes scaturiant.

104 Scrupulosi etiam maximè ex eo anguntur, quod in actuali opere se resolvere non valeant, dubitant enim, an illud ipsum sit mortale, vel veniale, aut sitne peccatum? vel non? interea sciunt ex dictamine reflexo, quod in dubio operari non liceat: hinc etiam postea practicè resolvere non possunt, an operati fuerint cum dubio, nec ne: ex quo ingentes æstus & novæ molestiæ oriuntur, Quare etiam in hoc passu documentis spiritualibus indigent.

1. Ergo dubitans, an præsens actio sit peccatum, vel non, benè se resolvere potest, non esse peccatum, si primo statim intuitu, & sine formidine non cognoscat esse peccatum, neq; opus est, ut examinet rationes pro & contra, sed certò credat esse licitum, hoc ipso, quòd primo intuitu non occurrat tanquam certò & indubitanter illicitum. 2. Si sciat alios homines probos tale operari, ex quo rectè judicat etiam sibi licere. 3. Quamvis postea inveniat se errasse, si tamen ex regula prima, dum primo intuitu non occurrebat esse peccatum, egerit, peccatum non habet, nisi per accidens, & materialiter. 4. Stante timore, quo fit, ut se satis determinare nequeat, operari potest absque peccato, quia timor ille non est judicium, nec conscientia dubia, sed tantùm fuga aliqua, sive actus appetitus, aut voluntatis conjunctus cum apprehensione mali, quod fugit. 5. Si scrupulosus certè putet se habuisse dubium, non ideo certus est se peccasse, quia potuit esse dubium tantùm speculativum, per quod non tollitur certitudo judicii practici: hinc non tenetur confiteri dubia, uti docent Theologi morales apud P. Claudium la Croix l. 1. c. 3. quorum doctrinam necessitate compulsi decerpsimus pro spiritualibus documentis teneriorum conscientiarum.

Scrupulos profectum spiritualem retardare diximus, quia virtus pacatum requirit ingenium, & quietam indolem, *quiete enim proficit anima*, ut ait eximius vitæ spiritualis Magister Thomas Kempensis; at qui scrupulis agitatur, rarò quietum possidet animum, quia tranquillatos nõ tenet sensus, sed variis modò objectis obrutus timore percellitur, modò tristitiâ, & anxietate contabescit, atque adeò à sano virtutum exercitio impeditur. Quapropter eatenus inutiles sunt, & nocivi scrupuli, quia non solùm nocent corpori, dum valetudinem destruunt, & attenuant caput, ad insaniam redigunt, & abbreviant vitam: sed etiam damna inferunt animæ, quã reddunt intricatam, desolatam, perplexam, & quandoque desperabundam, intellectum confundunt, & ad functiones bonas totum hominem ineptum reddunt, impediunt bona opera, & tempus prodi-

prodigunt inutilibus cogitationibus. Nihilominus sæpe immittuntur à Deo ad emundandam conscientiam. 2. Faciunt hominem in actionibus cautum, ne offendat Deum, & ut omnia puriùs ad ipsum dirigat. 3. Ad internam humiliationem, & cognitionem propriæ miseriæ, ad abdicandum proprium judicium plurimùm conferunt. 4. Augent meritum, atque virtutes patientiæ, devotionis, obedientiæ &c. roborant. 5. In malis exterioribus intellectum illuminant, & spiritûs discretionem docent, ut etiam alios simili morbo laborantes juvare possint scrupulosi. 6. Martyrum coronam acquirunt, sæpe enim illi mortem potius, quàm angores diutiùs ferre mallent. 7. In articulo mortis maximis abundare consolationibus visi sunt, qui in vita vexati molestissimis scrupulis, & ita purgatorium expiarunt. Quæ omnia scrupulosis magno solatio esse debent.

INSIDIÆ COLUBRI.

ILlustrissimum Venetiarum Lumen S. Laurentius Justinianus miram doctrinæ cælestis lucem teneris, & scrupulosis cordibus invexit, dum callidi hostis *insidias* detexit, & investigabiles vias *tortuosi colubri* religiosis viatoribus pandit, atque asceticis documentis perlustravit. Placet ad instructionem eorum, quorum *calcaneo insidiatur* infernalis coluber variis suggestionibus, venenatísque persuasionibus, quædam hìc apponere, quæ divina Sapientia castissimo sui Sponsi S. Patriarchæ cordi instillaverat. Cælestia à Deo eruditi hujus Doctoris Mystici documenta *l. de Discip. & Perfect. Monast. Conversat. c. 12.* hæc sunt. Dæmonum fraus, & venenata malitia inscrutabilis est, & prorsus ignota mortalibus. Deo solo revelante eorum possunt detegi *insidiæ.* Tortuosi namque cùm sint *colubri*, & anfractibus assueti plurimis, mox, cùm teneri putantur, è manibus defluunt. Mille enim modis, investigabilíque nocendi arte, ac infatigabili circumventione simplicium animas decipere moliuntur. Nunc blandis persuasionibus ignorantium mentes decipere student, atque quibusdam rationibus fictis ad peccatum eos alliciunt. Nunc callidis machinationibus & astutiis (*scrupulos, & anxietates imiscendo*) eosdem præcipitare contendunt: tales namque (*timidi: & formidolosi*) nisi majorum per omnia acquiescant consiliis, irremediabiliter ruunt. Aliquandò verò ut manifestus hostis totis viribus per aper-

ta certamina corda impetunt, & evertere nituntur laudabile mentis propositum bellatorum Christi. Si autem sagittis eorum ignitis scutum opponatur patientiæ, cuncta, quæ intorquentur, resiliunt jacula. &c. Quandoque etiam horribiliter humanæ menti se ostentant per tetras imagines, & insolitos aspectus, atque per terribiles comminationes, insuetosque terrores tremorem conantur ingerere vehementem, quatenus relicta confidentiæ anchora in pusilanimitatis pelagus ipsam demergant. Horum autem insultus non sunt formidandi. Grandia minantur, cùm nihil possint, quid verò mirum, si erga Christi servos infirmi sunt, cùm neque in brutis animalibus prævalere queant, prout Evangelii textus proloquitur. Aliquando assiduis tentationibus Deo misericorditer permittente, impetunt animam superbiæ vitio, & propriæ sufficientiæ veneno infectant, atque in obscænis eam delictis prosternunt, postea verò tentationis laqueos contra eandem tendunt. Mox autem, ut cecidisse se cognoscit anima, quæ priùs stare videbatur, ad humilitatis remedia illicò confugiat &c. Interdum ipsi deceptores Dei misericordiam, & ipsius largissimam bonitatem falsis rationibus obtenebrare decertant, obiiciendo interiori homini suorum sarcinam peccatorum, quæ irremissibilia esse præ multitudine, præ magnitudine, præ obscænitate demonstrant: quatenus pondus conscientiæ, & suæ deformitatis turpitudinem non ferens homo, in baratrum desperationis amissâ spe veniæ se mergat. Huic námque tam pestiferæ suggestioni opponenda est Domini nostri JESU Christi sanctissima mors, & quanta pro humani generis restauratione pati voluerit, attentè animo revolvenda sunt. Nullum enim adeò est grave peccatum, quod Christi sanguine non deleatur. Si autem crucifigentium scelus abolevit sacrosancta Domini passio: Quis dubitet, quin aliorum valeat auferre delicta? propter hoc Dei filius carnem de humana sumpsit propagine, ut hominum peccata deleret. Toties ergò confugiat peccator sub Crucis Christi umbraculum, quoties desperationis jaculo se cognoscit transfixum. Hac verò fraude, si repugnantem nequeunt animam superare, illicò Deum tam misericordem erga peccantes seductoria assertione prædicant, ac sic nec judicare peccata, nec peccatores damnare ullo modo patiatur. Dæmonum verò callida intentio est, animam in dissolutionem, & audaciam delinquendi allicere, ut amisso timoris gubernaculo in omne eam nefas involvant (*Scilicet aut laxitatem damnabilem introducunt, aut nimiam conscientiæ angustiam, & varias formidines causare nituntur*) Meminisse tamen

men debet, qui hac peste percussus est, quàm severè contra delinquentes Deus suam justitiam exercuit. Nam peccantibus Angelis nequaquam pepercit Deus, sed mox, ut extulerunt se, æternis damnati fuerunt incendiis, & irremissibili ultione percussi condignam suæ præsumptionis suscepêre mercedem. Peccanti quoque primo homini, quamvis Dei manibus plasmatus fuisset, quamvis in paradiso deliciarum collocatus, & supra dignitatem cunctorum animantium evectus, nequaquam indultum fuit. Repentè namque, ut legem obedientiæ transgrediens de vetito comedit, cum dedecore ejectus sententiam, quam ei Dominus comminatus fuerat, in se recepit. Didicit námque ex pœna, quid meruerat per culpam. Non universo orbi diluvii tempore, non populo Dei in idolis fornicanti, non Moysi mitissimo hominum, qui tunc morabantur in terra, non David viro secundùm cor Dei, non cuncto Israeli legis mandata prævaricanti inultè pertransire permissum est. Sic enim Deus peccatis & iniquis adversatur operibus, ut potiùs permitteret ignominiosæ morti suum tradi filium, quàm ut impunitum remaneret peccatum. Plerumque etiam Deo dispensante, ipsi spiritus nequam, ita pusilorum conscientiam confundunt dubietate, ac multitudine stimulorum, ut neque (ut si dicam) pedem valeant movere præ timore conscientiæ, qui sic tentatur; aguntque suis persuasionibus, & importunitatibus, ut quod minimum, aut nullum peccatum est, mortale credatur. In immane se ferunt præcipitium, qui hujusmodi tentationi assensum præbent. Atque aliquando propter conscientiæ onus graviter delinquunt in iis, quæ sine peccato agere potuerant, quoniam, qui facit contra conscientiam, ædificat ad jehennam. Talis conscientiæ impulsus omnino audacter revellendus est, & tanquam antiqui hostis figmentum debellandus. Tunc debellatur, tunc hujus tentationis, qui impugnatur, victor efficitur, cùm ex adverso suggestioni se opponens vel in minimo nullo modo eidem obtemperat. Hoc námque manifestè comprobat istud diabolicum esse opus, quia & conscientiæ (*scrupulosa*) resistitur, & nihilominus conscientiæ (*vera, & juxta dictamen superioris ad regulas sacrata praxis rectificata*) *pax reperitur*. &c. Assueti sunt etiam hostes humani generis Servos Christi aggredi variis, importunis, obscænisque cogitationibus, & impudicis phantasmatibus, adeò, ut cuncta, quæ præterita comiserunt, delicta revocent ad memoriam, loca, personas, tempora, modósque suggerendo: quatenus inexperti milites fatigati ex crebris impulsionibus, & vehementibus icti-

ictibus ignitarum cogitationum, efficiantur formidolosi, & resiliant à proposito cœpti certaminis: vel sentientes se flexibiles ad consensum cogitationum, quibus impugnantur, opprimantur tristitia, quæ tentatis valdè perniciosa est. Sed noverint tales pro his tentationibus potiùs gaudere debere, quàm tristari. Ex diaboli livore procedit infestatio, conspicit enim ipsos strenuos futuros Christi milites, & ad magnam perventuros perfectionem. Unde hæc non ferens inimicus, qui omni inimicatur bono, conatur totis viribus illos evertere. Deus autem dolum ejus convertit in caput ipsius. Nam ipse suos in certamine confortans milites, quotidie eos efficit fortiores: intuentes verò Dei servi ex solo mentis consensu hominem posse cadere, & non ex impugnatione sola adversarii interioris hominis muniunt sensus, & diaboli resistunt tentationibus, quæ tantò minùs formidandæ sunt, quantò ampliùs displicent: Interdum consueverunt ipsi maligni spiritus in cordibus simplicium procaciter loqui contra Deum verba blasphemiæ.

Audent námque in auribus eorum, præcipuè cum orationi insistunt, & sacrosancta tractantur Mysteria, divinam maledicere Majestatem, & obscæna quædam adversùs Dei Genitricem immittere phantasmata; atque Sanctorum omnium chororum cum Christo regnantium subsanare gloriam. Caveant verò, qui hujusmodi nefandis, blasphemiæ tentationibus impugnantur, ne expavescant, aut ex ipsis turbentur, vel fiant pusillanimes. Ad arcem semper recurrant rationis, hanc muniant, hanc custodiant, hanc clavis divini configant timoris, hanc interdum vinculis divinæ charitatis religatam teneant. Firmissimè námque in hac veritatis sententia roborentur, & confidant, quòd nunquam potest animæ inferre mortem infestatio tentationis, nisi in uno secum consensu conveniat deliberatio voluntatis. Pacem quidem mentis perturbare tentationes possunt, gratiam verò Dei auferre non possunt. Impugnando labores ingerunt, & coronas immortalitatis parant. *Et paulo infra pergit S. Præsul.* Nonnullos etiam ipsi callidi seductores de prædestinatione tentare consuevêre, quibus persuadere nituntur judicium jam factum esse & contra eos divinam promulgatam sententiam, cunctámque propriæ salutis spem ex ipsorum cordibus conantur extinquere. Huic autem irrationabili suggestioni facilè respondetur. Sicut enim ratione caret; ita leviter superatur. Cunctis námque sanæ mentis patet, quod Deus nullum judicat, antequam de corpore exeat. Donec enim in carne vivit homo, aut damnari aut salvari potest,

teſt. Solùm poſt reſolutioné corporis adversùs ſingulos vel condemnationis vel abſolutionis profertur ſententia. Qualis unius cujuſque vita fuerit, talis erit & ſententia. Cauſa namque hominis tota abeo pendet, nec aliter judicat Deus, quàm ſecundùm quod quiſque vixerit. Ignotus quippè omnibus mortalibus eſt ſingulorum finis. Sed neque ipſi Angeli boni, qui Dei contemplantur gloriam (niſi fortè ex divina revelatione) ſcire valent, utrum quis damnetur, an ſalvetur. Quanto autem minùs angeli ſatanæ, qui ab initio mendaces fuère, hoc noſcere poſſunt? Parvi pendenda eſt ipſorum falſa comminatio. Studeat quilibet laudabiliter vivere, Dei mandata cuſtodire, ſe Deo humiliter ſternere, proximum ùt ſe diligere, patienter quæque adverſa tolerare, & uſque ad finem in virtuoſis actibus perſeverare. Taliter itaque vivendo quiſque de divina bonitate plurimùm confidat: quia de numero non ſegregabitur electorum. Si verò non tepuerit in operando, ſed magìs opera bona augmentare ſtuduerit, ab hac, quâ pulſatur tentatione prædeſtinationis, liber erit. &c.

Atque hiſce ſacratioris ſcholæ principiis ſuos Generalis Rector Canonicos informaverat adversùs *inſidias tortuoſi colubri*, ut vias ejus humano generi aliàs impervias, ſed divina nunc ſanctorum doctrina magìs notas cautè obſervarent, obſervatas ex documentis datis declinarent, & declinatis inſidiis iter ad cæleſtem Jeruſalem abſq; ambagibus, tortuoſis callibus (*ſcrupulis*) feliciùs proſequerentur.

Scrupulum nemo ſibi formare debet in abnegatione ſæculi, contemptu divitiarum, & illecebrarum fuga, id quod præſtiterunt tot millia ſanctorum, qui hoc medio cæleſtem adepti ſunt gloriam. Felix, beatum, ſanctum malè non dicam ſæculum à partu virgineo VI. quòd præter alios, canonicus ordo longè plures numeret viros ſanctos, beatos, terræ, cœlóque notos, quàm Calendas. Viennæ in Gallia major domus ſanctorum Martyrum, ſeu Eccleſia Cathedralis, & conjunctum Collegium Apoſtolicam vitam tenentes, in unúmque viventes plurimos fovebat Clericos, qui turmis diſpoſitis ſanctorum officiorum miniſteria peragebant. Apud S. Severum quoque cætus clericorum venerabilis. Alia quoque venerabilia Sanctorum in unum converſantium habitacula ad ſexaginta ſub cura *Cadeoldi*, ſeu *Cadoldi* Pontificis degentia in Vienenſi diœceſi ſatìs ordinabiliter ſita erant. Pontifex inauguratus *Cadeoldus* Archiepiſcopale pallium à Joanne V. aliáque ſacra reliquiarum munera promeruit. Regularem cum ſuis Canonicis vitam in majori domo ita excoluit, ut circa omnes ſeipſum bo-

bonorum operum præbuerit exemplum. Sollicitus animarum paſtor paræcias vigili perluſtrabat oculo, ne rectoribus obdormientibus rapaces irreperent lupi. Cum tanta pietate, ac prudentia Clericorum Collegia rexit, fovítque, ut ſingulorum ſpecialis, velut communis omniū Pater proclamaretur Monachorum quoque S. Benedicti cænobia vigilantis inſtar Abbatis moderatus eſt, collabentia reparavit, ac diſciplinam ſartam, tectámque conſervavit. Sacratarum Deo Virginum parthenones, ceu fragrantes liliorum hortos coluit, ſanctiſque monitis irrigavit. Sol fuit *Cadeoldus* in hemiſphærio Viennenſi infima quæque illuſtrans, nec fuit, qui ſe abſcondiſſet à calore ejus. At in occaſu vitæ ſanctitatis radios uterque demiratus eſt polus ab Anno 696. 14. Jan. *Ex variis Script. apud Bolland. hoc die.* Unde ſatis clarè eruitur, vitam communem & regularem in Eccleſia Cathedrali Viennenſi viguiſſe tempore S. Cadeoldi, quam & ipſemet, ut patet ex vitæ tenore, exactè tenuit. Si adverſarios deſuper nanciſcamur, ſatis probabile alibi reproducemus argumentum, quod hic aſceticâ methodo procedentibus, diducere pluribus non conceditur.

Eccleſia Cameracenſis veluti conſpicuum Galliæ cælum illuſtres inter planetas *Ableberti* gaudet lumine, *Witgerus*, & *Amelberga* genere comites, pietate principes, cœlo, ac mundo pepererunt infulatum ſidus, cujus aſpectu vel ſorores irradiabantur *Reinildis* pro numine effuſi ſanguinis virginei rubore, quo lucida non erubeſceret venus, *Sarachildis*, *Ermenlindis*, & *Gudila* argenteis pudicitiæ radiis, quibus longè ſuperarent Cynthiam, lectiſſimæ ſtellulæ. *Ablebertus* tamen, ne ante tempus à Patre luminum aſſignatum luceret tranſacta in timore Dei pueritia, juvenilem oris venuſtatem intra religioſa Canonicorum Cameracenſium ſepta condidit. Nullus illuſtri hoc adoleſcente morum probitate ornatior, eloquio ſuavior, animo benignior, humilitate abjectior, obedientia promptior. Qui terrena tractabant negotia amicorum etiam, evitabat conſortia. Leviſſimi enim vapores è palude halitantes ſicut nubeculam offundunt ſoli; ita mundanorum alloquia intemperiem facilè obducunt animæ, quæ cælo cupit vivere. Dum porro corporis virginei afflictationibus, ac inter inedias, vigilias, lacrymas orationibus jugiter incumbebat *Bertoaldi* Pontificis è vivis abeuntis in cathedram ſuffectus fuit, geſtiente populo de præfulgentis aſtri jubare. Sanctitas Antiſtitis palam mundo innotuit, cùm enim ſanctæ *Gudilæ* ſororis tumulum quidam violâſſent, illatæ ingemuit injuriæ *Ablebertus*, atque juſtam cæli vindictam in

in temerarium criminis provocavit authorem, ut mox ipſe, & omnis ejus poſteritas virilis claudicare ſit viſa. Tandem febrili calore correptum corpus, dum anima beatæ perennitatis ardore depurata in empyrio nitet ab Anno 640. apud canonicas Malbodii translatum, etiamnum obtinet ſplendorem. Quot hodiedum claudicarent, ſi ſimili tangerentur fulmine? *Ex Joan. Mol. Uſuard. Philippo Ferrar. Breviario Malbodienſi Canonicarum Martilog. Belgico ad diem* 15. *Jan. apud Joan. Bolland.* Cameracenſem Eccleſiam Cathedralem tunc temporis fuiſſe regularem, ſcribunt Eminentiſs. Cardinalis Jacobus de vitriaco *in hiſt. occident. c.* 21. Pennottus *l. 2. c. 38. cum Auct. Chronici. Camerac. apud memorat. Auctores.*

Haud minimis ſcrupulis verùm ſat ponderandis rationibus agitabatur Reverendiſs, & Illuſtriſs. Camillus Beccius Caſalenſis pro diſciplina Regulari ſarta tecta conſervanda. Cùm enim Vercellis ab Eminentiſſimo Cardinale Ruſticutio Papæ vicario epiſtolam accepiſſet, quâ Sanctiſſimi Sixti V. nomine præcipiebatur, ut ipſe Abbas Generalis Romam iter maturaret propter Pontificis decretum, quo è Congregatione Lateranenſi deſtinarentur viſitatorum miſſiones ad Hiſpanos, Gallos, Germanos, Belgas, ac reliquos ubicunque Regulares Canonicos, illique viciſſim Procuratorem deinceps mitterent ad generalia comitia, & Abbas Generalis Lateranenſium cenſeretur caput Ordinis Canonici in univerſum, nequaquam lætatus eſt eo nuntio Præſul rigoroſioris inſtituti tenax ideoque vehementer pertimeſcens aditum patefactum evagationi, & canonicam obſervantiam feliciter reformatam in Italia peſſumdatum iri. Aſt re paulo altiùs in conſilium deductâ, & Pontifice interea è vivis ſublato ſalubri negotio ſimul finis impoſitus eſt. Fungebatur nihil ominus vir zeloſiſſimus ſuo munere diſciplina clauſtrali ſtrenuus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus, eloqui opotens, ſacrarũ literarum ubertate fæcundus, ac propterea apud Principes maxima pollens exiſtimatione, Auguſtino Valerio Epiſcopo Veronenſi, Cæſari Baronio, Divo Carolo Borromæo, ejuſque Conſobrino, & ſucceſſori Friderico Borromæo plurimũ acceptus. Ejus humilitas ob tantos apud Principes, quin etiam ſummum orbis Caput, Gregorium XIV. Sixti V. Succeſſorem, qui in Abbatiali Generalis dignitate eundem confirmavit, favores non modo detrimentum nullum paſſa eſt, ſed magis enituit, quo plùs infra ſe progreſſa, dum humillimus Camillus ſe non niſi *Rectorem* compellari, & ſcribi voluit. Quanta egerit Præſul omni præclaro eloquio celebrandus, nunquam

quam pro merito laudandus, ex arduis, quæ susceperat, negotiis innotescit. Per omnes minores gradus ad majora perrexit, 14. annorum spatio disseminandæ divinæ legi industriam collocavit scholam philosophicam aperuit, ubi Aristotelem è cathedra exposuit, Claustri vicariam potestatem exercuit, novitios ad legum præscriptum formavit, æconomiam direxit, & Monialibus aurem sacri tribunalis accomodavit. Hæc omnia unus Camillus ex naturæ vividæ, & impigri genii dono potuit: nihil interea de jugi oratione, abstinentia, aliarúmque virtutum exercitio remittere visus. Post hæc Abbas Astensis, & Visitator, elapsóque biennio Vercellensis, in Generali Synodo Ravennatensi summum Congregationis Caput eligitur. Eo in Magistratu quanta egerit excedunt brevis elogii limites, nam absoleta Collegia restauravit, antiquata strictiori observantiæ restituit, illapsos abusus à Prælatis, & subditis eliminavit, publica congregationis gymnasia reformavit, probationis domos erexit, Canonico Ordini pristinum splendorem reduxit. Obtam insignia merita Joanne Francisco Cardinale Aquensem Ecclesiam resignante, Clemens VIII. Camillum Episcopum creavit, maximo totius Diœcesis Aquensis emolumento. Tanti autem, à se aliquando moderatam Congregationem fecit, ut ante Religionis egressum se præsens sistere summo Præfecto Theodosio Rovescalæ, & Petro Bonsignorio alteri ex Visitatoribus, & humiliter in eorum manibus cretensem Abbatiam (cui tunc temporis præerat) resignare, cordatásque gratias agere Matri piissimæ æquum duxerit. Episcopatum supra annos 20. gubernavit vitæ integritate, prudentia, æconomia comendatissimus. Clero, Sanctimonialibus, piis domibus, omníque populo normam loquens, agénsque præluxit. Episcoporum conventui sub Friderico Borromæo Cardinali & Archiepiscopo Mediolani interfuit. Quoties seu ad limina Apostolorum, seu quovis alio studio Romam petiit, in Collegiis, & domiciliis Congregationis divertit, & ubique exempla virtutum reliquit. Decessit Illustrissimus Præsul pæne octogenarius circa annum 1621. Scripsit epistolam pastoralem oblongam & exactam ad Visitatores Abbates, & alios Congregationis Prælatos, dum suprema fungebatur præfecturâ, quæ fuit impressa Mutinæ A. 1588. *Ex lyceo lateran. l. 3.*

Ne Patrium desit exemplum virtutis egregiæ, illud in Michaële Wagnereccio Archidiacono Garsensi adducimus. Nobili ille oriundus stemate ex Canonico Baumburgensi ad infulam Garsensem evocatus fuit. Divini Numi-

Numinis cultum præ omnibus sibi corbi habuit; choro, quantùm domestica, aliáque graviora permiserant negotia, erecto animo, & ferventissimo affectu interfuit. Functiones claustrales unácum aliis in destinato loco velut unus de cæteris Canonicis impigrè obivit. Ut horis constitutis meditationes, spirituales lectiones, & religiosa exercitia ordinatè chorum aut præcederent, aut subsequerentur, Canonicos suos ex ædibus, quas in oppido Garsensi, & extra in monte incoluerant, ad communem locum convocavit, quibuscum in refectorio Regulari usus est mensa, quam vel sacra lectione, vel piissimo colloquio condiri voluit ad exemplum S. S. Legislatoris sui. Erga cælites, & Garsensis Ecclesiæ Patronos varias instituit devotiones, quibus se & Collegium ardentissimè comendavit. Corporis ergastulo solutus ad superos abiit eximius zelator Canonici Ordinis 9. Maji Anno 1620. postquam Prælaturæ præfuit & profuit An. 28. *Ex literis mortualibus.*

ARTICULUS III.

De ariditate, & desolatione spirituali.

SUMMARIUM.

106. *Quid sit ariditas, quid desolatio?*

107. *Varia ariditatis analogia.*

108. *Quatuor earum causæ tam imediatæ, quàm mediatæ, positivæ, & negativæ.*

109. *Prima ariditatis causa est natura.*

110. *Quid agendum tempore ariditatis ex defectu valetudinis, vel somni ortæ.*

111. *Secunda causa Dæmon, internè, vel externè orantem distrahens.*

112. *Documenta tria in hoc statu se gerendi.*

113. *Tertia causa Deus ob varias rationes ariditatem immittit. Octo præcipuæ numerantur.*

114. *Quarta causa est homo 1. propter negligentiam extirpandi vitia.*

115. *Secundò propter passiones nondum sopitas.*

116. *Tertiò propter amorem & affectum ad res terrenas, profana studia, & effusionem linguæ.*

117. Quartò ex defectu prævia præparationis.

118. Quintò propter evagationes animi immediatè ante orationem. Quid pro istis arcendis juvet, ibidem docetur.

119. Sextò propter negligentem sensuum custodiam in actuali oratione.

120. Remedia contra ariditates, & notanda doctrina Richardi.

121. Ariditatis tempore variæ virtutes exercendæ ex insigni documento Rusbrochii.

122. Solatia subministrantur aridis, ac desolatis.

123. Oratio arida etiam est meritoria, impetratoria, & satisfactoria.

124. 125. 126. Documenutm intercalare proillis, qui pastorali cura, & officiis domesticis occupantur.

127. Exceptio regulæ contra ambitionem, & præsumptionem.

128. Responsio ad dubium. Cælum æneum.

106 OCcasione explicationis de vario statu meditantium p. 1. c. 5. a. 6. à f. 338. traditæ, quædam prælibavimus de ariditate, nunc de ea ex instituto tractandum est, cùm inter impedimenta spiritualis profectûs recenseatur. Sæpe enim etiam perfectos haud parùm perturbat, ut in suis spiritualibus exercitiis lanquescant, atque adeò ulteriorem profectum non hauriant. Variè autem *ariditas mentis* à SS. Patribus accipitur. Abbas Daniel apud *Cass. coll.* 4. c 4. *sterilitatem mentis* appellat. S. Hieronymus *evagationem mentis*, & S. Bernardus *l. de cons.* c. 4. *multiplicem cogitationum varietatem* indigitant. S. Climacus *gra.* 13. vocat *lassitudinem, insensibilitatem animæ, & irreminiscentiam quandam cælestium.* Alii porrò *fastidium*, & *desolationem ex tædio spiritualium rerum ortam* denominant. Nos ariditatem definimus *sterilitatem sive defectum piorum affectuum*, quæ, si in parte superiori tantùm moretur, *ariditas*, si verò ad partem inferiorem, & sensitivum appetitum transeat, *desolatio, & spiritualis derelictio* vocitatur.

Multiplex est analogia ariditatis 107
unde etiam diversas appellationes mancifcitur. Modò enim à caussis, vel effectibus, modò à subjecto vel etiam in se considerari, & diversos respectus acquirere potest. Sic 1. *ariditatis* nomine veniunt *distractiones, & evagationes*, quibus dum animus ab oratione vel pia contemplatione ad alia invitus abstrachitur, oritur quædam spi-

spiritualis derelictio. De hac conqueritur S. Hieronymus *Dial. cont. Lucif. nunc*, inquiens, *creberrimè in oratione meâ, aut per porticus de ambulo. aut de fœnore computo. &c.*

2. *Carentia gustûs*, & consolationis in rebus divinis *ariditas* censetur, quia homo, velut aridum lignum succo, ita piis affectibus caret, licèt tunc distractiones mentis non patiatur. Nam subtractio spiritualium deliciarum, & carentia gustûs circa divina ex aliis causis provenire potest, quàm à distractionibus.

3. *Inordinati motus* pravorum affectuum, quibus in transversum agitur animus, *ariditatis* nomine veniunt; quamvis hi motus *tentationes* ab irrefrænibus passionibus excitatæ dici potiùs valeant, ex quibus tanquam causis positivis ariditas sive sterilitas piorum affectuum oriri solet.

4. *Tædium* in oratione, undeunde proveniat, *ariditas* dicitur. Hinc propter statum aridæ mentis tales orationem abrumpere volunt, & exercitia spiritualia eapropter deserunt. Sed hæc ariditas propriè *acedia* dici debet, ut constat ex p. I. c. 2.

5. *Somnolentia* adeò infestans orantem, ut insensibilis, & obliviosus fiat cœlestium *desolatio spiritualis* nuncupatur. Atque hæc omnia lato nomine *ariditatis* comprehenduntur, cujus effectus iidem sunt, qui solent esse *acediæ*, prout observavit magnus spiritualis vitæ Magister S. Joannes Climacus *gra. 13.* ariditatis & acediæ affinitatem ita egregiè describens: *si acediam diligentiùs consideret, invenies eam oppugnare lassitudine stantes pedibus: sedentibus persuadere, ut super parietem se inclinent. Interrogata acedia dicet: qui mihi cedunt, cum his unà dego. In his autem, qui verè obedientes sunt, non habeo, ubi caput reclinem. Nomen mihi dederunt, insensibilitas animæ, irreminiscentia quædam, atque oblivio cœlestium, non nunquam etiam immensa* (hoc est nimia, & indiscreta) *laborum multitudo. Stirpes verò meæ mutationes locorum sunt, inobedientia spiritualis Patris, futuri judicii oblivio, nonnunquam verò etiam professionis derelictio.*

Harum desolationum, & ariditatum *causæ immediatæ* sunt quatuor, scilicet *natura*, *dæmon*, *homo*, & *Deus*. Ex his tres priores sunt *positivæ*: Deus verò *negativa* causa dicitur privando nos consolatione sua, & extraordinariis auxiliis. Causæ *mediatæ* possunt dici ea omnia, ob quæ Deus movetur ad permissionem tentationum, & desolationum, quibus homo affligatur, vel à dæmone variis illusionibus impugnetur. Nunc de his causis singillatim quædam notanda veniunt. Igitur 108

Prima causa, & quidem *positiva* ariditatis est *natura* variis inclinationibus, motibus, & influentibus humoribus abnoxia. Unde sex 109

modis naturaliter causatur ariditas. 1. Ex morbo, præsertim indispositione capitis. 2. Hebetudine intellectûs, & obtuso ingenio. 3. Fatigatione capitis circa speculativa studia. 4. Defectu somni sufficientis. 5. Conditione loci. 6. Negligentia naturali culpabili.

Primis quinque modis exortæ ariditatis status est involuntarius, consequenter inculpabilis, in quo constitutus affectuum locò pia tantùm desideria concipiat in meditatione, & orationes jaculatorias vel saltem mente proferat, etiamsi nullum gustum sentiat, ut hoc possibili modô glorificet Deum.

Quatuor proin notanda sunt ei, qui ariditates in oratione mentali, sive meditatione sine propria culpa patitur. Imprimis meditationem in quatuor partes dividat, atque in 1. quosdam actus adorationis, vel fidei ac spei eliciat. e. g. *Benedicta sit SS. Trinitas*, vel *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui sancto &c.* Ita S. Franciscus in ariditate constitutus noctem totam exegit unicè proferendo *Deus meus, & omnia!* similem modum â Nomine JESU sæpissimè repetito efficacem aridis ostendit Christus, quando S. Birgittæ *l. 6. Revel. c. 116.* ita respondit: *quicunque ex perfecta fide, & voluntate tria ista verba legit:* JEsu miserere mei. *Plus mihi placet, quàm ille, qui millia versuum legerit sine attentione.* In *2. parte* actus contritionis eliciat dicendo cum Publicano: *Deus propitius esto mihi peccatori.* In 3. Deo gratias agat pro beneficiis acceptis tam communibus generi humano, Christi Domini humanitati, ejusque Virgineæ Matri, ac aliis Sanctis â Deo benignè concessis, quàm pro propriis, ac personalibus. In 4. auxilium divinum invocet identidem repetendo *Deus in adjutorium meum intende.* Quæ verba efficaciam suam â communi Ecclesiæ praxi obtinent, dum canonicas preces isthac invocatione indubitanter Spiritu sancto inspirante edocta â suis inchoari præcipit. Cæterùm meliora sunt verba ex sacris litteris deprompta, quàm proprio inventa ingenio, prout monuit S. Basilius *Constitut. Monast. c 2. de Sacrosanctis litteris carpe, quod dicas.* Id verò animadvertendum est, ut verba ejusmodi magno Spiritûs ardore proferantur, & intra mentem ad excitandum spiritum repetantur: cavendum tamen â coacto fervore, & nimio devotionis animandæ studio, ne eo ipso indispositio capitis causetur, quæ inter causas naturalas ariditatis prima est.

Si ex defectu somni ariditatem 110
quis advertat, consultius erit somno non nihil indulgere, & postea ad orationem majori Spiritûs fervore accedere, uti sanctos fecisse legimus, & de S. Ignatio testatur P. Lanc, op. 7. c. 2. n. 8. Circa hæc tamen notandum est non quamvis,

vis, & ex propria naturæ mollitie confictam ægritudinem corporis excusare, ne majorem adhibeamus conatum, & malè illum agere, qui præcedentem noctem pervigil transigere vellet contra voluntatem superiorum, & altero die meditationem ritè peragere non posset; is enim extra culpam non foret. In infirmitate corporis divinæ voluntati se subiiciendo, dolores patienti animo ferendo, séque humiliando majorem fructum feret, quàm altas contemplationes instituendo, quisquis propter ægritudines ariditatem sustinet. Hæc de prima causa.

III Altera ariditatum causa est Dæmon, qui duplici modo infestat homines, interius & exterius. *Interiùs* permittente Deo phantasiam commovet, & per varia objecta distractiones causat, prout variis exemplis vitæ SS. PP. sunt plenæ. Placet unum de S. Macario Alexandrino referre, de quo legitur l. 2. c. 29. vitæ PP. quod „quodam tempore noctis dæmon „ad ostium cellulæ ejus pulsaverit „dicens: *Surge Abba Macari, & eamus „ad collectam, ubi fratres ad vigilias „congregantur.* Cui dicenti: *O men„dax & veritatis inimice, quid tibi so„cietatis cum congregatione Sanctorum?* „ait dæmon. *Latet ergo te, O Macari, „quòd sine nobis nulla collecta agitur, nul„láque congregatio Monachorum? veni „denique, & videbis opera nostra.* Tunc „oratione præmissa abiit ad colle„ctam, ubi à fratribus vigiliæ cele„brabantur, & vidit per totam Ec„clesiam quasi parvulos quosdam „puerulos æthiopes tetros discur„rere huc atque illuc, & velut vo„litando deferri. Discurrentes er„gò illi æthiopes singulis quibus„que sedentibus alludebant, & si „cui duobus digitulis oculos com„pressissent, statim dormitabat: si „cui verò in os immersissent digi„tum, oscitare eum faciebant. Ubi „verò post psalmum adorandum „se projecissent fratres, percurre„bant nihilominus singulos, & ante „alium jacentem in oratione quasi „mulierum specie ferebantur, ante „alium quasi ædificantes, atque „portantes aliquid, ac diversa quæ„que agentes apparebant. Et quæ„cunque dæmones quasi ludendo „formâssent, hæc orantes illi in „cordis sui cogitatione versabant: „à nonnullis tamen, ubi aliquid ho„rum agere cæpissent, quasi vi qua„dam repulsi præcipites deiicie„bantur, ita, ut nec stare quidem „prorsus, aut transire juxta eos au„derent. Aliis verò etiam infirmis „fratribus supra cervices, & dorsa „ludebant, quia non erant in ora„tione sua intenti. Hæc cùm vidis„set S. Macarius, ingemuit gravi„ter, & lachrymas profundens ora„vit: post orarionem verò exami„nandæ veritatis gratiâ seorsum „evocatis singulis, ante quorum „faciem

„faciem viderat dæmones diverso „habitu, & variis imaginibus ludentes, requirit ab iis, quas cogitationes habuerint, & singuli eorum ita confitebantur, in corde „suo fuisse, ut ille arguebat. Et „tunc intellectum est, pravas cogitationes in oratione ex illusione dæmonum fieri.

Exteriùs ariditates causari solent mediantibus pravis habitibus, præcedente mala sensuum custodia, & immissis rebus sæcularibus, dum otiosa colloquia instituuntur, & curiosè visa, vel cum nostra culpa olim gesta, & malè facta menti nostræ se se ingerunt orationis tempore, tunc occasione hac utuntur mali spiritus, pravísque suggestionibus infestant, nósque orantes perturbant, atque hoc modô ariditatum sunt causæ, sicut supra de tentatione annotavimus.

112 Cùm difficillimè discerni queat sine peculiari Dei lumine, an pravæ cogitationes ariditatum causæ, ipsæque ariditates exteriùs vel interiùs infestantes â dæmone, vel â natura nostra proveniant, id curandum non est, sed solùm ad sequentia documenta animum convertat, quisquis â diabolo ariditatibus vexatur. In primis humiliet se coram Deo. 2. Doleat de data illi occasione. 3. Non terreatur, si cogitationes blasphemiæ contra Deum, & Sanctos, & quasvis gravissimas objectiones patiatur, nec disputet cum diabolo, sed auxilium â Deo postulet, & jactet curam suam in Domino, ipsius enim est maligni spiritûs instrumenta, dum per Dei gratiam resistimus, vertere in trophæa, & nos â peccatis, ad quæ incitat, emundare, prout S. P. N. *l. 2. contra Jul. c. 8.* testatur: *tanta, & tam admirabilis in nos misericordia Dei bonitas est, ut per quem in Ada offensa, generositatem primæ, & beatæ illius creationis amisimus, per eum rursum id, quod amisimus, obtinere mereamur. Tunc enim diabolus invidens nocuit. nunc autem, cùm nocere nititur, vincitur. Movet enim per infirmitatem carnis nostræ omnia potestatis suæ tela, cùm ad lasciviam accendit, cùm ad ebrietatem illicit, cùm ad odia stimulat, cùm ad avaritiam provocat, cùm ad cædes instruit, cùm ad maledicta exacerbat. Sed cùm per firmitatem animi horum omnium* (gravium objectorum scelerum, & tentationum) *surrepentia incentiva reprimuntur, emundamur à peccato per hujus victoriæ gloriam.* Ita etiam S. V. Maria B. Birgittam, cùm aliquando graviori tentatione impeteretur, docuit orationem non abrumpere, sed forti animo prosequi. *Diabolus enim est sicut explorator invidus* (sunt verba Virgineæ Matris *l. 6. revel. c. 94.* *quærens accusare bonos, & impedire, ne in orationibus suis divinitus exaudiantur. Propterea, quacunque tentatione tentaris in oratione, nihilominus ora, & conare ad orandum, quia desiderium, & conatus bonus reputabitur pro effectu orationis;*

nis: & , si sordida advenientia menti eiicere non poteris, tunc ille conatus reputabitur tibi pro corona, dummodo tentationibus non consentias, & sint contra voluntatem tuam. Huc quoque pertinet doctrina à S. Laurentio Justiniano ad finem prioris Articuli tradita, quæ machinationes diaboli, & *insidias colubri* infernalis satis clarè detegit. Qualiter verò spirituales desolationes, sive ariditates orationis tempore in animam immittere soleat versipellis inimicus infra pro coronide ultima SS. Præsulis documenta percipiemus.

113 Tertia ariditatis causa est Deus. Ast longè *aliter nos tentat Deus, aliter diabolus: diabolus tentat, ut subruat, Deus tentat, ut coronet*, ita asserente Mediolanensi Doctore *l. de Abraham c. 8.* Nempe divina clementia rationes, & motiva cœlestes suavitates restringendi, & animæ delicias abscondendi alia non tenet, nisi ut subtractiones has ad suam gloriam, nostrámque salutem unicè dirigat. Perspiciamus quædam motiva, ob quæ sensibilem devotionis dulcedinem subtrahit, & ariditatem immittit. Itaque

1. Subducit spiritualem gustum in pœnam alicujus peccati, vel teporis in exercitiis, & spiritualibus officiis obrepentis, ut hoc medio excussâ negligentiâ ad fervorem majorem excitet, cùm enim facilè quis in peccatum licèt veniale labatur, meritò spiritualis dulcedo eidem aufertur. Sic licet SS. Eucharistia maximæ sit efficaciæ, ejúsque effectus sit, teste Angelico Magistro p. 3. Q. 79. a. 8. *non solùm adeptio habitualis gratiæ vel charitatis, sed etiam quadam actualis refectio spiritualis dulcedinis*, impeditur tamen hæc dulcedo spiritualis, *si aliquis accedat ad hoc Sacramentum per peccata venialia mente distractus.* Multò magis proin extra SS. Sacramentum devotiones susceptæ optatam dulcedinem non promerentur à Deo, si vel præterito, vel actuali, & præsenti, utut veniali, peccato conjunctæ sint. Atque hanc spiritualem gustum abnegandi rationem advertit Archi-Præsul Venetiarum *de casto connub. c. 14.* ita disserens: *Quoniam nullus est, qui non saltem in multis venialibus offendat; equidem nemo invenitur, cui sæpè divinus non subtrahatur gustus.* Dein si judicio S. Bernardi *Serm. 67. in cant. illi soli experimentum divinæ suavitatis concessum est, qui præcipua mentis puritate, & corporis sanctitate pollet.* Meritò illo subtrahitur cælestis sapor, qui sufficiente mentis, & corporis puritate præditus non est, & insuper tepore lanquescit evomendus è suavissimo Numinis ore.

2. Ariditates immittit benignissimus Deus ad majus meritorum augmentum, quæ propter resistentiam tentationum, & occasionem nos coram Deo humiliandi

di consequimur. Hinc B. Virgo *l. 3. revel. c.* 32 S. Birgittam specialiter suis in desolationibus docuit patientiam, & humilitatem exercere propter consecutionem cælestium meritorum, inquiens: *turbari non debes si quandoque cor tuum induratur, quia hoc est ad majorem coronam.* Ita quoque V. Thomas Kempensis *l. 3. de imitat.* Immissas ariditates patienter toleratas merita, & coronas nobis cumulare cælestis voce Consolatoris edoctus scriptum reliquit. *Quando tu putas te elongatum à me, sæpè sum propinquior. Quando tu æstimas penè totum perditum, tunc sæpè majus merendi instat lucrum. Non est totum perditum, quando res accidit in contrarium. Noli putare te relictum ex toto, quamvis ad tempus tibi miserim aliquam tribulationem, vel etiam optatam subtraxerim consolationem, sic enim transitur ad regnum cœlorum. Et hoc sine dubio magis expedit tibi, & cæteris servis meis, ut exerceamini adversis, quàm si cuncta ad libitum haberetis.* Dein humilitatis bonum, quod inde enascitur, ostendit loquens Christus ibidem: *ego novi cogitationes absconditas, quia multum expedit pro salute tua, ut interdum sine sapore relinquaris, ne fortè eleveris in bono successu, & tibi ipsi placere velis in eo, quod non es.*

3. Desolationes obveniunt ad probandam constantiam, perseverantiam, & desiderium, *ut quâ in tentatione cordis vel orationum instantia deserentem nos visitationem S Spiritûs requiramus, manifestetur in nobis.* Prout loquitur Abbas Daniel apud Cassianum. *coll. 4. c. 4.*

4. Ut cognoscamus, *quanto labore amissum illud spirituale gaudium, & puritatis lætitia conquiratur solicitiùs inventam custodire, ac tenere intentiùs studeamus, quodammodo enim negligentiùs custodiri solet, quidquid creditur facilè posse reparari.* Ut est apud Cassianum l. c.

5. Ad probationem nostri, an, & quali fervore Deo serviamus tempore desolationum. Qua ratione Deum tentâsse populum Israeliticum *Deut.* 13. legitur, prout mansuetissimus, & in omnibus eventibus tam prosperis, quàm adversis Deo fidelissimus populi ductor Moyses sermone ad filios Israel propter adversa immissa fatiscentes habito præmonuit: *tentat vos Dominus Deus vester, ut palam fiat, utrùm diligatis eum, an non, in toto corde, & in tota anima vestra.*

6. Ut cognoscamus in nostra potestate non esse orationem bonam, ita ut pro libitu nostro divinis perfrui beneficiis, & pro nostra dispositione spiritualibus diffluere solatiis valeamus. Nam Christus apud Thomam Kemp. l. c. expressè fatetur, consolationis statum, & orationis dulcedinem â se solo dependere: *cùm dedero, meum est, cùm retraxero, tuum non tuli: quia meum est omne datum bonum, & omne donum perfectum.*

7. Ad inducendam puritatem cordis,

cordis. Ita cælestis Magister S. Birgittam desolationes, & immissas tentationes forti perferre animo docuit *l. 2. revel. c. 27. & l. 3. c. 19. Cogitationes malæ, quamvis non impinguant & satiant animam, ut oleum bonarum cogitationum tamen proficiunt ad animæ purgationem, sicut sinapis ad purgationem cerebri. Nisi enim quandoque non intervenirent cogitationes malæ, tunc homo esset angelus, & non homo, & putaret homo omnia habere à se ipso. Ideò, ut homo intelligat infirmitatem suam, quam habet à seipso, & fortitudinem, quam habet à me, necesse est, ut permittatur, ex magna misericordia quandoque tentari cogitationibus malis: quibus si homo non consentit, purgatio sunt animæ, & custodia virtutum suarum, & licèt amara sint quasi sinapis ad ferendum, tamen multùm sanant animam, & ducunt eam ad æternam vitam, & sanitatem, quæ non potest haberi sine amaritudinibus.* Pariter S. Laurentius Justinianus ex desolationibus, & ariditatibus animam mirificè purificari advertit, eò quòd inducant perfectam humilitatem, quæ charitatis pedisequa affectus humanos velut aurum in fornace probat. Ita S. Patriarcha *de casto connub. c. 15.* concludit: *sapientia quandoque se subtrahit, ut, quem diligit, humiliando custodiat. Nam maximum, humiliationis genus est vehementer, puréque amantem dilecti sui privare præsentia*, imittendo molestas tentationes, tetricas cogitationes, & derelictiones spinosas in anima relinquendo.

8. Solet etiam Deus spiritualia solatia auferre, & ariditates substituere propter honorem, & gustum sui divini beneplaciti. Nam ut observat aureus Orator *hom. 8. in Matth. Deus Sanctos suos neque tribulationes, neque iucunditates sinit habere continuas, sed tum ex adversis, tum ex prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate contexit.* Id divinitus edocta S. M. Magdalena de Pazzis *p. 3. vita §. 2. die* & S. Bernardus *tract. de scala Claust. col. 3.* testatum nobis reliquerunt. Alias rationes, & motiva cælestes favores nobis concedendi vel justè abnegandi præter ista communia recensere nobis planè non vacat, nec libet, quippe qui scimus *investigabiles esse vias Domini, & inscrutabilia judicia ejus.* Interea cum S. Laurentio Just. *de inter conflict. c. 6.* benè notandum documentum damus, scilicet quod *temperanter spiritualis sit* appetenda, *sumenda dulcedo, ne ex immoderato gustu fastidium generet. Hoc sapiens insinuans Prov. 25. inquit. mel invenisti, comede, quod sufficit, ne cogaris evomere. Non igitur ad satietatem spiritualis est sectanda devotio, ne ex familiaritate nimia contemptum, aut ex assiduitate imprudenti tædium generet.*

4. Causa ariditatum est homo, 114
qui sibi ipsi inimicus lolia, & zizania propriâ sua culpa ac negligentiâ succrescere permittit. Is devotionis cælestis, & gratiarum suavissimarum fontem obstruere

ſibi ſolet, ut meritò relinquatur arida terra animæ. Placeat fontes indagare, unde profluunt mala, ſive in medium adducere cauſas, quæ divinarum conſolationum canalem à nobis planè divertunt.

1. Fons ariditatis ab homine cauſatæ eſt *negligentia remota* in extirpandis vitiis non ſolùm gravibus, ſed etiam minoribus, & venialibus. De mortalibus peccatis hìc non agimus, utpote quæ divinam amicitiam diſſolvunt, gratia habituali privant, adeóque fundamentum ſpiritualis dulcedinis penitus ſubruunt. Magis intelligimus leviora peccata, quæ tamen deliberatè commiſſa aſſerente S. P. N. *hom.* 50. *c.* 3. *ex* 50. *velut ſcabies, quo plura ſunt, necant, & noſtrum decus ita exterminant, ut ab illius ſponſi ſpecioſi forma præ filiis hominum, caſtiſſimis amplexibus ſeparent.* Id eſt, ut S. Cæſarius Arelatenſis *hom.* 8. exſplicat, quòd *adeò horridã faciant animã venialia peccata, ut eam ad amplexus illius cæleſtis ſponſi aut vix, aut cum grandi confuſione venire permittant.* S. Thomas p. 3. q. 87. a. 1. à caſtiſſimis amplexibus cæleſtis ſponſi animã *perfectè* non ſeparari per peccata venialia aſſerit, ſicut per peccatum mortale, ſed *imperfectè*: *quia per peccatum veniale retardatur affectus hominis, ne promptè in Deum feratur.* Ita S. Laurentius Juſt. ejuſmodi negligentias remotas ſive veniales defectus *impedimenta contemplationis*, & *vincula mentis*, & *funes animæ de caſto connub. c.* 16. clarè demonſtrat, ubi ait. *habet ſua mens vincula, quæ elevantem deprimunt. Ligatur quippe anima carnalis prudentiæ (non lethalis) vinculis: ligatur etiam funibus peccatorum. Quot delicta, tot funes. Qui ſunt ab iſtius modi vinculis alieni, liberè ſupra ſe valent contemplationis penna evolare, & ſponſi præſentiam, atque locum habitationis gloriæ verbi diligenter perquirere. Mundet itaque cor, qui verbi cupit contemplari præſentiam.* Hinc pronuntiat Chriſtus Dominus mundiſſimus animarum mundarum amator *beatos mundos corde, quoniam ipſi Deum videbunt*, id eſt puro, & à vanitatibus abſtracto intellectu concipient veritates divinas, & per eas in ardentiſſimos affectus divinæ ſuper omnia amabilitatis elevabuntur, atque ſic per mentis munditiam in *tabernaculum ſapientiæ*, & *exuberantem gaudio myſteriorum domum* introducentur: prout *de animæ puritate* aſſerit l. c. c. 18. S. Laur. Juſt.

Ad negligentiam remotam reducuntur etiam ea opera, quæ vel bonâ intentione non fuerunt peracta, vel malâ corrupta, quia hæc ſimiliter oculos offendunt divinæ Majeſtatis, & pravi humoris interni vel injecti pulveris inſtar minùs lucidum reddunt intuitum. *Ut enim corporeus nobis viſus aut humore interiori, aut exterioris injectione pulveris impeditur, ſic & ſpiritualis intuitus interdum quidem propriæ carnis illecebrâ interdum curioſitate ſæculari, & ambi-*

bitione turbatur. &c. testimonio S. Bern. *de convers. ad Cler. c.* 25. Quin etiam peccata præterita etsi jam emendata sint, quasdam in anima relinquunt reliquias mentis oculum, & devotionem in oratione turbantes. Præsertim si adhuc recordatio perseveret cujusdam offensæ vel à nobis in proximum, vel à proximo in nos derivatæ. Hæc enim utpote charitati contraria, & emendata peccata ariditatem inducere, & devotionem impedire solent, prout advertunt spirituales Magistri apud P. Lanc. c. 8. op. 7. Eam ob rem maximam puritatem ad defæcatam & cælestibus suavitatibus refertam orationem requirit M. Hugo de S. Vict. in *Claus. an.* c. 10. ut non dubitaret edicere, *Deum suæ dulcedinis affectum non exhibere nisi hominibus Joanni Evangelistæ similibus, hoc est, mundis corde.* Eodem sensu melleus Asceta proloquitur *serm.* 67. *in Cant. illi soli experimentum divinæ suavitatis concessum est, qui præcipua mentis puritate, & corporis sanctitate, pollet.* Huc referuntur nævi ex singulari amicitia, & inordinato affectu scaturientes, de quibus infra.

2. Fons ariditatum est so-
115 cordia, & negligentia præparationis debitæ, dum non sedatis animi perturbationibus, nos inquietantibus, ad orationem accedimus. Judicio enim M. Basilii *in Ps.* 33. oportet otium ab „omni tumultu exteriore agere li„berrimum prorsus, & intra cor„dis arcana, perinde ac in intimo „quopiam ineundæ consultationis „recessu, tranquilla quiete perfrui „eum, qui cupiet veluti è vestigiis „persequi contemplationem veri„tatis. Audisne Prophetam con„fitentem peccatum? *turbatus à „furore oculus meus.* Non solùm „autem furor sive *ira*, sed *concu„piscentia*, & *timor*, & *invidia* ocu„lum animæ conturbant. Et in „universum, perturbationes om„nes, & immoderati motus aci„em, perspicacitatémque animi „confundunt, & exturbant. Et „quemadmodum oculis turbidis „visibilia exactè deprehendere „non valemus, sic corde turbato „nemini conceditur incumbere „veritatis cognitioni. Atque id maximè intelligendum est de illis passionibus, quæ rationem magis impugnare solent, inter quas eminet amor inordinatus in appetitu concupiscibili *nihil* enim *sic maculat* teste Kemp. *l.* 2. *c.* 1. *de imitat. & implicat cor hominis sicut impurus amor in creaturis*, & ira in appetitu irascibili. Commotio enim iræ, jurgia cum proximo, disceptatio, vel increpatio, antequam accedas ad orationem, aliudvè opus pium peragas, communiter disturbant mentem, devotionem minuunt, & ariditatem causant.

Dixi *communiter*, nam si ex zelo justitiæ ad correctionem proximi vehementior adhibenda sit incre-

patio, & criminis commissi exaggeratio, præcipuè ubi in proximo ejusmodi objurgatio optatum sortita est effectum emendationis, tranquillato animo major, & ardentior est devotio, quàm etiam Deus præsertim in superioribus singulari quadam gratia, & sensibili quadam dulcedine concomitari solet. Dein leguntur quidam sancti, qui perfectum acquisierunt passionum suarum dominium, post acerbam increpationem in momento ad pristinam rediisse mansuetudinem, & mentis tranquillitatem. Sic S. P. N. postquam in quosdam Clericos suos, qui paupertatis votum deposuerant, & tamen proprietatis vitium adhuc fovebant, magna animi sui commotione invectus fuerat, mox in verba amoris plena prorupit: *Nolo sine vobis salvus esse nolo sine vobis salvus esse.*

116 3. Fons, quo devotio, & gustus rerum divinarum impeditur, est nimia effusio ad res externas, & terrenas, ex nimio, & inordinato affectu ad illas scaturiens: Desideria enim rerum mundanarum extinquunt desiderium spiritualium, & devotionem in oratione perturbant. *Quòd* enim *divinas consolationes non habemus*, scribit Asceta noster *l. 1. de imitat c. 21. aut rariùs sentimus, nos ipsi in culpa sumus, quia compunctionem cordis non quærimus, nec vanas, & externas omnino abjicimus.* Et l. 2. c. 1. *tantum homo impeditur, & distrahitur, quantum sibi res attrahit. Ideo multa displicent, & sæpè conturbant: quia adhuc non es perfectè tibi ipsi mortuus, nec segregatus ab omnibus terrenis. Si renuis consolari exteriùs, poteris speculari cælestia, & frequenter jubilare interiùs.* & l. 3. c. 31. *Oportet igitur omnem supertransire creaturam, & seipsum perfectè deserere, ac in excessu mentis stare, & videre, te omnium conditorem cum creaturis nil simile habere. Et nisi quis ab omnibus creaturis fuerit expeditus, non poterit liberè intendere divinis. Ideo enim pauci inveniuntur contemplativi, quia pauci sciunt se à perituris, & creaturis ad plenum sequestrari.* Atque hinc *plures reperiuntur contemplationem desiderare, sed quæ ad eam requiruntur, non student exercere. Est magnum impedimentum, quia in signis, & sensibilibus rebus statur, & parum de perfecta mortificatione habetur.* Huc quoque spectant curæ temporalium, nimis hominis animum occupantes, solicitudines domesticæ, studia extraordinaria & profana, cogitationes sæculares undeunde accitæ, nam ab Angelico Doctore 2. 2. q. 180. a. 2. sicut contemplationis impedimentum ponuntur *tumultus exteriores, & vehementia passionum, per quam abstrahitur intentio animæ ab intelligibilibus ad sensibilia*, ita quoque impedimentum sunt devotionis in oratione. Tandem effusio linquæ ad garrulitatem, & colloquia familiaria amicorum gustum in oratione auferunt, prout S. M. Magda-

dalena de Pazzis c. 44. vitæ asserebat, quòd *anima religiosa, quæ non delectatur silentio, sit impossibile, ut gustum habeat in rebus divinis.* Id ipsum Asceta Kemp. clarè demonstrat *l. 1. imitat c. 10.* quærens: *quare tam libenter loquimur, & invicem fabulamur, cùm tamen rarò sine læsione conscientiæ ad silentium redimus?* Et respondet sibi: *quia per mutuas locutiones ab invicem consolari quærimus et cor diversis cogitationibus fatigatum optamus relevare.* At sententiam profert: *sed prô dolor sæpe inaniter, & frustra. Nam hæc exterior consolatio interioris & divinæ consolationis non modicum detrimentum est.* Hos tres fontes, ariditatem promanantes complexus est Abbas Isaac apud Cassianum. *coll 9. c. 3.* ubi simul remedia præscripsit contraria, devotam orationem instituere cupienti apprimè notanda. Ita habet: *ut eo fervore, ac puritate, quâ debet, emitti possit oratio, hæc sunt omnimodis observanda. Primùm, solicitudo rerum carnalium generaliter abscindenda est: deinde nullius negotii,, causæve, non solùm cura, sed ne memoria quidem penitùs admittenda: detractiones, vaniloquia, seu multiloquia, scurrilitates quoque similiter amputanda: ira præ omnibus, sive tristitiæ perturbatio funditùs eruenda, concupiscentia carnalis ac phylargyria noxius fomes radicitùs evellendus &c.* Atque exhis tribus fontibus mediatè ariditates profluunt.

117 4. Ariditatis fons, & quidem *immediatus*, est accessus ad orationem impræparato animo, dum ante meditationem puncta non prævidentur, nec distribuuntur, & ponderantur, quæ in sequenti consideratione sunt ponderanda. Monet enim S. Spiritus *Ecclesiast. 18. ante orationem præpara animam tuam, & noli esse quasi homo, qui tentat Deum.* Hinc S. Thomas 2.2. q. 97. a. 3. ad 2. docet, *quod ille, qui ante orationem animam suam non præparat, dimittendo si quid adversùm aliquem habet, vel alias NB. ad devotionem se non disponendo non faciat, quod in se est, ut exaudiatur à Deo, & ideo quasi interpretativè tentet Deum, & quamvis hujusmodi interpretativa tentatio videatur ex præsumptione, seu indiscretione provenire; tamen hoc ipsum ad irreverentiam Dei pertinet, ut homo præsumptuosè, & sine debita diligentia se habeat in his, quæ ad Deum pertinent. Dicitur enim 1. Petr. 5. Humiliamini sub potenti manu Dei. Et 2. ad Timoth. 2. Solicitè cura, te ipsum probabilem exhibere Deo. Unde etiam hujusmodi tentatio irreligiositatis species est.* Enim verò si accedere volentes coram terreno rege, priùs debent se ita disponere, ut nil aut habitu, aut verbo incompositum sit, quod Principis animo displiceat: multó magis id perficere debent cupientes ad stare ante hominum, & Angelorum Regem. Sciendum igitur est, quod duplex ad orationem præparatio sit, scilicet remota & propinqua. *Remota* est orantis vita laudabilis, ut in omni loco, actu,

&

& tempore nos ab operibus temperemus illicitis, & divinis obediamus præceptis. Verbo puritas conſcientiæ ab omni peccato præparatio remota eſt. *Propinqua* conſiſtit in conſideratione, ſui, propriæ vilitatis, & indigentiæ: Dei, ejúſque excellentiæ, & bonitatis, ac tandem in modo noſtræ petitionis & diſtributione prævia petendorum à Deo. Hinc pridie juxta laudabilem ſtatutorum noſtrorum morem fit prælectio meditationis, & materiæ conſiderandæ altero die in puncta diſpoſitio, de puibus p. 1. c. 5. ſatis egimus.

118 5. Fons ariditatis eſt, quando poſt puncta pridie, & manè ſatis in ordinem redacta, & memoriæ impreſſa liberè animus vagatur extraneis cogitationibus, vel aliis impertinentibus occupationibus diſtrahitur. *Nam ad propinquam etiam præparationem pertinet, ut animus ab exteroiribus ad interiora revocetur.* Ut habet S. Laur. Juſt. *in ligno vitæ de orat. De hoc ad monet Dominus dicens: tu autem, cùm oraveris, intra in cubiculum tuum: & clauso oſtio ora patrem tuum. Ante namque orationem purgandus eſt animus: atque à temporalium rerum cogitationibus reſtringendus: ut pura acie verè, & ſimpliciter ad ſpiritualia dirigatur: quia louge adhuc eſt à Deo, qui in oratione cogitationibus ſæculi fuerit occupatus. Propterea electorum mentes, ſi quas in ſe præſentis vitæ cogitationes inveniunt; pœnitentiæ ardore conſumunt, nec cogitationes ſuas extra ſe dilatari permittunt: ſed eò ſe diſtrictiùs in ſeipſos colligunt, quo ferventiùs aſſiſtere ante Deum per orationis ſtudium diſponunt, quia reverà abſque confuſione Deo vacare non poteſt, qui extra ſe mente inaniter extiterit dilatatus.* Ut igitur ariditas arceatur, confabulationes, ſenſuum evagationes, diſtractiones ante meditationem ſedulò præcaveantur: econtra jugis meditatio, & pia ruminatio S. ſcripturarum inſtituantur. Nam ex actuali cogitatione prævia de Deo, paſſione Chriſti, vel de Sanctis oritur aliqua facilitas uniendi cor noſtrum Deo, & eliciendi tam ardentes devotionis affectus, qui non permittunt ariditatibus locum, & moleſtas diſtractiones penitùs expellunt. Qua propter S. Bernardus ante orationem omnes evagationes arcendi causâ, ita ſecum diſcurrebat *Soliloq. c. 1. n. 2. Curæ, ſolicitudines, anxietates, labores pœnæ ſervitutis expectate me hic cum aſino, corpore iſto, donec ego cum puero, ratio cum intelligentia uſque illuc properantes, poſtquam adoraverimus, revertamur ad vos.*

Huc ſpectant frequentes aſpirationes, quæ mentem accendunt, & ariditates procul arcent. *Sicut enim lignum ſemel inflammatum facilius inflammatur, ita & in intellectu* meditantis *ceſſante actuali illuſtratione remanet quadam hibilitas ad hoc, quod faciliùs poſtea iteratò illuſtretur. Sic etiam mens ſemel ad devotionem excitata faciliùs poſtmodum ad devotionem*

nem pristinam revocatur. Propter quod S. Augustinus dicit esse necessarias crebras orationes (aspirationes, & preces uti vocant, jaculatorias) *ne concepta devotio totaliter extinquatur.* Uti advertit S. Thomas 2. 2. q. 171. a 2. ad 2. Porro ad imagines passionem Christi, vel aliam S. Historiam repræsentantes se se convertere, easque piè contemplari ante meditationem ad propinquam præparationem reducitur, juvátque ad mentis distractiones depellendas.

119 Ultimò tandem ariditates profluunt ex immediata mentis evagatione, & negligenti sensuum custodia sub ipsa actuali oratione, quibus non solùm præterita præparatio suffocatur, sed etiam præsens devotio extinquitur, & ita ariditatibus locus conceditur. *Multis* enim, ut conqueritur SS. P. N. *l. 9. Confess. minutissimis, & contemptibilibus rebus curiositas nostra quotidie tentatur, & quàm sæpè labamur, quis enumeret? & tandem, cùm in hujusmodi rebus conceptaculum sit cor nostrum, & portet copiosè vanitatis catervas, hinc & orationes nostræ sæpe interrumpuntur, atque turbantur.* Quare Dominum JEsum præsentem, & spectantem cogitare plurimùm confert ad ejus modi negligentiam repellendam. Dein secundùm monitum S. Bernardi *serm. de trip. instit.* proprii statûs recordatio, & quòd indecens sit his vel illis cogitationibus implicari, ad irruentes importunas animæ evagationes arcendas contribuit. *Ne à memoria*, inquit, *repellat Deum irruens turba plurimarum cogitationum, quæ solent effluere, tanquam vilis plebs in atrium, ponatur ad ejus portam janitor, cujus nomen est, Recordatio propriæ professionis. Et cùm illis se se cogitationibus, senserit animus prægravari, increpet se, & dicat sibi. Tunc hæc debes cogitare, qui Sacerdos es, qui Clericus es, qui Monachus es. &c.*

Remedia contra ariditates, & 120 desolationes in oratione quædam sunt generalia, quædam specialia, quæ p. 1. c. 5. a. 4. & 6. præcipuè n. 289. & 310. præscripsimus. Inter specialia reputanda sunt, quæ ad præfatos fontes exsiccandos immediatè contraria fuêre posita, contraria enim contrariis curantur. His accedat quotidianum examen particulare ad causas remotas ariditatum eliminandas utilissimum; sublatâ etenim causâ, quantum est ex nobis, tollitur effectus, & promovetur divina largitas ad extraordinarias gratias, cælestiáque charismata in oratione nobis conferenda. Interea benè notanda est sententia hac in re facti periti spiritualis vitæ Magistri Richardi N. *in cap. 6. cant.* ne ideo tam studiosè & solicitè quæramus dulcedinem, & orationis gustum, nec propterea credamus nos magis in virtutibus profecisse, magisque Deum amare, cùm ejusmodi sensibiles consolationes non raro

à dæmone, vel à complexionis naturalis teneritudine ortum etiam habere valeant. Magis quippe indifferentes ad statum ariditatis, & consolationis nos esse oportet, & in utroque statu *fortiter* & *prudenter, ardenter,* & *perseveranter* Deus colendus, & amandus, atque devotiones nostræ majori cum fervore in desolatione protrahendæ sunt. „En doctrina Richardi! Dulcis in Deum affectus, quodammodo carnalis est, & fallax, & humanitatis interdum potiùs, quàm gratiæ; cordis, quàm spiritûs, sensualitatis, quàm rationis, ita ut magis accedat aliquando ad minus bonum, & minus ad majus, & aliquid quod sapit ampliùs, quàm quod expedit. Hoc affectu errabant discipuli, & carnaliter Deum diligebant, cujus præsentia carere nolebant. Unde etiam non diligere arguebantur, qui, quod delectaret magis, quàm quod expediret, amplectebantur. Sic affectuosè interdum carnalis aliquis, & imperfectus ad Deum afficitur, non quod valde diligat, sed quia, dulcedinē gratiæ degustat, quod quantum durat tantum juvat; quamdiu durat dulcedo, durat & dilectio. Sed non agnoscetur in bonis amicus. In die namque ista Dominus quidem misericordiam suam mandat, sed in nocte tentationum, & laborum declarat, quantum quisque diligat. Hæc iste.

121 Quare super omnia *humilitas, patientia*, *resignatio* in divinam voluntatem, *indifferentia* quædam, *hilaritas*, & prompta *obedientia*, ea omnia sive ex injuncto, sive ex pia consuetudine exactè perficiendi, quæ pertinent ad Dei gloriam, & quæ gustum, & divinum beneplacitum satiare possunt. Cujus doctrinæ documenta spiritualia abundè reliquit nobis ardentissimus Asceticæ scholæ Magister, & ævo suo celebratissimus Doctor Mysticus Joannes Rusbrochius, cujus vitam p. 1. c. 3. fol. 101. dedimus. Verba ejus l. 2. *spirit. nupt.* c. 30. hic admetior. „Quisquis hanc patitur desolationem & penuriam *gustûs in oratione*, libenter bonos inquirat homines, eísque suam aperiat & queratur miseriam, eorum & bonorum omnium, & totius Ecclesiæ preces imploret. Attendat interim humili corde, nihil se præter vitia, & defectus habere ex se ipso sciat; cum patientia & resignatione sui dicat illa verba S. Job: *Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit, ita factum est: sit nomen Domini benedictum.* Deserat, & resignet se ipsum in omnibus, dicátque ex animi sententia: Domine æquè paratus sum, eorum omnium, quibus despoliatum me sentio, inopiam, & paupertatem perpeti, quatenùs tibi placet, & ad tuum honorem, & animæ meæ cedit salutem & utilitatem, quàm illis

„illis abundare. Non mea, Do„mine, voluntas naturalis, sed tua, „& mea rationalis vel spiritualis „fiat. Omnino enim sum totus „tuus, & si potest ad tuam esse lau„dem, tam libenter mergi velim „in infernum, quàm recipi in cæ„lum. Fac mecum, Domine, se„cundùm excellentissimæ maje„statis tuæ voluntatem. Hoc pa„cto ex omni sua afflictione, perpessione, & desolatione, interdum „sibi eliciat & efficiat gaudium, to„tum se manibus Dei offerens, se „pro illius honore quidpiam pati „posse lætetur. Reverà si se in hac „parte gesserit rectè, & ex animo „ita facere valebit, nunquam pote„rit tam ingens gaudium inter„num experiri. Nihil enim De„um amanti jucundiùs est, quàm „ut sentiat se dilecti sui proprium „esse. Sin verò per virtutum iter „ad hunc usque gradum ascendit, „etiamsi modos omnes prædic„tos non sit expertus, nihil refert: „nec enim id necesse est, modò „ipso virtutum fundo præditum „se esse sentiat, quod est in agendo „NB. *humilis obedientia*, & in tole„rando *patiens resignatio*. In quibus „duobus modus iste, vel gradus „perpetua securitate consistit.

122 Cæterùm solatio debent esse ea, quæ ab Ascetis observantur, & ariditates, omnísque generis desolationes patientibus subministrantur. Nos illa hic omittenda esse non judicamus. Consideret ergò aliquantùm derelictus, quòd, si ariditates propria ex culpa non oriantur, illæ certè ad divinam gloriam, & Dei beneplacitum sint immissæ.

2. Melior est cæteris paribus *arida oratio*, quàm sensibilis devotio, quia major exercetur humilitas. *Majus autem Dei beneficium est, diem in humili nostri ipsorum cognitione transigere, quàm multos in oratione*, scilicet sensibili. Uti *lib. fundat c.* 5. observat S. Theresia.

3. Major exercetur patientia in statu ariditatis, quàm in affectuosa oratione.

4. Major insuper ostenditur erga Deum amor, & perseverantia in *oratione arida*, quia talis pugnat cum dæmone & natura, atque ita duas simul coronas refert.

5. Major etiam in *arido statu* habetur conformitas nostræ cum voluntate Dei, sicut patet ab exemplo Christi, qui in horto derelictionem Patris cælestis æquanimiter ferens heroicam planè testatus est conformitatem suæ voluntatis: *non mea sed tua fiat voluntas*.

6. *Heroica fortitudo* tempore distractionum & tentationum in oratione arida elucet, cùm quis non obstante amaritudine mentis in incepta oratione, pergit. Nam testimonium ferente Asceta nostro *de imit. l. 3. c. 7. non est in eo tantùm spiritualis vita profectus, cùm consolationis habueris gratiam, sed cùm humiliter, & abnegatè, patientérque tu-*

leris ejus subtractionem: ita quòd tunc ab orationis studio non torpeas, nec reliqua opera tua ex usu facienda, omnino dilabi permittas. Sed sicut meliùs potueris, & intellexeris, libenter, quod in te est, facias, nec propter ariditatem seu anxietatem mentis, quam sentis, te totaliter negligas. Hinc ex defectu heroicæ fortitudinis, quam in oratione arida potuissent exercere, *multi sunt, qui, cùm non benè eis successerit oratio, statim impatientes fiunt, aut desides.* Cùm tamen scire deberent, quòd

123 7. Oratio arida non tantùm sit meritoria, quin etiam subinde propter conjunctam difficultatem magìs impetratoria, & satisfactoria pro peccatis, uti docent Theologorum Sol S. Thomas, & eximia Lumina Navarrus Canonici Ordinis nostri, & Suarez Societatis inclytæ. S. Th. 2.2. *Q. 83. art. 13. in corp.* Ita attentionem in oratione necessariam explicat: *Est autem triplex effectus orationis. Primus quidem communis omnibus actibus charitate informatis, quod est* mereri. *Et ad hunc effectum non ex necessitate requiritur, quod attentio adsit orationi per totum, sed vis primæ intentionis, qua aliquis ad orandum accedit, reddit totam orationem meritoriam, sicut in aliis meritoriis actibus accidit. Secundus autem effectus orationis est ei proprius, quod est* impetrare. *Et ad hunc etiam effectum sufficit prima intentio, quam Deus principaliter attendit. Si autem prima intentio desit, oratio nec est meritoria, nec impetrativa. Illam enim orationem Deus non audit, cui ille, qui orat, non intendit. Tertius autem effectus Orationis est, quem præsentialiter efficit, scilicet quædam* spiritualis refectio mentis. *Et ad hoc de necessitate requiritur in oratione attentio.* Atque in hunc locum Doctoris Angelici scribunt Navarrus *tract. de orat.* c. 13. n. 3. & 18. Suarez *tom. 2. de Relig. l. 3. c. 5. n. 8. & cap. 58. de orat.* tres effectus etiam in oratione arida consequi, qui sunt immediati, scilicet, *mereri, impetrare, & satisfacere.* Et quamvis Doctor Angelicus, uti benè observat Valentia *tom. 3, disput. 6. de Relig. Q. 2. punct. 4.* effectum & *virtutem satisfaciendi* non posuerit, non tamen propterea negare voluit. Nam tres esse solent conditiones ejusmodi, ob quarum quamlibet, si in bono actu reperiatur, Deus aliquid promisit. Prima est, si *ex gratia* viatoris procedat. Altera, si actus ex tali gratia procedens sit *pœnalis.* Tertia, si naturâ sua talis actus sit *petitio.* Hæ autem tres conditiones omnes possunt in oratione (*etiam arida, & distractionibus involutâ*) reperiri. Nam propter actum *ex gratia* procedentem promittit Deus se vitam æternam daturum, tanquam propter *meritum.* Potest autem oratio *arida* à charitate & gratia procedere, non minùs, quàm reliquarum virtutum actus. Item propter *pœnalitatem* boni actus ex gratia procedentis promittit Deus se

se secundùm debitam proportionem justitiæ, pœnam in purgatorio debitam remissurum. Est autem oratio etiam actus *pœnalis* (*& maximè pœnalis, si præter nostram culpam vel ex sola imbecillitate distractiones oriantur, vel à Deo ariditates immittantur*) ut in materia de Satisfactione disputatur, & patet ex illo *Ecclesiast. 12. Frequens meditatio, carnis est afflictio.* Denique, si actus naturâ suâ sit *petitio*, & eo modo talis petitio instituatur, quo postea dicemus; promittit Deus se *ex misericordia* talem petitionem exauditurum: id quod est, actum habere virtutem *impetrandi.* Constat autem, Orationem ut à reliquis omnibus actibus distinguitur, suapte naturâ esse *petitionem.* Hæc Valentia.

DOCUMENTUM INTERCALARE.

124 Cùm Novitii nostri deposita professione non solùm ad communes Clericorum gradus, sed etiam ad animarum curam, quin etiam suo tempore ad alia officia sacræ Religionis sint promovendi, placet intercalare documentum illis hoc loco relinquere, ut, si nimiis laboribus se implicitos, minùs devotos, minùsque spiritualibus solatiis perfusos adverterint, atque magis distractivis ariditatibus obnoxios se esse viderint, sciant erigere mentem, & solatium ex sequenti doctrina haurire valeant, proin non minùs strenuè suo fungi officio pergant, ac si cælestibus affluerent suavitatibus. Proin.

Sciendum primò. Non sunt fugiendi labores ex obedientia, & ad salutem proximi suscepti, neque occupationes valde distractivæ pro incremento S. Ordinis, vel pro bono alicujus particularis collegii sunt declinandæ. Quamvis enim ejusmodi labores, & occupationes in officio sibi ex obedientia, & voluntate Superiorum injuncto sæcularia desideria (si sint circa temporalia, & domestica) anxias solicitudines, & varias curas excitare soleant, atque animum à spiritualium rerum meditatione longè abducant, si tamen propter Deum suscipiantur, spiritualem profectum non minuunt. Deus enim istorum aliis officiis occupatos animos occultis quibusdam unctionibus sacris perfundere, & cælesti sapore, reficere assolet, sicut in quadam visione ostendit, & revelavit Christus S. Gertrudi, quam refert P. Lanc. op. 7. c. 9. Sancta etenim Virgo in quadam capella orans cùm aliquando videret Christum Dominum tempore Sacrificii Missæ *aliquos radios miri splendoris ad quasdam personas de Congregatione illa protendere, iisque miro*

modo delectaretur, pro aliis etiam solicita de Congregatione dixisset ad Dominum: cùm me Domine largiflua pietas tua, nunc jam incredibilis suavitatis gratia donaverit, quid etiam das his, qui fortè nunc exterioribus insudantes, donis istis minùs perfruuntur. *Ad quod Dominus: ego eos balsamo perungo quamvis quasi dormitantes. Cujus virtutem cùm illa examinaret, & multùm miraretur, quomodo tam æqualem fructum habere possent, se in spiritualibùs exercitantes, & non exercitantes: quia balsamum, quod imputribilia reddit corpora peruncta, parùm differt, utrùm eo dormientes, sive vigilantes perungantur, etiam hanc intelligibiliorem similitudinem accepit in exemplum: scilicet, cùm homo comedit, à quo omne corpus in singulis membris consortatur, solum tamen os in sapore cibi delectatur: sic cùm electis specialis gratia donatur, ex incontinenti pietate omnibus membris, & specialiter ad eandem Congregationem pertinentibus, etiam meritum* (ob labores eorum unitos devotionibus sociorum) *augmentatur: exceptis illis, qui seipsos vel per invidiam*) eò quòd se videant non esse Clericos vel ad chorum destinatos) *vel malam defraudant voluntatem.* Alia similitudine declaravit eidem hoc mysterium, ubi Christus soli contemplationi deditas animas *puellis*, alios verò ex Dei amore occupatos in exterioribus, *Principibus*, *Ducibus* & *militibus* Regum comparavit *l. 3. c. 69. in fin. diu. piet: sicut*, inquiens, *Imperator aliquis præpotens non solùm delectatur in palatio suo habere puellas delicatas & ornatas, sed etiam ordinat Principes, Duces & milites, aliósque diversis operibus aptos ministros, quos singulos in palatio suo semper habeat ad diversa negotia paratos; ita & ego non solum delector in interioribus deliciis contemplativorum, sed etiam diversis exercitiis utilium negotiorum, quæ fiunt causâ mei honoris & amoris, allicior ad commanendum, & deliciosè convivandum cum filiis hominum, quia talibus magìs exercentur in charitate, patientia & humilitate, cæterísque virtutibus. Hinc vidit illum, cui major cura incumbebat coram Domino residentem, quasi sinistro latere innitentem, qui sapiùs incomodè erigens se Domino cum manu sinistra, cui incumbebat, aureum nummum gemmâ pretiosa insignitum offerebat. Et ait Dominus ad eam: ecce, si ego huic gravamen, pro quo oras, alleviarem, tunc ego tam nobili gemmâ, quæ mihi placet, in nummis istis, carerem, & ipse ea in remuneratione fraudaretur, quia tunc dextra manu tantummodo offerret mihi nummum sine gemma. Ille enim offert quasi simplicem nummum, qui sine adversitate, & tamē de voluntate divina in omnibus operibus suis Deo intendit: sed ille, qui in singulis operibus suis premitur adversitate, & tamen de divina voluntate non discordat, ille offert Deo aureum nummum cum probatissima gemma.* Plus enim belli Imperator æstimat militem, qui ab hostibus continuò impetitur, & tamen generosè pugnat; magis quoque diligit illum

lum, qui absque stipendio, & sine ostenso præmio, vel dilectionis & honoris exhibitione suo duci fidelis in acie stat, nec ob annonæ inopia ab adversariis se abstrahi patitur. Sed quis est belli Imperator summus, nisi Deus? quis strennus miles, nisi homo? qui adversarii, nisi diabolus, propriæ passiones, & immissæ ariditates, quæ velut hostis infernalis sunt percussiones? quæ annonæ inopia, nisi devotionis, & spiritualium consolationum subtractio? ut adeò, qui in oratione nihilominus perseverat, sit miles absque stipendio, vel præmio, vel dilectionis & honoris exhibitione, quia magna reputatur retributio spiritualibus charismatibus referta oratio, & juxta S. Thomam p. 3. Q. 79. a. 8. *actualis refectio spiritualis dulcedinis* fructus est specialis devotè susceptæ Eucharistiæ. Quia ergò officiales & animarum pastores multis curis & laboribus sunt occupati, ut dulcedini orationis minùs inhærere valeant, non eapropter illorum occupationes Dei, & proximi amore susceptæ, & orationes domesticis occupationibus implicitæ sine præmio, sine fructu, & sine spirituali interiori unctione erunt apud Deum, cujus haud exiguum indicium est, quòd inter varias cum diversis personis agendi occasiones à gravibus præserventur peccatis.

Sciendum 2. Qui vel pastorali cura, vel Officiis distractivis occupatur, & propterea ariditates patitur in oratione sua, si nihilominus eliciat actus fidei, spei, patientiæ, humilitatis, resignationis, & conformitatis cum divina voluntate, hoc ipso devotam habet orationem licèt gustum nullum sentiat. Ratio est, quia talis oratio (& si distractionibus plena) est actus verus Religionis & devotionis, quæ per illos exercitos actus orantis animum Deo quodammodo devovet, ut ei se totaliter subdat. *Devotio* enim juxta S. Th. 2. 2. Q. 82. *Nihil aliud esse videtur, quàm voluntas quædam promptè tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. Unde Exodi 35. dicitur, quòd multitudo filiorum Israel obtulit mente promptissima, atque devota primitias Domino.* Atqui in oratione arida actus humilitatis, fidei, resignationis &c. prædictos elicit, habet voluntatem promptam tradendi se ad ea, quæ pertinent ad Dei famulatum. Ergò, qui in oratione arida elicit actus &c. prædictos, habet orationem devotam, & consequenter etiam meritoriam, ut constat ex n. 123. supra.

Dices. Oratio cogitationibus, & curis domesticis involuta, v.g. celebratio SS. Sacrificii Missæ, ad quam propter multitudinem confitentium, vel ægrotantium, & Sacramentorum administratione, & spirituali solatio indigentium nulla prævia, vel tantùm brevis fieri

fieri potest præparatio. Item recitatio horarum Canonicarum domesticorum importunitate interrupta, & propterea distractiones generans &c, persæpè peccatis venialibus est commixta propter levem impatientiam, vel incuriam, aut humanam imbecillitatem, ut propterea Deus spiritualem consolationem abneget: ergò ejusmodi oratio non potest censeri devota, & meritoria.

R. Orationem, licèt, ex humana imbecillitate eidem conjunctâ, sensibili careat suavitate, Deo tamen esse charam, & propter elicitos actus memoratos à noxis venialibus facilè depurari: imo defectus etiam in tali oratione irrepentes propter magnitudinem operis, ex amore Dei & proximi suscepti, quodammodo absorberi, & non reputari. Hanc veritatem divinus Magister edocuit Antoniam Romanam conspicuam Matronam à S. Philippo Nerio valde æstimatam, ut habet P. Lanc. op. 7. c. 5. n. 28. Huic Christus aliquando apparens, & ministrorum suorum labores pro animarum salute impensos approbans testatus est, *se operariis suis conversioni animarum deditis non præbere tot in oratione gustus, & consolationes, uti dat quibusdam fœminis; & licèt illos tanquam canes venaticos (qui capiendo ursos & apros, id est, peccatores convertendo, veniunt quandoque pedibus luto infectis*, scilicet venialibus defectibus maculati) *non admittat ad oscula, sicut admittit parvulos catellos, pulchros, otiosos, tamen pluris facit illos Dominus, quàm istas mulierculas, quibus se magìs in oratione extraordinaria communicat per spirituales gustus, & veluti quosdam amplexus.* Unde apparet, quòd animarum pastores activæ vitæ dediti, & peccatis venialibus impliciti à cælesti quidem suavitate in suis rationibus percipienda arceantur, magis tamen æstimentur à Deo propter labores pro animarum lucro exantlatos. Rationem hujus universalem assignare videtur Angelicus Doctor 2. 2. Q. 188. a. 6. ex L. 3. Decret. tit. 31. c. *licet.* Ubi dicitur: *Sicut majus bonum minori bono præponitur, ita communis utilitas speciali utilitati præfertur &c.* Pariter addit S. Doctor, quòd vita activa, prout ordinatur ad salutem animarum, præponenda sit contemplativæ simplici, & privatæ, quæ cæteroquin est melior, sed illa quoad fructum uberior, Deóque gratior. Sic etiam S. Venetiarum Patriarcha c. 8. *de orat. in Ligno Vitæ* ex multis quidem rationibus contemplativam vitam activæ præponit, quia *meliùs intendit Deo, clariùs & plùs videt, sed pauciores filios Deo generat, quàm activa* quæ non tantùm sibi, sed & proximo intendit: *qui verò ad prædicationis labores se dirigit, minùs videt, sed ampliùs parit.* Et sic *qui fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno cælorum. Matth. 5.* Cùm igitur orationes

tiones illorum, qui activa vita fruuntur, & utilitatem communem privato commodo præferunt, multiplicem animarum fructum secum habeant, etsi propter curas, & communia negotia intervenientia sensibilem devotionem (quæ est specialis fructus contemplativæ) non percipiant, devotæ tamen, Deo gratæ, & meritoriæ sunt censendæ. Eadem doctrina intelligenda est pro illis, qui ex obedientia ad studia Philosophica, Theologica, & Juridico-Canonica incumbunt, dum intellectus eorum tam facilè non potest abstrahi ab objectis recenti studio haustis, ac propterea vel sub Sacrificio Missæ, vel sub horis Canonicis, & privatis precibus ipsis distractiones oriuntur, qui proin aridam orationem neutiquam sine fructu fore credant, dummodo ferventem intentionem præmittant, ingestis cogitationibus voluntariè non inhæreant, & memoratos actus, fidei, humilitatis, resignationis &c. eliciant.

126 Sciendum 3. Qui ex obedientia ad officia distractiva exponuntur, vel ad animarum curam, & prædicationis officium applicantur, similiter, qui ardua pro bono Religionis, & publicâ necessitate communitatis negotia suscipiunt, illis communiter Deus orationis gustum non solet subtrahere, præsertim si adhibuerint sedulam industriam à n. 114. assignatos fontes ariditatis obstruendi. Exempla hujus tam antiqua, quàm recentia habemus, ut alia probatione non indigeat assertio. Cæterùm, utì tenent Ascetæ, illis spiritualem saporem concedit Deus, qui innocentiâ vitæ, & puritate Virginali sunt præditi, vel, qui minima peccata, & imperfectiones fugiunt, corpúsque, & animam cum potentiis & sensibus in puritate conservant. 2. Qui heroicam gravioris tentationis victoriam obtinuerunt, aut asperas pœnitentias extraordinarias in conversione susceperunt. 3. Qui magnis persecutionibus, injuriis, & famæ detractionibus, quas pro Deo patienter sustinent, exagitantur. 4. Qui magnis virtutibus sunt ornati. Quodsi etiam aliquos ex quadruplici hoc genere fidelium hominum deprehendamus, qui non obstantibus *innocentia vitæ*, *pœnitentia extraordinaria*, *tolerantia persecutionum*, *& ornatu virtutum* ariditates, & derelictiones extremas sunt passi (utì de S. Theresia, Catharina Senensi, aliisque multis Sanctis legimus) divinæ ad scribendum est voluntati, à cujus nutu, & beneficio cælestes pendent gratiæ. Unde colliges, illos, qui in conversione animarum sanctè laborant, & qui pro communitate publica suscipiunt negotia, semper quosdam habituros persecutores, neque illis deesse linquarum morsus & infamationes, consequenter

talibus concedi à Deo ordinariè gustus in oratione.

127 Dixi, *qui ex obedientia ad Officia distractiva exponuntur*, quòd iis communiter Deus orationis gustum non soleat subtrahere, ut advertant illi Religiosi, qui non tantùm ultroneè se se offerunt ad ejusmodi exteriora officia, sed & per quasdā occultas artes, per quæsitos Patronos laborant, & nescio, per quas factas Superioribus suis blanditias ad quævis placita paratissimū spondent animum pro obtinendo distractivo munere, quòd Deus talibus eoipso soleat dulcedinem spiritualem auferre, quia ipsi priùs contemplativam vitam pertæsi, loquentem ad ipsorum corda Christum respuerunt, & non debito modo ac fine quæsiêrunt ministerium. Locum enim hic habet, quod monet Asceta noster *l. 1. Imitat. c. 20. Nisi te subtraxeris à superfluis locutionibus, & otiosis circuitionibus, nec non à novitatibus & rumoribus audiendis, non invenies tempus sufficiens, & aptum pro bonis meditationibus. Certè nemo securè apparet, nisi qui libenter latet. Nemo secure loquitur, nisi qui libenter tacet. Nemo securè praeest, nisi qui libenter subest. Nemo dignus est cælesti consolatione, nisi diligenter se exercuerit in sancta compunctione.* Nemo securè in exterioribus occupatur, nisi qui libenter interiora sectatur. Nemo temporalia securè, administrat, nisi qui spiritualia libenter pertractat. Illi planè boni sunt Rectores œconomiæ, *qui stant super præsentia, & speculantur æterna; qui transitoria sinistro intuentur oculo, & dextro cælestia: quos temporalia non trahunt ad inhærendum, sed trahunt ipsi magis ea ad benè serviendum, prout ordinata sunt à Deo, & instituta a summo opifice, qui nil inordinatum in sua reliquit creatura..* Uti Christus instruit Discipulum apud Thomam Kemp. *l. 3. de Imitat c.* 38. Enimverò amabo te, si sponte præcipitari appetas in mare, nonne jactari simul spumantibus desideras undis? erras planè, si quietem sanctam inter tumultus populares carpere velis, si amabilem divini spiritus auram inter boreales negotiorum extraneorum afflatus percipere cupias. *Spiritus* quidem *spirat, ubi vult, & vocem ejus audis, sed nescis, unde veniat, aut quò vadat. Joan. 3.* Sedere oportet secus pedes Domini cum Maria, non turbari erga plurima cum Martha, multo minùs ambitiosè exteriori officio se ingerere, qui devotionis Spiritum in se desiderat conservare. *Felix qui abiicere potest omne impedimentum distractionis, & ad unionem se recolligere sancta compunctionis! nam quòd divinas consolationes*, & S. Spiritûs visitationes *non habemus, aut rarò sentimus, nos in culpa sumus: quia compunctionem cordis non quærimus, nec vanas & externas* consolationes (quæ ab imperfectis Religiosis tam avidè appetuntur ex tædio spiritualium exercitiorum intra

clau

clausuram statis horis obeundorum) *omnino non abiicimus. l. 1. Imit. c. 21.* Igitur *committe Deo semper causam tuam, ipse bene disponet in tempore suo.* Pro nullo officio extraneo te insinues, multo minùs inquietè labores, ut promovearis. *Exspecta ordinationem divinam, & senties inde profectum.* Ubi mandatum à Superioribus acceperis, nullam metue difficultatem, nec turbare, & si videris venientem *ventum validum, & incipias mergi*: clama, in corde tuo dicens: *Domine salvum me fac. Et continuò JEsus extendens manum apprehendet te*; gratiâ suâ illustrabit; cessabit ventus, redibit serenitas cordi tuo, & magna fiet tranquillitas animæ.

128 Atque hoc *documentum intercalare* tyrocinio huic inserendi ansam præbuêre inprimis Amplissimus Præsul spiritûs zelo, & œconomicæ rei experientia insignis, & quidam alii, satisfieri sibi in Ascetico dubio rogitantes, an scilicet Officiales ad distractiva munera Superiorum obedientia mancipati, contemplationibus incumbere minùs valentes, atque exin minorem orationis dulcedinem, ac rariorem devotionis gustum sentientes spirituali careant fructu, & suorum, quibus, nequidquam quoad victum & vestitum desit, rem domesticam administrando, fideliter inserviunt, sodalium meritis excludantur, vel exercitiorum participatione priventur?

Respondi ad hæc breviter ex n. 124. doctrinam Asceticam esse S. Gertrudi l. c. revelatam, & à Theologis probatam, quòd etiam Officiales (licet Choro, aliisque exercitiis spiritualibus suorum confratrum non intersint) eorum meritis & communibus fructibus gaudeant, quia & ipsi sunt *membra ad eandem* merentem *Congregationem pertinentia*: quin etiam, dum alii ob suam devotionem in meditationibus, & puris spiritualibus operibus mira dulcedine cælesti perfruuntur, isti extraneis officiis occupati inadvertenter, *quasi dormitantes balsamo cælesti perunguntur* à Deo.

R. 2. Non obstante carentia sensibilis in oratione gustûs preces, & opera Officialium istorum Deo esse grata, & subinde pluris æstimata, quàm exercitia contemplativæ vitæ, quia in istis Officiis plures virtutes exerceri possunt, quibus Deus *delectatur, & alicitur, ad commanendum, & delitiosè convivandum* cum iis, licèt divina præsentia externo sensu non percipiatur. Dein sensibilis devotio non est signum absolutum spiritualis profectûs: quamvis ergò propter distractiones orationis dulcedinem non percipiant, si tamen faciant pro adimplenda voluntate Dei, & mandato Superiorum, quantum est ex se, iis non deerit gratia, nec fructu carebunt, sed potiùs *aureum nummum*

cum probatissima gemma divinæ offerent Majestati. Hæc ex tradita doctrina resoluta sunt.

Ad comprobandas assertiones obvia hæc sufficiant exempla, quæ Congregatio Windesemensis subministrat. Venerabilis Joannes Gilemans Bruxellensis Belga variis admotus officiis, quæ impigro animo per plures subiit annos, orationis gustum non deperdidit, quamvis nonnullis quoque ariditatibus vapularet. Ejus labores tum pro necessitate Congregationis, tum pro animarum lucro exantlatos miro & insigni favore divina largitas compensavit: nam aliquando in Ecclesia Rubeæ Vallis incruentum offerens Sacrificium, à Joanne Duyc fratre coadjutore temporali, qui ei ad aram inserviebat, puerulum formosissimum gestâsse in manibus visus est. Post præclara virtutum merita A. 1487. cælestem adepturus coronam abiit. *Ex Epist. dedicat. Heriberti Rosvveydi S. J. præfixa chronica Windes. Joan. Buschii nostri.*

Eodem tempore Leonardus Buck Osterwicanus per omnia Brabantiæ Cænobia hujus Congregationis celebrabatur ejúsque studia in variis obeundis officiis summæ admirationi erant, quibus viri virtus contemplandi, & industria agendi cum quibusvis extraneis innotescebant. Quæcunque faciebat, aut dicebat, eâ venustatis gratiâ condiebat, ut ob magnam spiritûs devotionem, & singularem puritatem, omnes in sui admirationem & venerationem raperet. Et quia teste S. P. N. *summum bonum non degustatur, nisi à purgatissimis mentibus, nec nisi à bene dispositis affectibus cernitur*: Hinc Leonardus noster *erigebat in contemplatione mentem*, ut scribit Petrus Impens noster in Chronico Bethleamitico, *expandebat in amore affectionem, ut bonorum operum thesauris ad cælestem JErusalem quotidie aspiraret, & in cellam vinariam inexplicabilis spiritualis suavitatis introductus degustaret affectus, quod exprimere non valet affatus.* Vitam Deo reddidit in Monasterio Corsendoncano, famâ sanctitatis post se relictâ A. 1488. Religionis 36. *Ex Joannis Hoybergii notis ad hist. Corsend. fol.* 118.

Eodem sæculo Christianus de campis Belga F. Laicus raris virtutibus enituit, præcipuè charitate. Hanc apud infirmos continuò exercuit, & interea cælestibus diffluere gratiis, & rerum divinarum contemplationis dono præditus à Deo, videbatur.

Licèt enim peste infectis diu, noctúque omni obsequiorum genere inserviret, sine difficultate tamen spiritum in oratione ad Deum suavissimis elevabat motibus, donec nimiis fractus laboribus, pestéque contractâ charitatis victima cecidisset in Canonica S. Agnetis prope Zwolas 31. Maji Anno salutis 1441. *Ex Chron. Montis*

tis S. Agnetis. cap. 24. Thoma à Kempis. Piissimus iste Auctor ibidem de Joanne Clotinc Laico Fratre commemorat, quòd mira dulcedine Marthæ labores cum otio Mariæ conjunxerit. Praxatorii enim negotiis, & pinsendi munere occupatus, orandi studium, cui oppidò fuerat deditus, nunquam deponere visus est, oratione condiens labores, vivúmque se fratribus laicis devotæ vitæ præbens exemplum. Obiit eodem anno 1441. *ex Chron. S. Agnetis ab eodem Th. Kemp.*

S. Bruno Henrici Aucupis filius & Othonis Imperatorum frater Trajecti à Baldrico Episcopo literis, moribus, & pietate apprimè instructus, post acquisitam Episcopalem Coloniæ Agrippinæ infulam, inter maxima Germaniæ, & publica Principum negotia cælesti orationis gustu, & lacrymarum dono perfruebatur. Quamvis ubique fratrem cæsarem comitaretur, & ad imperalia sequeretur comitia, nunquam tamen illius animum Procerum dissidia, & aulæ tumultus adeò perturbarunt, quò minùs liber spiritus puras & defæcatas in cælum preces emittere posset. Quàm in pauperes benignus, tam parcus in se, singulari comitate præditus.& ab omni morum levitate alienus fuit, quam etiam in Henrico fratre, & Cunone affine sub divinis nugas & fabulas miscentibus palam redarguit, prædicens, *intempestivam illam familiaritatem seminarium fore maximarum inimicitiarum.*

Id quod postea vidit orbis. Accepto à S. Pontifice Agapito Archiepiscopali pallio ad Ecclesiam suam reversus collapsum monasterium S. Pantaleonis restauravit, & S. S. Elisii, Patrocli, Privati, & Gregorii S. pignora unacum S. Petri Baculo ab Urbe Coloniam recèns delata & honorificentissimè recondita publicæ populorum venerationi exposuit. Aliis quoque templis & aris ad cælitum cultum erectis, consecratísque Clerum in montibus lonegiis, aliísque in locis ad morem Cathedralis disciplinæ reformavit, Regularésque Canonicos substituit, *qnorum tunc temporis in Ecclesia*(etiam Coloniensi) *magna dignitas erat propter regularem disciplinam, & studium adjuvandi populos*, ut habet Demochares ad Annum. 953. Tandem beatus Antistes tot monumentis pietatis positis, sanctitatis gloriâ, & pacis inter Principes & nepotes conciliandæ prærogativâ illustris quadragesimo ætatis florentis anno, immatura quidem morte,at æthereæ coronæ jam maturus Rhemis obiit 957. uti ex Demochare, & Sigiberto scribit Constantinus Ghinius noster ad diem 11. *Octobris in Natal. S. S. Can.* Juxta Possevinum verò Anno 965. Quidam Brunonis mortem ad Annum 945. sed malè retulerunt, nam quo-

quomodo ab Agapito II. Marini II. Pontificis Successore Anno 946. Archiepiscopale Pallium & S. Lipsana obtinere potuisset Archipræsul Coloniensis, qui Anno priore jam scriberetur mortuus? Sed quid ad nos hæc Historicorum controversia? Quibus sufficit cùm ratione, tum exemplis (quorum plura afferre possemus, si foret opus) demonstrâsse, etiam inter publica & domestica negotia orationis devotæ gustum à Deo non denegari illis, qui ad eam ritè se disponunt, & hoc articulo data documenta applicant.

COELUM ÆNEUM.

AST, inquis, *cælum* fuisse *liquidum* hisce, aliísque innumeris sanctis, immò à dulcedine cælesti, & copiosa charismatum affluentia *lacteum*: heu verò! quot vivunt hodie adhuc, quibus *cælum æneum* est, quíque in hac lachrymarum valle ingemiscunt, miserrimis ariditatibus contabescentes, quorum intellectus divinarum illustrationũ penuria obfuscatur; quorum voluntas piarum motionum sterilitate torquetur, quorum memoria terrenis tota occupatur, & domesticis curis distenditur. Conscientia peccatorum commissorum recordatione premitur; anima sensuum evagatione ad externa trahitur, visibilibus & vanis impliciatur, ut alta non sapiat. Hisce, inquis, jam non liquidum, sed *cælum æneum* videtur, quòd favores & devotionum cælestium gustus tam parcè illis depluat, & eorum orationes quasi surdum non exaudiat. Igitur, cui *cælum* videtur *æneum*, à cælesti sapientia instillatam percipe doctrinam, quam in isthoc arduo desolationum articulo versanti propinat Illustrissimus Venetiarum Patriarcha *l. de discipl. & perf. monast. convers. c. 12.*

Solent etiam Angeli Satanæ ex divina dispensatione servorum Dei mentes in tantam obdurationem, & cordis insensibilitatem deducere, ut *cælum* illis esse *æneum*, & omnipotentis Dei aures ad exaudiendum obturatæ videantur. Adeò námque tanto tædio interdum afficiuntur, ut monasterium angustissimus, & intollerabilis eis carcer appareat. Psalmodiæ suavitas laboriosa valde sentiatur, orationis tranquillitatem, tanquam flagellum maximum arbitrentur: atque omne spirituale exercitium veluti ingentem obhorreant cruciatum. Non legere, non meditari, non vivere sub disciplina monasterii, non operi manuum vacare libet, sed cuncta, quæ spiritui prodesse possunt, odibilia tunc judicantur. Sícque agitati, & acediæ tabe perfusi sunt, ut de sua perseverantia trepident, & de propria

pria salute diffidant. Hæc autem, si diu perseveraret tentatio, vix de millibus unus sufferre valeret. Proinde divina pietas pro sublevanda hominis fragilitate manum suam dignatur apponere. Nam mox ut suum viderit servum deficientem, & tentationi consentientem, illustratione sua, & quadam spirituali dulcedine, omnem dissolvit cordis duritiem, & teporem, quo undique vallata fuerat ipsius mens, & in rorem piæ devotionis convertit. Tunc resoluta interioris hominis glacie suaviter fluunt imbres lachrymarum, tunc pacato mentis domicilio, atque fugatis spiritualibus tenebris in omni tempore in omni loco, Dei in corde resonant laudes, & gratiarũ actiones. Eo etenim beato tempore remigio alarum amoris cor sursum fertur in Deum, illique copulatur jucundissimo charitatis vinculo. Ipso autem perdurante cordis jubilo nec præterita memorantur mala, nec futura formidantur. Contra verò hanc cordis insensibilitatem optimum, & salubre remedium est consueta devotionum & virtutum exercitia infatigabiliter custodire, neque ab illis actu deficere, & desiderio: imò ea potiùs augere. Studeat qui tentatur de Dei bonitate resummere spem, sibique ipsi dicat: *Quare tristis es anima mea, & quare conturbas me Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi. Nam si bona de manu Domini suscepimus, mala autem quare non sustineamus? Ps. 45. & Job. 2.* Patientia namque, & animi fortitudine victor efficietur, quisquis in hoc positus fuerit conflictu. Consueverunt quoque maligni spiritus hanc adversus Dei strenuos bellatores tentandi exercere artem. Cùm enim conspexerint eorum mentes ex omni parte prudentiæ, & disciplinæ vigore munitas, illico in omnem se convertunt immanitatem, & nullo in tentando servato ordine, cunctorum vitiorum ignitas immittunt cordi sagittas: ut fatigatus animus ex crebra suggestionum reluctatione vi quadam ipsarum trahatur ad delectationis consensum. Nam laboriosum est in tam sævo certamine inflexibilem servare mentem. In nullo autem terreantur, qui harum diversarum cogitationum tentationibus impugnantur, quin potiùs resumentes vires cum medullari cordis lætitia, & mentis constantia reluctentur, & vincant: clament, & ingeminent voce, & affectu JEsus mellifluum, & sanctum nomen. Est enim aëris potestatibus terror maximus, & intollerabile flagellum, ad cujus invocationem tanquam ab igne resiliunt. Levent nihilominus ad cælum cor, divinum flagitantes auxilium, & mox spiritualibus fugatis inimicis cæleste in se sentient adjutorium. Tunc in quoddam mentis deducti tripudium

um pro adepta victoria Deo laudes decantabunt, & dicent: *cantemus Domino, gloriosè enim honorificatus est, equum & ascensorem dejecit in mare &c. Exod. 15.* Hac namque experientia eruditi, hoc spirituali roborati præsidio, in omni dæmonum infestatione, & pressura ad Dominum clament, cùm tribulentur, & liberabuntur. Ad hoc servum suum tentatum per Prophetam Dominus hortatur, cum dicit: *invoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Ps. 49.* Re etenim vera magnam de propria salute debent concipere spem, qui hujusmodi diversis tentationibus agitantur. Nisi enim ipsorum conversatio acceptabilis, & inimicis esset onerosa, nequaquam tanta illorum, cor aggrederentut importunitate, atque conarentur evertere mentis domicilium à stabilitate sancti propositi, quod arripuerunt. Dei autem clementia cunctam immundorum spirituum fraudem in suorum militare facit profectum servorum. Ex his quippe tentationibus, qui amoris Christi, & perfectionis fervent desiderio, maximam sumunt occasionum tantarum fieri possessores virtutum, quantorum impugnantur suggestionibnsvitiorm. Unde cùm superbiæ cogitationibus tentantur, ne in ipsum corruant vitium, humiliantur. Cùm de iracundia pulsantur, ne succumbant, patientiæ virtutem fortiter servant, & sic de cæteris vitiis &c.

AR-

ARTICULUS IV.

De particulari amicitia ſpirituale profectu retardante.

SUMMARIUM.

129. *Quanta damna afferant Religioſæ communitati particulares amicitiæ?*
130. *Deſcribitur amicitia in genere, & particularis in ſpecie, quæ etiam per partes exponitur.*
131. *Quinque ſpecies hujus enumerantur, & prima ſcilicet conſanguineorum enucleatè traditur.*
132. *Sicut & ſecunda conterraneorum.*
133. *Tertia laxorum & ſeditioſorum.*
134. *Quarta diſparum ætate.*
135. *Quinta juvenum.*
136. *Corollarium ex dictis.*
137. *Damna in communitatem redundantia,*
138. *Et particularia.*
139. *Cur difficile ſit indagare amicitias pernicioſas?*
140. *Indicia tamen decem vitiatæ familiaritatis aſsignantur.*
141. *Remedia porriguntur tum præſervantia, tum purgantia.*
142. *Regulæ omnibus pacificè & ſanctè convivendi.*
143. *In quo ſenſu admittantur à S. S. P. P. & ſpiritualibus Magiſtris familiaritates?*
144. *Afferuntur à S. P. N. & S. Laurentio Juſtiniano veræ inſignia amicitiæ.*
145. *Malus amicus eſt verus inimicus, ùt probatur P. P. teſtimoniis, ita exemplis.*

129 Non ſolùm tentationes, ſcrupuli, & ariditates, ſed etiam alia adhuc ſunt impedimenta ſpiritualis profectûs, quem quidem ab initio non auferunt, ſucceſſu tamen temporis minuunt, & tandem omnino enervant. Inter hæc principem facilè locum obtinet *particularis amicitia*, quæ tam contra peculiare cujuslibet, quàm etiam contra totius communitatis bonum militat. Cùm enim intra perſonas religioſas, quæ ipſammet conſtituunt comunitatem, magna concordia, & maxima unio regnare debeat, omnia particularia ligamina, ſocietates, confœderationes, & uniones, quibus duo vel tres inter ſe ſtringuntur, truncanda ſunt, quia ejuſmodi conjunctiones quantumcunque videantur ſanctæ, & ſub quocunque virtutis titulo coaleſcant, nihil ominus præſeferunt formalem quandam ſeparationem duorum vel trium ab omnibus reliquis.

Hinc animadvertit Magnus Monachorum Patriarcha S. Basilius *in constitut Monast. c. 30.* Quòd *charitatem quidem habere inter se mutuam fratres debeant, non ita tamen, ut duo tresve seorsim à cæteris sodalitatem inter se ineant. Quandoquidem hoc non charitas est, sed seditio, & divisio, & eorum, qui sic coeunt, improbitatis indicium. &c.* Enim verò qui unum suorum confratrum plùs amat, quàm alios, evidenter demonstrat ipso facto, quòd alios perfectè non amet. Consequens proin est, hoc modo alios offendi, totámque communitatem injuriâ affici. Quia igitur *hæ paucorum non tam amicitiæ quàm furtivi conventus privatæ secessiones, & clandestinæ sodalitates: quæ vel jucundioris familiaritatis, vel alicujus voluptatis, & commodi, vel etiam novandarum rerum gratia, cum offensione fraternitatis, extinctione spiritûs, eversione domesticæ disciplinæ, ac nonnunquam cum magno familiæ totius damno contrahuntur* ex fusiore tractatu Ascetico 13. Religiosissimorum P. Julii Nigroni S. J. & P. Lancicii *opusc.* 5. naturam, species, causas & effectus hujus particularis, & damnosæ amicitiæ contracto calamo describemus.

130 Licèt amicitia à Philosophis non videatur numerari inter virtutes, ut patet ex *l. 8. Ethicorum*, Angelicus Præceptor tamen eam describit, quòd possit dici *virtus moralis circa operationes, quæ sunt ad alium sub ratione cujusdam debiti amicabilis & moralis, vel magìs sub ratione beneficii gratuiti 2. 2.* q a. 23. 3. ad 1. S. P. N. L. 3. *contra Academ. c. 6. & Epist.* 155. veram, & perfectam definit amicitiam eò subtiliori ingenio, quò genuinam illius essentiam, & veras proprietates perfectiori modo attingit. *Amicitia*, inquit, *est rerum humanarum, & divinarum cum benevolentia & charitate consensio.* & *l. de amicitia* c. 1. disertis verbis amicitiam inter virtutes collocat, asserens *amicitiam esse virtutem, quæ talis dulcedinis, ac dilectionis fœdere amico copulatur, ut unum fiat de pluribus &c.* Atque hæc amicitia *virtutis* nomen meretur, quia conjunctionem animæ cum Deo, & in Deo cum proximo habet, discordiámque omnem expellit, quam pluralitas causare solet. Verùm hoc amicitiæ genus, ut pote altioris ordinis, ignorabatur ab Ethnicis Philosophis, qui tantùm de *naturali* agebant, cujus species numerantur tres apud Aristotelem *l. 8. Ethic. c. 3.* scilicet amicitia *delectabilis, utilis & honesti*, atque ex S. Th. solùm *amicitia habens rationem laudabilis & honesti* & prout *ex objecto fundatur super honestatem* suam consequitur bonitatem & laudem, adeoque non tam ipsa virtus, quàm cum virtutibus esse solet. Ideo enim alterum amamus, & vicissim redamamur laudabiliter & honestè, quia ad hoc provocamur alterius virtutibus. *Amicitia* modò descripta vel *virtus* esse potest, id est,

se-

sequi virtutes, adeoque laudem meretur, vel *vitium*, si nempe sequatur vitia. Hinc S. P. N. altioribus illustratus radiis *l. de amic. c. 3.* triplicem assignat speciem. *Amicitia*, ait, *triplex carnalis*, *mundialis*, *& spiritualis. Carnalem creat vitiorum consensus: Mundialem spes quæstûs accendit: Spiritualem inter bonos vitæ, morum, studiórúmque similutudo conglutinat.* Unde patet, vel cum virtute virtuosam, vel cum vitio vitiatam esse amicitiam, ac solummodo *spiritualem* veram. *Carnalis* enim delectabilis, & *mundialis* utilis appellatur. Verùm *amicitia particularis* & vitiosa neque à Philosopho, neque à Doctore Angelico definita legitur. Proin à Patre Nigrono c. 1. confictam hic pono: amicitia particularis & damnata est *sodalitas paucorũ vel ab affectu, vel à prava voluntate, dæmonis astu per conjurationem clandestinam conflata ad moliendum aliquid, quod sit contra leges.*

Dicitur *sodalitas*, in quo nomine omnes amicitiæ species conveniunt tanquam in genere, sodalitas enim convenit iis, qui sunt ejusdem collegii, artis, militiæ, facultatis & familiæ, & ita abstrahit à *necessitudine*, quæ est arctior amicitia ex assidua consuetudine, & convictu contracta, & à *cognatione* vel *afinitate*, quæ est amicitia inter sanguine junctos.

Dicitur 2. *sodalitas paucorum* ad differentiam, quia particularis amicitia inde vitium contrahit, quod à communitate aliorum recedat, & paucis quibusdam conjungatur cum offensione cæterorum. Multorum enim consociatio non solet dici particularis amicitia.

Dicitur 3. *ab affectu* non spirituali & rationali sed magis naturali & carnali. Affectus enim teste Cassidoro *l. de amic.* est *erga aliquem quadam animi spontanea, dulcísque ac suavis inflexio.* Hic affectus dicitur *spiritualis*, si est motus & suavis inflexio à Deo. *Rationalis* appellatur, si à virtutibus excitatur in altero cognitis. Dein affectus *officialis*, qui obsequiis & beneficiis gratuitis conciliatur, & *naturalis*, qui est inter conjugatos, parentes, liberos, & consanguineos absolutè mali non sunt, facilé tamen degenerant à spiritu & ratione, sícque in particularibus amicitiis viam sternunt ad peccaminosam societatem. *Carnalis* affectus semper vel est periculosus, vel manifestè damnosus, qui noxium generat amorem. Et hic amor originem trahit à *similitudine* naturæ, indolis, ætatis, morum, elegantiæ corporalis, & studiorum. *Omne enim animal diligit simile sibi, sic & omnis homo proximum sibi. Eccles. 13. Simlitudo est mater amoris. Simile, amicum simili*, teste Arist. *l. 1. Reth. c. 38.* Hinc *sympathia*, mutuus consensus animos facilè conglutinat similes. 2. Ortum habet à consuetudine, mutuo

tuo usu, & quotidiano convictu, à colloquiis, recreationibus, & familiaribus congressibus: unde ex similitudine, & crebris conventionibus crescit affectus carnalis, & mutuus augetur amor, qui 3. à proclivitate naturæ in adolescentibus & junioribus ad amicitias vehementer propensis magis accenditur, & inflammatur, quia juxta Philosophum *Ethic. 8. c. 3. juvenes amatorii sunt, quippe cùm ex perturbationis affectu & voluptate multâ illa amatoria affectionis vis oriatur.* Atque *ab affectu*, triplex hoc genus amoris progignente, *conflata societas paucorum* inter se, particularis amicitiæ *intrinsecam causam* accipit.

Dicitur 4. *vel à prava voluntate* quæ est altera causa intrinseca amicitiæ. Si enim carnalis affectus conjunctionem non creat, electio deliberatæ voluntatis propter certum finem, ad quem sine aliorum societate pertingere non potest, illam conflandam aggreditur. Certum enim est, sodalitates noxias contrahi vel alicujus voluptatis, cibi, potúsve gratiâ, vel ad altiora officia conscendendi causâ, vel ad obtinenda commoda & obsequia, vel tandem adversùs Ordinis disciplinam, & Superiores rebellandi, animo. Et hæc amicitia eò magìs est perniciosa, & graviùs peccaminosa, quò plùs deliberata, & industriùs quæsita.

Dicitur 5. *dæmonis astu*, qui est causa extrinseca sicut omnis peccati, ita vel maximè damnosæ amicitiæ, suggerendo motiva subministrando occasiones, proponendo objecta delectabilia, concitando affectus, suscitando phantasiam, refricando memoriam, & instigando per segniores sodales, idque efficit versipellis impostor *non virtutis gratiâ, sed ut ejusmodi amicitia turbatis illorũ mentibus voluptates inter eos admisceat, fiátque ingens malum*, sicut animadvertit S. Ephræm *tr. 2. de var. doc. c. 92.*

Dicitur 6. *Per conjurationem clandestinam conflata.* Ubi advertas, necesse haud esse ad amicitiam particularem, ut ejusmodi conjuratio vel fædus, pactum, vel juramentum in se includat sufficit, adesse animorum conspirationem de patefaciendis arcanis, silentio servando, consiliis ineundis, & non fugiendis conventibus clandestinis, licèt contra divina, humanáque jura sint. *Clandestina* appellatur *conspiratio*, quod est proprium amicorum, & conjuratorum, scilicet ut consilia, consiliórumque rationes usque ad exitum rei destinatæ summâ fide, diligentiáque à Superioribus, & reliquis sodalibus abscondant, suóque solùm in corde retineant. Atque hinc

Dicitur 7. *ad moliendum aliquid, quod sit contra leges.* Quod est differentia ultima malæ ac vitiosæ amicitiæ, si enim moliretur quædam ad Dei gloriam, sanctorum cul-

cultùm, propriæ, vel alterius animæ salutem, non foret prava sodalitas, proin à data definitione excluderetur. Quòd vero perniciosa amicitia *contra leges* agat, constat ex eo, quia specialia extant statuta in quibusvis S. Ordinibus de servando silentio certo tempore & loco; præscribuntur etiam sub pœnâ certa exercitia obeunda, quin decreta leguntur lata, quibus gravissimis sub censuris prohibentur ejusmodi clanculares consociationes. Sed his legibus & statutis contrariantur, qui invicem conspirant, & uti S. Laurent. Just. *de Discip. & Perfect. c.* 22. egregiè describit, *semper discurrunt, semper similium sibi consortia quæritant, in angulis, in latibulis, silentii tempore ut plurimùm confabulari appetunt, & absentium vitam lacerare non desinunt, & tanquam ipsis non sufficiat propria perditio, alios secum damnare conantur.* Dein oritur detractio, qua nihil in Collegiis justorum perniciosius. *Dissipat namque* (detractor) *charitatem, dissolvit unitatem; humilitatem fugat; pacem turbat: rixas parit; nutrit discordias; lites movet; odia generat; & omnem dirimit sanctitatem. &c.*

Hinc saluberrimè cautum fuit (ut nil dicam de aliis) in constitutionibus Canonicorum S. Salvatoris c. 10. n. 14. *Ne sub specie fraternæ charitatis habeatur aliqua frequens conversatio singularis.* Et c. 25. n. 13. gravissimas infligendas pœnas decrevit eadem Congregatio Lateran. in eos, qui per malitiosam concordiam, seu per conspirationem adversùs aliquem, & maximè adversùs Superiorem in dispendium disciplinæ Canonicæ se se erigere attentaverint. Sic etiam à suis Discipulis eliminatam desiderat amicitiam damnosam expresso præcepto *c. 10. S. Reg.* sapientissimus Legislator *non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio*, id est, *communis non privata & peculiaris sit invicem dilectio*, ut Hugo Vict. Umbertus, & alii commentatores explicant. Hæc de natura perniciosæ amicitiæ.

Species particularium amicorum numerantur quinque quas abbreviato calamo hìc notamus. 131 Species prima est *consanguineorum*, vel afinitate conjunctorum. Quod genus in Religiosorum cætibus præcavendum, & studiosè observandum antiqui spiritualis vitæ Magistri SS. Ennodius, Basilius, Cassiodorus à P. Nigrono citati c. 2. & alii recentiores Ascetæ judicârunt propter damna inde emergentia.

Jam cùm *amicitia sic circa operationes, quæ sunt ad alium* ex S. Th. 2.2.Q. 23 a. 3. videamus cognatorũ amicorũ fines & studia vitiosa. *Operatio 1.* cognatorum nimia est *familiaritas*, eòque dulcior, quo sanguinis comunione propior, eòque intimior, quò fideliores germani fratres

vel cognati in secretis continendis existimantur ob mutuum amorem, quo se diligunt, & redamari sciunt. 2. *Operatio* est nimia *laudatio*, qua se germani fratres, qui non temperârunt virtute naturalem affectum, vicissim comendant: ingenium doctrinam, probitatem, in rebus agendis dexteritatem extollunt ad nauseam usque sodalium audientium. Qui cum vident virtutes non respondere laudibus, aut rident laudantium errorem, aut miserentur intemperantiam affectûs, aut laudes insulsas stomahantur. *Operatio 3.* ex priori sequitur, & est erratorũ sive ingenii, sive linguæ, sive vitæ accuratissima *excusatio*, atque acerrima *defensio*. Non ferunt hi consanguineorum suorum errata observari, reprehendíve: taciturnitas ipsa, cùm de illorum virtutibus, aut dotibus sermo incidit, vel parca laudatio pro vituperatione capitur. Post hæc adest *4. operatio*, scilicet *conatus*, ut ad altiora se provehant: satagunt nempe fratres germani, ut reliquis sociis præferantur in honorificis muneribus, & dignitatibus: ut eximantur ab oneribus, animi corporísque relaxationibus reficiantur. Commendant confidenter Superioribus; conqueruntur interdum cum discretis, consiliariis, senioribus, à quibus promoveri posse arbitrantur, quòd deprimantur. In electionibus, in quibus ipsi jure intersunt, fratribus sive aptis sive ineptis calculo suffragantur, aliósque illis artificiosum in modum comparant suffragatores. Gravis adeò res est, & Ordinibus perniciosa hæc injusta suffragatio, ut periti rerum Asceticarum eam adnumerârint causis, quæ religiosos Ordines pessumdant. Sic Reverendissimus Servatius de Lairvelz *in optica Reg. Spec. 81. Instruct. 11.* Ex undecim causis ruinæ religiosorum Ordinum sexto loco refert hanc, nempe *inutilium personarum, & consanguineorum promotionem*. Easdem fere ob causas constitutionem fecerunt Monachi Cælestini, quâ vetant *duos germanos fratres, aut consanguineos in eodem monasterio commorari.* Augetur hoc malum summopere, quando Superior singulares affectiones ad tales consanguineos præsefert, eósque ad officia Religionis applicat cum maxima offensione, admiratione, & scandalo cæterorum. Nec credat Superior ejusmodi sibi familiarium ad officia promotione rem suam stabiliri contra alios quosdam, qui Prælato sunt offensi, & malâ amicitiâ invicem conjuncti: firmiter potiùs credat, id cedere in ruinam Religionis, sui, & illorum, quos intempestivè ad munera applicuit, nam juxta S. Th. 2. 2. Q. 63. a. 1. *contra justitiam distributivam* peccat per talem acceptionem personarum, quæ tunc committitur, quando *considerantur conditiones* alicujus,

qua

quæ non faciunt ad causam; *quæ faciat eum dignum Officii*, ad quod promovetur. Neque hoc medio Prælatus aliorum conjunctiones dissolvit, sed ab exemplo magis obfirmat, ut illi quos fortè corrigere, & à prava societate retrahere justè laborat, in angulis submurmurantes cum amicis illud Salvatoris dicant: *medice cura te ipsum.* Experientiâ constat fratrum, consanguineorúmq; amicitias, & ad officia promotiones (si priùs affectus non fuit perpurgatus) in dispendium religiosæ disciplinæ, & ruinam œconomiæ cessisse, &, quia assentationis vitium, ventrisque incluvies interveniunt, post contracta debita, insignes discordias inter Prælatos & Conventus obortas fuisse, quæ sopiri ampliùs nequibant, nisi turpi dejectione talium amiculorum vel depositione, sive (ut honestiùs loquuntur) coacta resignatione ipsorum Prælatorum. Videantur plura hac super re apud P. Nigr. l. c.

132 Altera species priori affinis est *conterraneorum*, quorum operationes sive actiones, eundem ferme possunt habere scopum, quem intendere solent consanguinei. In hoc solùm aliquid speciale habent ab amicitiâ privatâ aliorum, atque Religione damnosam societatem inire possunt, si in cœnobio, vel in tota provincia conspirent ad excludendos ab officiis alienigenas sodales suos, ut ipsi soli quodammodo dominentur, soli negotia tractent soli regnent in cathedris, in pulpitis, in dignitatibus. Oritur ex naturali affectu hæc amicitia, dum *conterranei* sæpissimè de dulci patria miscent colloquia ad abigendum mærorem, quem contraxerunt ex recordatione illius. Dein defendunt se à dicteriis patriam ac nationem pungentibus, & præcipuè contemptum & confusionem suorum aversantur. Atque hæc species amicitiæ, si non degenerat in carnalem, neque promotiones suæ nationis ad dignitates modo prohibito quærat, omnium censetur minima.

Tertia species amicitiæ pravæ est illorum, qui pro libertate acquirenda, & laxitate disciplinæ adversùs Superiorem conspirant, 133
quam amicitiæ speciem n. 129. suprà S. Basilius appellavit *seditionem, & divisionem, & improbitatis indicium.* Et subjunxit: *Si verò ipsi à reliquis suâ sponte disjunctis in cœtu cœtum efficiant, vitiosa hujusmodi amicitiæ conciliatio est; & diversam quandam à communibus institutis rem esse oportet, quæ hos inter ipsos conciliet. Atque hoc profectò non est aliud, quàm contra veterem disciplinæ stabilitatem innovatio.* Similem conspirationem S. Franciscus Seraphicus in Ordine suo expertus est, prout *ex Chronico minorum p. 1. l. 2. c. 7.* refertur. „Cùm enim „secundam regulam scripsisset in „monte Carnerio Reatinæ urbi „proximo, & eam Eliæ Vicario „generali

„generali custodiendam tradidis„set, ut postea confirmaretur ab „Honorio Pontifice; Elias, ut „ut aliam pro suo arbitratu conscri„beret, illam deperdi permisit. Re„diit S. Franciscus in eundem „montem, ut iterum Dei volunta„tem exploraret per jejunium ac „preces, cognitámque sequeretur. „At Elias commovit Ministrorum „provincialium animos ad repug„nandum regulæ, quam arctiorem „existimabant; & facta manu „Franciscum convenerunt, prote„stantes se regulæ strictiori parere „nolle. Sed vir S. magno animo „restitit ipsorum conspirationi, & „ab Honorio per rescriptum regu„læ illius confirmationem impe„travit. &c.

Damnosas ejusmodi conspirationes, & perniciosas seditiones, si ullus alius, Canonicus quoque Ordo noster fuit expertus, quando in Patriarchalibus, Archiepiscopalibus, & Episcopalibus Collegiis regularis disciplinæ observantiam pertæsi in Germania Gallia, Hispania, Italia, variisque Europæ provinciis conjuncto quasi agmine sæcularizationem sub variis titulis, & speciosis (à temporum illorum injuria quæsitis) argumentis à S. Sede impetrârunt. De istorum memoria ingens, prô dolor! catalogus legi potest apud Rdm. Pennottum *in Historia Tripartita.*

134 Quarta species amicitiarum est inter dispares ætate, inter adolescentem & senem, qui propter peculiarem benevolentiam & officia invicem collata singularem societatem contrahunt. Ut autem amicitiæ hujus natura penitus cognoscatur, quemadmodum nummismata, ex utraque parte spectanda est. Utramque describit ex P. Alphonso Roderico P. Nigronus c. 2. hisce verbis.

Junior è tyrocinio translatus in Cœnobium, ubi daturus est operam disciplinis addiscendis, si tepefactus in rerum spiritualium studio fuerit, & superbiæ aditum patefecerit, pluris æstimare incipit ingenii cultum, & linguæ scientiam, & eloquentiam; unde laus, honor, & apud homines existimatio splendescit, quàm ornamenta spiritûs, sui contemptum, virtutes solidas, tantopere illi à magistro novitiorum commendatas. Exinde fautores sibi parat ac patronos, quorum adminiculis ad altiora conscendat, & per honorificentiora ministeria mundo reddatur illustrior. Benevolentiam Magistri, Regentis, seu Præsidis studiorum discreti, aut consultoris alicujus, aut senioris, qui plurimum auctoritate polleat, Superioris, aut ejus, qui apud Superiorem posse existimatur, sibi strenuè aucupatur; colit officiis, ore laudat, ei ministrat obsequiis, blanditur, & verò etiam interdum adulatur; exhibet atque ingerit se promptum ejus imperio; refert res novas hinc inde

de

de aure curiosa perceptas, & quidquid alii domestici de illo dixerint: omnem denique movet funem ac lapidem, quod proverbio dicitur, ut ejus gratiam ineat senioris, per quem possit anteferri condiscipulis, & in altissimo gradu probitatis, ingenii, doctrinæ in opinione Superiorum collocari. &c. Ex his perspicuum est, juniorem, qui hac via distorta graditur, ambitionis spiritu, depravatáque voluntate per superbiam, quæ *ascendit semper*, duci; pro fine sibi suam exaltationem atque excellentiam proposuisse, in hac amicitia seniorum comparanda, quibus se tam officiosum, & obsequiosum exhibet sine permissu Majorum. Senior autem, quamvis ad amicitias ineundas parum propensus naturâ sit, ut observavit Aristoteles l.8.Eth.c.5., tot tamen officiis cultus ac provocatus ducitur ab affectu, quem cum Cassiodoro *n.* 130. *Dic.* 3. nominavimus *Officialem*, ad rependendam aliquam juniori benevolentiam. Incitatur fructu comodorum præsentium, ac spe futurorum. Fruitur Senior præsentibus commodis, cùm junior promptè comitatur egredientem; cùm è bibliotheca libros in cubiculum affert: cùm illi lucubrationes & conciones aliquas aut dictanti scribit, aut jam scriptas describit: cùm denique in aliis necessitatibus laboriosam ad nutum exhibet servitutem. Quæ futura commoda sperat, ea sunt officia & beneficia, quæ jam ætate confectus potest à juniore recipere, cùm vir factus, gubernacula tractans cœnobiorú poterit senioribus prodesse. Quam ob rem senior juniorem apud Superiores patrocinio promovet, defendit, excusat; concionaturum concionibus, disputaturum argumentis subministrandis juvat; ut Officiis officia compenset. Quid quod interdum seniorem incautum ad hujusmodi amicitias & patrocinia trahit ille idem affectus, qui capit adolescentes, spectans in adolescente leporem, urbanitatem, ingenium, indolem, formam potiùs, quàm virtutes? Maximè reprehensibilis est hæc amicitia peculiaris ætate disparium, tum ratione junioris, tum senioris. Adolescens hujusmodi patrociniis, aut certè spe patrocinii fretus negligit virtutum verarum, spiritualiúmque rerum studium: remittit diligentiam in literis & doctrinis addiscendis, sperans defectum omnem in utroque studio, auctoritate senioris patroni suppletum iri: despicit condiscipulos ac sodales, quibus se antelatum, aut præferendum putat: violat sæpe domesticam disciplinam, & parvipendit jussa moderatorum, confidens, se vitaturum pœnas, quod defensorem habeat magnæ auctoritatis. Per has actiones à recto deflectentes, domesticis fit invidiosus, odiosus, & evadit multis etiam into-

tolerabilis. Damnanda est quoque ex parte senioris hæc amicitia: tum quia juniori nocet adeò patrocinio suo, ut verè causa sit illi malorum, quæ recensui, tum quia sibi obest, minuens bonam famam, multorum annorum spectata virtute comparatam: quæ sanè læditur, cùm peculiaris amicitia contracta cum adolescente, ac nimia familiaritas ex ea profecta deprehenditur. Quam ob causam maximè suspecta semper fuit conversatio & familiaritas seniorum cum junioribus, & ab omnibus fere Ordinibus interdicta. Atque hæc fuit graphica descriptio amicitiarum inter inæquales ætate, quales in sua S. Societate deprehendit, & omnium vituperio dignas censuit, & à S. Collegiis eliminatas voluit virtute & Religionis zelo eximius ille Vir Rodericus.

135 Quinta species, & maximè noxia amicitiarum est inter adolescentes. Hæc enim mutua benevolentia, similitudine naturæ, consuetudine, & quotidiana familiaritate, genii proclivitate & affectu ad amandum propenso facillimè coalescit. Tria specialia prædicata sortitur hæc sodalitas, uti probè animadverterunt spirituales Magistri. 1. Appellatur *nimia familiaritas*, quia mutua juniorum consuetudo nunquam satiatur inter conviventes: cupiunt enim ejusmodi contubernales continuò invicem colloqui, angulos quærunt, secreta pandunt, affectûs signa præbent, & in dies magis inardescunt. 2. *Otiosa* dicitur *conversatio*, utpote non virtutis, sed jucunditatis studio quæsita, hinc amiculi isti in omne jocorũ genus se effundunt, dicteria, facetias, urbanitates, dicacitates, ridicula, & scurrilitates affectant. 3. *Voluptuosa* vocitatur, quia non sistit in delectabili otio, sed ad deteriora delabitur, scilicet ad comessationes, compotationes furtivas, conventiones nocturnas, & plerumque secum habet persecutionem unius vel plurium, quibus disciplina regularis vel statutorum observantia cordi est, & qui sanctitati diligentius student. Major hujus depravatio tunc fit, cum aliquis grandior natu se sodalem adjungit, vel potius choriducem, & tanquam astutissimus delphin thynnos simpliciores adolescentes in retia hæc amicitiarum inextricabilia trahit, & detinet, uti habet P. Nigron. c. 2. n. 14. Et verò perniciosissima hæc est sodalitas, ubi ebulliente in venis sanguine juvenes amorem concipiunt, nec facilè dimittunt, sed turpissima flama se invicem consumunt

Colliges, ex his 5. speciebus, 136
primam & *secundam* provenire ab affectu naturali, *quartam* ab officiali, *quintam* ab affectu carnali, *tertiam* verò scilicet conjuratorum oriri à prava voluntate. Hæc eò graviùs constituit peccatum, quo magis libe-

liberum arbitrium concurrit, & intellectus argumenta adinvenit, quibus hanc amicitiam foveat, & majus bonum Religionis impediat. Hinc ista maximis pœnis à S. Religionibus interdicta fuit, ut conspiratores tales, disciplinæ eversores, Ordinis destructores, Superiorum osores, & litigiorum promotores *pœnâ excommunicationis ipso facto incurrenda* esse plectendos statuerint S.S. Relig. Ordines apud Nigr. c. 2. n. 12. Quinta verò species utpote à carnali affectu promanans virgineo pudori, & juvenili castimoniæ nocentissima habetur. Proin prima & altera species sicut & quarta utpote ex affectu naturali & officiali orta indiget purgatione, scilicet ut affectus inter consanguineos, & conterraneos à propensione nimia depuretur, atque ad leges rectæ rationis, sine offensione communitatis & contemptu aliorum instituatur. Pravæ verò amicitiæ seditiosorum desendæ ac disrumpendæ, sicut adolescentium maximo studio evitandæ sunt, ac fugiendæ.

137 Damna, quæ inferunt singulares amicitiæ, tanta enumerantur, ut illæ meritò ab omnibus religiosis cœtibus eliminentur. In duplici autem sunt differentia, in primis nocent cōmunitatis, & dein cuilibet in particulari. Damna cōmunitatis sunt. 1. Fraternæ charitati, quæ maximū bonū ornamentū familiarum religiosarum censetur, gravissimum inferunt nocumentum. Nam fraterna charitas omnia cupit esse communia, labores & commoda, mutuū inter omnes amorē, benevolentiam, conversationem, sive dein sint indigenæ & alienigenæ, sive juniores & seniores, sive Clerici & Laici cujuscunque denique naturæ & genii, huic communi dilectioni è diametro se opponit particularis. Nam qui uni se se adjungit, jam ab aliis censetur habere aversionem secretam, & displicent communia opera, quin quorundam etiam sola præsentia pœnæ vel tormenti instar à particulari judicatur. Hinc gravissimam sententiam S. Basilius in particulares amiculos statuit *Serm. 1. de Instit. Mon. Si quis inventus fuerit, qui majore quadam animi propensione monachum fratrem vel propinquum, vel alium quemvis* (sive conterraneum, sive æqualem, sive juniorem & seniorem) *quavis de causa videatur diligere, hunc castigare oportebit, NB ut injurium publicæ charitatis.* Et verò ratio est; corpus enim totum conservatur in quiete, si quodlibet membrum non unum magis in particulari, quàm singula in toto sese amicabiliter complectantur & adjuvent: quia oculus impendens curam in solam manum neglecto pede successivè toti noceret corpori, & cætera omnia offenderentur membra.

2. Hujus amicitiæ damnum est violatio justitiæ in distribuendis of-

ficiis ut supra n. 131. ex S. Thoma declaratum est. Solet enim (ut P. Alvarus n. 17. apud Nigr. discurrit) *quisquis suum familiarem in potiori loco collocare, & super alios efferre. Quid nisi justitiæ & æquitatis violatio* sequitur, *dum dignus non amatus reiicitur, & indignus amatus extollitur?* hinc omnibus odiosa fit acceptio personarum.

3. Evertit disciplinam regularem & domesticam; aut enim clanculares instituuntur conventus, commessationes, & otiosa colloquia, uti fit inter juniores, aut se invicem obarmant contra ordinationem Superioris, quod faciunt seditiosi, aut denique aliorum actiones malè traducunt, lacerant famam, & ambiunt officia, sicut contingit apud consanguineos & conterraneos, aut erratorum patrocinium quærunt, & altiorem promotionem exoptant juniores à senioribus. Hæc omnia nemo non videt militare contra communem Ordinis disciplinam. Ita S. Laur. Justin. observavit infra citandus.

4. Ex particulari amicitia sequitur offensio domesticorum, & scandalum extraneorum propter malum exemplũ, quia singularitas ipsa in quovis genere rerum molesta est & odiosa. Nam juxta S. P.N. l. 3. conf. c. 8. turpis omnis pars est suo universo non congruens. Sed Religiosus est pars communitatis; Ergo si non facit ea, quæ communitas facit, non congruit universo, consequenter turpis est. Religiosa etenim communitas ex mente Ven. Petri Blesensis Serm. 50. in tribus maximè consistit, in communi dilectione fraterna, in communi substantia, in communi obedientia. Sed communione fraternæ charitatis sublata, dum singularis amor succedit, fit dilectio particularis, substantia privata, obedientia personata. Et quis observantiæ regularis studiosus est, qui conculcatas leges à sociis, conniventias à Superioribus juniori fratri factas non reprehendat non offendatur, & scandalum patiatur malis exemplis? unde fit communis querela: *huic omnia licent, quia Superiori gratus &c.* Advertunt etiam domestici, perfectè genium Superioris cognoscentes, hunc vel illum plus gratiæ apud illum valere, & dum simul debilitatem, & indignitatem probè vident, admirantur, minorémque concipiunt de Religiosis existimationem. Ad extraneos porro scandalum amicitiæ transit, quia ejusmodi socii regularum violatores effutiunt indiscretè ad amicos, consanguineos, vel familiares sæculares omnia, quæcunque per ipsos, vel per alios geruntur in Religione. Ex his, quæ vident, quæque audiunt extranei, graviora, quæ non fiunt, fieri in religiosa communitate suspicantur. Quis jam particulares amicitias communitati non noxias judi-

judicabit, si hæc alta mente perpendat?

138 Scaturiunt jam damna particularia ex damnata amicitia. Primum est *peccatum* & *periculum peccandi*, quia pridem Magnus Pontifex sapienter monuit *in pastorali p. 3. malorum, cùm incautè amicitiis jungimur, culpis ligamur.* Culparum verò istarum varia sunt genera. Linquâ committuntur per familiaria colloquia, otiosa, detractoria, murmuratoria, scurrilia, & conjuratoria. 2. Committuntur gastrimargiâ per furtivas commessationes, & apertas violationes regularium observationum, 3. Per occultas transgressiones, fædos contactus, periculosas actiones, aspectus, & cogitationes, de quibus magis expedit tacere, quàm plura ad offensionem aliorum referre. Secundum est *dispendium famæ*, & *boni nominis detrimentum* præsertim apud seniores, cùm enim hi prudentiæ ac probitatis laude multorum annorum cursu sibi comparatâ floreant, eo ipso omnem de se conceptam virtutis opinionem deperdunt, si particulari amicitiæ locum concedunt, quia à communitate se segregant, & particularibus inhærent, quod aliis est offensio, & cordium aversio. Hinc Cassianus *l. 2. coll.* 15. antiquorum Monasteriorum conversandi morem insinuat hisce verbis: *summa observantia custoditur, ne quisquam cum alio, ac præcipuè cum juniore, vel ad punctum temporis pariter substitisse, aut uspiam secessisse, vel manus suas invicem tenuisse deprehendatur.*

Tertium damnum est *retardatio perfectionis, & ablatio meriti.* Dubium non est, peccatis venialibus retardari spiritualem fervorem, quia, ut sæpe ex S. Th. probatum est, & constat ex cap. 6., *minuunt charitatem*, in qua consistit perfectio. Contingunt autem in particularibus amicitiis multi defectus veniales tum quia otiosè tempus consumitur; sensuales affectus foventur; & inutilia instituuntur colloquia: tum quia defectus proximi magis ponderantur, fama facilè læditur; observationes claustrales violantur; & spiritus orationis decrescit, cùm tamen juxta communem sensum SS. Patrum oratio fervens maximum sit adminiculum perfectionis acquirendæ. At defectus & nævos ex particulari redundantes amicitia ariditatum in oratione causas esse, ex doctrina SS. PP. & Spiritualium Magistrorum suprà num. 114. ostendimus; proin decrescente Orationis fervore minui Spiritum, & retardari profectum, clarum est. Dein singularis amor creaturæ repugnat amori di-divino, *minùs* quippe *te Deus amat*, exclamat Cherubicus Doctor noster *l. 10. conf. c. 29. qui tecum aliquid amat, quod non propter te amat.* Nam *solet amorem amor expungere*, terrenum cælestis, vel vicissim cælestem terrenus, uti asserit S. Bernardus *Serm. 13. in cant.* In scala verò

claust. §. 17. persequitur amatores singulares, iisque obtrudit divini Sponsi zelum, qui, sicut solus adorari, sibique soli serviri præcipit, ita solus amari cupit: *Zelotypus est Sponsus iste, si fortè alium amatorem receperis, si alii magis placere studueris, statim discedet à te, & aliis adhærebit adolescentulis.* Certum est humanum cor impar esse duobus summis amoribus, consequenter aut Deus non summè amatur *ex toto corde, anima, mente, intellectu, virtute, fortitudine, viribus omnibus*, quia cor ex altera parte particulari amico donatur.

Meritum quoque aufert particularis amor juxta S. Th. 2. 2. Q. 27. a. 7. ad 1. asserentem, quòd *tunc dilectio amicorum apud Deum mercedem non habeat, quando propter hoc solùm amantur, quia amici.* Sed sensuales & particulares amici solùm sese amant, quia amici, quia invicem affectus communicant, invicem temporalia emolumenta exoptant. Hinc in eos illud Christi effatum *Matth. 5. Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem habebitis?* observavit istud Magnus Pontifex *hom. 27. in Evang.* Ubi particulares amiculos ob impensum amorem à mercede cælesti excludit. *Sunt nonnulli*, inquit, *qui diligunt proximos, sed per affectum cognationis & carnis, quibus tamen in hac dilectione sacra elogia non contradicunt: sed aliud est, quod sponte impenditur natura, aliud quod præceptis dominicis ex charitate debetur obedientia. Hi nimirum & proximum diligunt, & tamen illa sublimia dilectionis præmia non assequuntur, quia amorem suum non spiritualiter, sed carnaliter impendunt.* Ita quoque à Christo in quadam visione edocta S. Mar. Magdalena de Pazzis asseruit, quod *ille, qui exercet charitatem procedentem à natura tantùm, & ex instinctu virtutis moralis* (præcisè propter honestatem, utilitatem, congruentiam, vel laudabilitatem) *non consequetur meritum veræ charitatis: quia vera charitas fundatur in amore divino, & in exercitiis, quæ solùm fiunt propter Deum. p. 4. vitæ c. 26.* Huic malo accedit, quòd particulari amicitia impediatur influxus divinarum gratiarum. Si enim Apostoli copiosiores Spiritûs S. gratias recipere non potuissent ante discessum divini Magistri, cujus carni sensibili cum affectu inhærebant, uti habet S. Bernardus *Serm. 3. de Ascens.* & S. Chrysostomus *hom. 1. in acta* hoc impedimentum observavit: quomodo tu alterius amicitiæ inhærens divina dona *te putas suscipere*, (sunt verba S. Bernardi l. c.) *nisi carneis istis consolationibus funditùs renunciare tentaveris?* S. Th. *in 3. distinct. 22. Q. 3. a. 1. ad 3.* Apostolorum dilectionem erga Christum cælestium charismatum impedimentum fuisse annotavit, atque hinc necessarium fuisse, antequam Spiritus S. veniret,

ret, quòd Christus discederet ex hoc mundo: *corporalis* enim *præsentia Christi discipulis suis poterat esse nociva, quantùm ad dilectionem, quia eum non solùm spiritualiter, sed etiam carnaliter diligebant, conversantes cum ipso corporaliter.* Sat claris verbis sensualem amorem cælestium donorum influxum impedire & sistere ipse cælestis Magister docuit, quando suum è mundo discessum discipulis aperuit, & piè mœrentibus necessitatem mortis opposuit: *expedit vobis, ut ego vadam, si enim non abiero, Paraclitus non veniet ad vos, si autem abiero, mittam eum ad vos Joan.* 16. Notanda est hìc doctrina aurei Oratoris l. c. *Quid proderit, quòd aliquem vehementer amas? humana est ista dilectio, si verò non est humana, sed propter Deum diligis, dilige omnes.*

139 Progredimur nunc ad indaganda indicia perniciosæ amicitiæ, cujus latebras ac tenebras perscrutandi triplex occurrit difficultas. 1. Quia summopere à suis fautoribus tegitur, & à Superioribus absconditur. Si igitur medico non patet morbus, quomodo medebitur? 2. Quia pallium virtutis induit, & extrinsecus ovinam pellem refert, ut interiorem lupi naturam contegat. Æmulatur virtutem, ut vitium nequitiæ pallio tutiùs foveat. 3. Quia communis generis humani hostis obsistit; docet, hortatur, juvat cultores amicitiarum ad occultandum affectum, congressus, familiaritatem, rémque totam illis, qui morbum curare possunt. Sed ad eludendas infernalis impostoris technas remedium optimum erit totum pectus spirituali Patri aperire, vel Superiorem consiliorum, & arcanorum reddere conscium. Si unquam versipellis inimicus fraudes ponit, & virtutem simulat, in particulari amicitia carnalem affectum cum fraterna charitate confundit. Quod egregiè exemplis & verbis demonstrat M. Gregorius *l.* 3. *Mor. c.* 19. asserens, *antiquum hostem, quo in vitiis* (& præsertim particularibus amicitiis) *fortiùs deprehendi se conspicit, eò illa sub virtutum imagine altiùs abscondere.* Nempe ars tota, & labor illius eò dirigitur, ut ne vitium, esse vitium cognoscatur. Quapropter conatur quoque magistros fallere, ne distinguant falsam, vilem, vitiosam amicitiam à vera, sincera sancta charitate, cujus splendore ac specie coloratam illam, tectámque objecit. In universum de hac fraude, per quam iniicit caliginem oculis magistrorum. S. Ephræm, *honestatis osor*, inquit *nos tentans res confundit, ne mentis imperio distingui possit inter bonum & malum.* Quapropter magistros oportet habere oculos accutos ac perspicaces, eósque aperire, atque in excubiis quodammodo collocare. *Ita P. Nigr. c.* 6. *n.* 43. *&* 44.

Quin-

Quin, quod vitiosas familiaritates investigandi difficultatem triplicem hanc notabiliter adauget, experimento didicêre quidam Patres spirituales, ab ejusmodi consodalibus malis ipsos quoque Confessarios mutari, & tales conquiri, qui unius ex consociatis genio magis arrident, minúsque dissolvendo amicitiæ vinculo apti videntur. Et si quis fortè erga suum P. Spiritualem pio affectu adhuc feratur, tandem in gratiam chari sodalis, & ne etiam in hoc puncto ab eo dissentiat, pessima fit mutatio in evidentem animarum ruinam, & morum, vel regularis disciplinæ discrimen. Hæc de difficultate triplici detegendi privatas familiaritates.

140 Transmissis indiciis in notitiam amiculorum irretitorum veniendi, quæ Superioribus subministrantur, ex Seraphico Doctore Bonaventura *l. de proc. relig. n. 6. c. 16.* pro illis, qui vel fraude inducti, vel proximè inducendi existunt, aliqua hic appono discrimina spiritualis, & carnalis amoris, atque ab hoc proficiscentis pestilentis amicitiæ.

Primum itaque indicium vitiatæ familiaritatis est quædam cupiditas insatiabilis colloquendi cum amato remotis arbitris, sine modo, sine necessitate, sine rationabili causa, sine respectu ad regulares ordinationes colloquium certo tempore prohibentes. Sic nempe vesanus amator *pauca de spiritualibus, & plurima de inutilibus confabulationibus, & maximè de mutua dilectione insatiabiliter ruminat, ita quòd ad hujusmodi colloquia non sufficiant horæ, non dies, non qualibet tempora, sed semper, cùm convenire possunt, copiosam habent materiam loquendi indesinenter.* Ita Seraphicus D.

2. Est *insolentia gestuum, & motuum*, scilicet mutui aspectus, contactus, amplexus, blanditiæ, & universim omnia ea, quæ à viris prudentibus & spiritualibus reprehensione digna censurantur, & quibus quis abstineret præ pudore coram aliis præsentibus. Ubi enim *actus reprehensibilis subsequitur, restat, ut ipsius dilectionis integritas violetur*, censore Cassiodoro *L. de amic. §. ficut.*

3. *Inquietudo cordis, quando sunt absentes, cogitando de invicem*, quando scilicet nascuntur cogitationes variæ tum de habita conversatione cum amato, tum de futuris colloquiis, quibus impeditur animus, ne meditationibus, spiritualibus exercitiis, aut officiis injunctis incumbere valeat, sed potiùs non adeò honestis, & sanctis desideriis (S. Laurentius Justinianus *desiderium turpe*, alii *cogitationes obscænas*, vel *minùs pudicas* vocitant) diffluit, unde pravatæ benevolentiæ argumentum clarissimum sumpsit ex SS. Antonino, Laurentio Justiniano, & Cassiodoro cum P. Jacobo Alvaro Nigronus l. c. n. 49.

4. In-

4. Inquietudinem cordis sequitur *impatientia, vel invidia condilecti sui, si aliquem secum diligat.* Zelotypia hæc est charitati veræ; quæ *patiens* & *benigna* est, *nec æmulatur*, directè contraria, atque hinc amicitiam genuinam deturpat,& haud exiguis involvit incommodis,quia

5. Nascitur tunc *ira*, *& conturbatio.* Explicantur hæc dno indicia hoc modo: *Ira* locum acquirit, quia cum amoris vehementia certat. Quemadmodum enim amantes colloquendo, blandiendo, invicem obsequendo, & dilectionis signa exhibendo excedunt rectæ rationis limites; ita interdum irascendo, malè sentiendo, & detestando non observant modum. Proin turbato judicio rationis sequuntur querelæ, improperia beneficiorum, juratoriæ etiam promissiones de benevolentia imposterum, deserenda, secretorum propalationes, maledictiones, & desperationes, quæ omnia *conturbationem* excitant in animo, quem diu noctúque quiescere non sinunt, quamdiu exstat amati memoria.

6. Indicium continet *munuscula, dulces literas*, & multiplices benevolentiam contestandi modos, quæ omnia S. charitas aversatur apud S. Hieronymum *Epist.* 2. *ad. Nepot.*

7. Solent inordinati amici vitia sua invicem inordinatè defendere, excusare, dissimulare, & juncta acie contra reprehensores agere. Corrigat superior Pilladem, & mox querentem audiet Orestem. Adjuvant nempe hi in malo, quia obsistunt in bono. Et quis inde ruinam totius Regularis Ordinis non provideat, nisi tempestivè obvietur malo?

8. Indicium non bene ordinatæ amicitiæ est amor affectûs,non rationis, id est, malè amat, qui solis naturæ dotibus captus amat; censetur enim magis amare alterius fortunam, nobilitatem, ingenii felicitatem, vocis suavitatem, juventutis florem, & vultûs decorem, quàm animam (Dei imaginem)& salutem æternam, vel virtutes. Hinc Cassiodorus universalem statuit regulam *l. cit.* §. *similis.* dignoscendi amorem,utrum ex affectu naturali, vel virtute proveniat, asseritque, *amari aliquem ex solo affectu naturali, quando diligendum externa habitudine arbitratur.* h. e. ut explicat §. *de naturali. Si forma elegantior, si sermo urbanior fuerit, si competentior habitus, si maturus incessus. &c.*

9. Indicium sunt mala consilia amicorum in perniciem Regulæ, statutorum, & præceptorum à superioribus latorum. Talia habentur prava consilia, jussa superiorum nihil æstimare, ab iis cuncta abscondere, virtutes simulare exteriùs, communes labores fugere, pios confratres tanquam contrarios aversari, spiritualem Patrem mu-

mutare, perfectionis spiritualis curam deponere, leges Ordinis reputare nimis arduas, sensibus laxare habenas. &c. Hæc nimirum mali socii sunt monita, sunt voces, sunt maximæ.

10. Malæ amicitiæ indicium est publica fama, omnium vel plurium in communitate aliqua vox, & publica aliorum offensio: minùs certè ordinata erit tua familiaritas cum altero, si per totum serpit cænobium, *te esse plus æquo huic vel illi addictum*, hic enim illud locum habet: *vox populi vox Dei*. Probabilissimum (concludit P. Nigronus c. 7.) argumentum est, amicitiam hanc tuam esse malam (tametsi tu id non agnoscis) quam totius fraternitatis sensus, & consensus damnat, vituperat, abominatur, atque in ea scandalum patitur. Indicia hæc perspicaciter fuit complexus S. Laurentius Justinianus, ut infrà videbimus. Quando igitur unum, alterúmve, aut plura ex enumeratis indicia deprehendis in socio, vel *putatitio amico* tuo, non veræ amicitiæ signa, sed cum S. P. N. *l. 2. conf. c. 2. exhalationes nebulosas de limosa concupiscentia carnis* crede; fuge, & extrica te his laqueis, atque sequentia adhibe remedia.

141 Remedia præscribuntur in duplici differentia, aliqua enim sunt *præservantia* pro iis, qui adhuc à malo familiaritatis noxiæ sunt liberi, & alia *purgantia* pro infectis. Illis igitur hæc quinque monita, ceu valida porriguntur antidota.

1. Illectus omnem respuat invitationem ab altero factam, tanquam illecebram rei periculosæ, & suspectæ: proin caparatâ fronte sollicitantis ad tales amicitias sodalis verba percipe, & *torvo eum aspectu intuere, ut bonum in te fundamentum jactum intelligat, sicque aut suam improbam mentem mutet, aut à te recedat*, docente *S. Ephræm. c. 48. apud Nigr. c. 8. n. 56.* Hinc memor esto aphorismi Hippocratici pro medicina morali & spirituali à S. S. P. P. approbati: *Principiis obsta.*

2. Fuge consortia pravorum seu minùs perfectorum in conversatione domestica, quales etiam in congregationibus sanctissimis deesse nunquam solent S. S. P. N. Bernardi & Bonaventuræ testimoniis, ad exercitationem proborum ac perfectorum. Tales autem, ut agnoscere possis ita describit S. Bernardus *serm. 6. de ascens. Sanè invenire est homines pusillanimes, & remissos, deficientes sub onere, virga & calcaribus indigentes, quorum remissa lætitia, pusillanimis tristitia est: quorum brevis, & rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio; quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine ædificatione; quos denique, ut videmus, vix gehennæ metus inhibet, vix pudor cohibet, vix frenat ratio, vix disciplina coërcet &c.*

&c. Iſtorum proin converſationem peculiarem, colloquia minùs neceſſaria (ſalvâ domeſticâ diſciplinâ, & fraternæ charitatis exhibitione) mutua obſequia, & frequentes congreſſus ſtudiosè devita ſi laqueos iſtius generis evadere velis.

3. Affectus tuos intimè perſcrutare, examina, & quò tendant, vel magis propendeant, animadverte. Nam affectus, ſive *dulcis illa animi inflexio* uti ſuprà num. 130. ſub *dicitur* 3.) vel ad ſimilitudinem indolis, ætatis & morum tendit, vel mutuo uſu & conſuetudine quotidiana gaudet, aut naturæ proclivitatem ſequitur, atque exin *intrinſeca cauſa* eſt damnoſæ amicitiæ. Ordinato igitur, & coercito affectu, inordinatá haud incurres familiaritatem. Solent etiam affectum provocare accepta munuſcula, aſſentationes, blandimenta, & adulationes ſimulatorum laudatorum, quæ maximæ illecebræ ſunt junioribus, qui propter teneritudinem indolis, & nondum radicatæ humilitatis defectum laudari appetunt.

4. Accuratus eſto obſervator ordinis tam *communis*, ſive diſciplinæ regularis à Superioribus præſcriptæ, quàm *particularis*, ſive vitæ, de quo ordine utroque infrà Cap. X. plura, ubi de obſervationibus clauſtralibus tractabimus. Sanè ſtudioſus actionum ſuarum ſecundùm ordinem ſuccedentium obſervator non habet tempus vacuum, quod cum peculiaribus amiculis conſumat, & colloquiis blandis, furtivis conventiculis, aut prohibitis commeſſationibus conterat.

5. Efficax denique remedium habetur frequens conſideratio damnorum, quæ afferunt particulares amicitiæ, periculorum, in quæ conjiciuntur incauti, amaritudinis & doloris, quem pariunt breves familiaritatis diſſolutiones. Solet autem avernalis inimicus illos ipſos, qui voluptatis gratiâ ſocietatem contraxerunt, ſejungere, & diſcordes reddere, ut magis in profundum vitiorum ruant, vel cum aliis periculoſiorem familiaritatem ineant, prout obſervavit S. Ephræm. t. 2. in doct. var. c.29. ita concludens: *poſteaquam ſuam ipſi* (amici peculiares) *damnârint improbitatem, tantum ſæpe odium auget* (verſipellis hoſtis) *ut abjiciant brevem illam, diſcordémque concordiam.* Scilicet juxta ſapientis Eccleſiaſtici monitum c. 6. *eſt amicus, qui convertitur ad inimicitiam, & eſt amicus, qui odium & rixam, & convitia denudabit.*

Hæc, & hic paucis oſtenſa damna, incommoditates, ſpirituales ruinas, & pericula ſi altiùs conſideres, chariſſime Tyro, nonne abſterrebunt mentem tuam, ne tam faciles des manus ſolicitantibus te, neque tam periculoſis laqueis ſtringi ſinas libertatem tuam? Mor-

bum aversaris, pestem fugis, sanitatem amas: particularis amicitia morbus, & pestis religiosæ communitatis demonstratur, cur non declines à malo?

Eadem quidem sunt remedia pro illaqueatis, sed addenda veniunt ex P. Nigrono sequentia.

1. Malo tuo edoctus absque ulteriori mora amicitiam abrumpe, neque timeas secretorum proditiones. Quin nec ad servandum pactum, vel conjurationis fœdus etsi juramento obfirmatum, obligaris, quia juxta S. Augustinum apud Gratianum c. *Quanto de jurejurando 22. quæst. 4. juramentum non ob hoc fuisse institutum invenitur; ut esset vinculum iniquitatis.* Hinc Bonifacius VIII. c. non est, de reg. juris in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum.* Probant enim Theologi apud Suarez *to. 2. de Relig. l. 2. de jura. c. 15.* & *tract. de Virt. c. 7. juramentum illicitum* (id est de re illicita) *nullatenus esse observandum: neque obligare juramentum promissorium de actu, vel omissione culpam mortalem vel venialem includente, neque de actu indifferenti, prout indifferens est: neque quod est contra bonos mores naturales, aut bonum commune.* Porro juramenta hæc, quibus se interdum amiculi isti adstringunt, promittentes se non patefacturos, neque sodalitatem contractam, neque sociorum nomina, neque res, quæ inter sodales geruntur, iis potissimùm, qui cœnobium aut ordinem regunt, inania esse, quis non videt? sunt enim contraria communi bono, quod læditur his amicitiis, utpote quæ res sunt noxiæ vel peccatum grave continentes, vel certè leve cum periculo gravium, bonos mores corrumpentes, disciplinæ regularis vigorem enervantes, proin extirpandæ. Quin non tantùm non obligari potest aliquis ad servandum, illicitum juramentum, sed cogitur ad non servandum, quia illud tanquam illicitum sive ratione materiæ, sive pacti servare, & implere novum peccatum est. Hinc S. Isidorus apud Gratianum *c. in malis 22. Q. 4.* absolutè statuit: *in malis promissis rescindatur fides; impia enim est promissio, quæ scelere impletur.*

2. Quantociùs & maturè vincula familiaritatis disrumpe, antequam in discordiam, odium, alterationes improperia, detestationes, maledicta, clamores, vituperia, proditiones secretorum, & maximas offensiones abeat: hæc enim omnia mala tempestivè antevertenda sunt. Quare

3. Ponderanda sunt seriò incommoda, quorum incurrendorum proximum subis periculum, ubi captus es à malo socio. Hinc illud effatum Christi menti tuæ altiùs imprime Matth. 18. Si manus tua, vel pes tuus scandalizat te, abscinde eum & proiice abs te, &c. & si oculus tuus scandalizat te, erue eum,

eum, & proiice abs te &c. quod in metaphorico, moralíque sensu de noxiis amicitiis, nos alienantibus à Deo, juxta SS. Patres intelligendum est. Ita aureus Orator hom. 1. advent. exponit: *Si amicitia detrimento sint, & ad Societatem suæ impietatis invitent, recedendum, resiliendúmque est. Præstat enim, si quem amicum habeas etiam charum perinde ac tuum oculum, eum quoque reiicere, & à tua præscindere familiaritate, si modo te scandalizet, hoc est, noceat animæ.* Ita etiam Theophylactus hunc locum à Christo intelligi vult, per manum, pedem, & oculos, amicos, quos membrorum loco habemus. Etenim si hi tales fuerint, qui nobis noceant, hoc est, si familiares amici fuerint, oportet contemnere eos, ut membra putrida, & exsecare, ne aliis noceant.

Egregiè in rem nostram disserit Augustus Doctor noster *l. 1. de Serm. Dom. in monte. c. 24.* supra illum locum *Matt. 5.* „Hic magna „opus est fortitudine ad membra „præcidenda; quicquid enim est, „quod significat *oculos*, sine dubio „tale est, quod vehementer diligi„tur. Solet enim & ab eis, qui „vehementer volunt exprimere „dilectionem suam, ita dici; diligo „eum, ut oculos meos, aut etiam „plus quàm oculos meos. Quod „autem additum est *dexter*, fortasse „ad augendam vim dilectionis va„let, ut ipse sit sensus. Quicquid „illud est, quod ita diligis, ut pro „*dextro oculo* habeas, *si scandalizat te*, „id est, si tibi impedimento est ad „veram beatitudinem, *erue illud, &* „*proiice abs te.* Sed quoniam se„quitur de *manu dextra*, & similiter „dicitur, si scandalizat te, *abscinde* „*eam, & proiice abs te*: cogit quærere „diligentiùs, quid dixerit oculum. „In qua quæstione nihil mihi oc„currit congruentius, quàm dile„ctissimum amicum. Nam hoc „est utique, quod membrum rectè „possumus appellare, quod vehe„menter diligimus. &c.

Quæres 1. Quales leges ergo, 142
& regulas observes, ut in communitate, vel religioso contubernio piè, quietè, & pacificè omnibus convivere valeas?

R. Varia dari monita à SS. PP. & Magistris spiritualibus. Ego aliqua hic refero:

1. Nemini te multum familiarem ostendas, quia nimia familiaritas parit contemptum, & subtractionis à studio materiam ministrat: ita Doctor Ang. opusc. 68.

2. Esto omnibus benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus. Ita D. Seraphicus P. 2. spec. c. 6.

3. Cum amico ita age, quasi paulo post esset futurus inimicus. Proin totam mentem nunquam effundas, nec ea facias, quæ coram viro honesto gravi, & rerum perito facere erubesceres. Ita S.P.N. Epist. 15. ad Hieron.

4. Ita de omnibus loquere, acsi omnium judicio salvandus.

5. Quorum tua non interest, ea dissimula, &, si apertè mala forent, quæ vides, & audis, superiori denuntianda relinque, & omnia meliorem in partem interpretare.

6. Perfectorum consortio fruere, & à verbis eorum non avertas aurem tuam, & in eorum consilio delectetur anima tua.

7. Econtra devita socios superbos, invidos, detractores, mendaces, & salutem suam negligentes, qui mortui sunt virtutibus, & lætantur in propriis voluntatibus. Ita S. P. N. l. de Salut. docum c. 44.

8. Humilitatem præcipuè conserva: ab omnibus doceri cupias; omnibus servire non erubescas: te inferiorem ac deteriorem neminem crede:

9. Tria Religiosum quemlibet decent, pauca loqui, paucos habere familiares, & multum orare. Ita S. Bernard. in Spec. Mon.

10. In omnibus communia propriis, non propria comunibus antepone. Sic enim in omnibus, quibus utitur transitura necessitas, supereminebit, quæ permanet, charitas. Ita S. P. N. in Reg. c. 7.

Hæc, si ritè observes monita, charissime, pacificè cum tuis contubernalibus vives, & plures numerabis amicos, quàm si pluribus familiarem te reddis, qui animũ & affectus tuos subdolè perscrutantes, & facilè proclivitatem eorundem animadvertentes ad malum te pertrahere tentant etiam sub velemento sanctitatis ac devotionis. Coronis sit gnome Ascetæ Kempensis *l. 1. de imit. c. 8. charitas habenda est ad omnes, sed familiaritas non expedit.*

Quæres 2. an non liceat contra- 143
here ullam in religiosa communitate amicitiam? & unde dignoscantur veræ, & spirituales amicitiæ?

R. 1. Admittendas esse amicitias, quæ non tantùm sint morales à Platone, Aristotele, Cicerone, aliisque Philosophis laudatæ, & à SS. Ambrosio, Augustino, Bernardo optatæ, sed etiam spirituales inter probos & religiosos celebratæ. Tales etenim amicitiæ certis conditionibus circumscriptæ, non solùm sunt laudabiles, & profectum in virtutibus promovent, verùm spiritum quoque jucundè excitant, in tristitia solatium affundunt, & prosunt bono publico, quod egregiè sustentant viri probi in commodum vel statûs civilis, vel regularis disciplinæ servandæ conspirantes. Primum probatur à virtutibus, quæ cum amicitia conjunctæ sunt, atque adeo laudabiles. *Non est* enim *vera amicitia* ex mente S. P. N. l. 4. conf. c. 4., *nisi cùm eam Deus tu agglutinas inter inhærentes tibi charitate diffusa in cordibus nostris per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.* Certum planè est amicitiam

&

& virtutem divelli non posse, quia *non potest homini amicus esse, qui Deo fuerit infidus. Pietatis custos amicitiæ est, & æqualitatis magistra, ut Superior inferiori se exhibeat æqualem, inferior superiori. Inter dispares enim mores non potest esse amicitia, & ideo conveni-re sibi utrinsque debet gratia.* S. Ambrosius *l.* 3. *Offic. c.* 16. Probat etiam Cassianus *coll.* 16. *c.* 5. hanc Sententiam, & ita de amicitia disputationem concludit: *vera concordia, & individua societas nisi inter emendatos mores; ejusdemque virtutis ac propositi viros stare non potest.*

Probatur 2. à Doctore mellifluo tract. de Pass. Dom. c. 10. spiritualem profectum maximè augeri religiosa familiaritate, quia charitas mutua ad devotionem, ad Religionis ministeria, ad propria studia vehementer solet accendere. *Hoc enim est efficax signum veræ & puræ charitatis; quod hi, qui spirituali dilectione spiritualiter connectuntur per puram charitatem, ad exercitia spiritualia alterutrum accendunt, ut devotius orare, sæpiùs genuflectere, frequentius disciplinam corporalem suscipere libeat &c.*

Probatur 3. à S. Ambrosio *l.* 3. *off. c.* 16. Spiritum excitari adhortatione fidelis amici: *Solatium quippe,* ait, *vitæ hujus est, ut habeas, cui pectus aperias tuum; cum quo arcana participes; cui committas secretum pectoris: ut colloces tibi fidelem virum, qui in prosperis gratuletur tibi, in tristibus compatiatur, in persecutionibus adhortetur.* Ita quoque consentit insignis Asceta Petrus Blesensis, ubi de amicitia spirituali c. 2. fusiùs agit, *nihil* est, *inquit, in rebus humanis amicitia dulcius, nihil invenitur suavius, nihil fructuosius conservatur. Habet enim fructum vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Homo sine amico non habet, cui vota & affectus suos communicet, cui conscientia sua sinum aperiat, vel aliquid de molestiis suis manifestet, solus est, qui sine amico est. Vere solus, quia, si ceciderit, non habet sublevantem. E diverso quanta est jucunditas, quanta securitas habere, cum quo loquaris, quasi tecum, cui cordis tui arcanum committere audeas, quem in tuis secretioribus habeas quasi teipsum; cui omnia tua plena securitate reveles?* Agnovit quoque familiaritatis spiritualis bonum S. Laurent. Justin. sæpe cit. c. 22. quando asseruit. *Proximorum conversationem, & socialem vitam delectabile bonum esse, & multorum laborum levamen, si prudenter agatur. Hanc enim virtuosè adipisci non valet, qui proximum, sicut mandavit Dominus, diligere nescit.* Unde etiam probat, sine virtutibus illam haud subsistere posse.

Probatur 4. In bonum commune cedere proborum amicitias, quia Superiores cum subditis, juniores cum senioribus, & omnes invicem concordantes communem disciplinã conservant. Quodsi aliqui ad laxitatem inclinantes, & peculiarem familiaritatem foventes bonum deserant communitatis, ad illud tuendum vel maximè prosunt,

profunt, qui junctis viribus adversùs rebelles, & publicam disciplinam disturbantes sanctiorem ineunt concordiam pro augenda devotione, pro ritè obeundis divinis mysteriis, pro inflammando spiritu, pro laudabilibus studiis insigniter promovendis.

144 R. 2. Non tantùm ex indiciis n. 140. sat clarè dignosci posse veram, spiritualem, & licitam amicitiam, sed etiam ex S. D. nostro quædam dari documenta *l. de am. c. 18*, ubi quatuor assignantur qualitates ad amicitiam licitam requisitæ. Ita differit loco citato, vel quisquis demũ tractatûs istius Author fuerit: *quatuor verum faciunt amicum; fides, intentio, discretio, patientia*: Fides, *ut ei te securè committas.* Intentio, *ut nihil ex amicitia, nisi Deum, & naturale ejus bonum exspectes, non enim, ut ait Ambrosius, vectigalis est amicitia, sed plena decoris: gratia virtus est, non quæstûs, quia pecunia non potitur, sed gratia: nec licitatione pretiorum, sed concertatione benevolentiæ.* Discretio, *ut quid præstandum amico, quid ab eo petendum, in quibus contristandum, in quibus amico congratulandum, pro quibus eum corripiendum, modum tempus, & locum non ignorare.* Patientia verò, *ne correptus doleat, ne corripientem contemnat, vel odiat, ut eum pro amico qualibet adversa sustinere non pigeat. &c.*

Cùm itaque amicitiam hisce qualitatibus circumornatam tanquam virtutem agnoscat, gradus ejusdem, & perfectiones quoque exprimit eodem *l. de amic. c. 12. Quatuor sunt gradus, quibus ad perfectionem amicitiæ conscenditur: quorum primus est electio; secundus probatio: tertius admissio: quartus rerum divinarum & humanarum cum quadam charitate & benevolentia summa consensio. Sunt vitia quædam, quibus, si quis fuerit involutus, non diu leges amicitiæ vel jura servabit: non enim ad amicitiam sunt idonei nimis iracundi, instabiles, suspiciosi, verbosi, quæ quatuor in electione amici notanda sunt.*

Porro ex S. Laurentio Justiniano veræ amicitiæ nota desumitur, quando ista est regulata ab amore in Deum, & à propria dilectione; cùm sententia Divini Magistri sit: „*diliges proximum tuum sicut teipsum.* „*Deut. 6.* Prius diligat se; deinde „proximum sicut se, quicunque „proximi utile & Deo gratum „vult habere consortium. Qui „enim non se diligit, quomo„do fratrem suum diligere poterit „sicut se? qui verò fratrem suum „non diligit, prout amare debet, „neque ipsius conversationem „virtuosè obtinere valebit. Quis verò seipsum verè diligere censendus sit, paulò infra hisce explicat:

„Ille solus seipsum diligere æsti„mandus est, qui corporalibus sen„sibus denegat lenocinia; qui car„nalibus voluptatibus lora restrin„git; qui contra vitia & delicta re„pugnat acriter: qui virtutes ap„petens, de iis, Deo grata sunt, nihil

„nihil negligit; qui cælestia diligens, Deo adhærere per amoris „vinculum toto corde concupiscit. Qui talis est, supernæ gratiæ „splendore illustratus, seipsum diligere novit, & illi, sicut se proximum diligere mandatur. Huic „verò amare, diligenti se, & sic „proximorum, sicut sua propria „quærenti spiritualia lucra, nequaquam interdicenda est, proximorum conversatio, sed suadenda, & injungenda. Absque sui „detrimento multorum profectibus hic auctor esse potest. Liberè „namque in omni tempore cum „omnibus conversari valebit. &c.

145 Constat igitur tam ex S. Augustino, quàm ex S. Patriarcha Laurentio illam veram spiritualem esse amicitiam, quam securam reddit amici fidelitas; quam comitatur bona intentio: quam exornat prudens discretio; quam conservat in prosperis & adversis sancta patientia; quam denique agglutinat dilectio à cælesti Magistro præscripta, quæ est mensura amicitiæ veræ, ac spiritualis. Sed ecce! concludam præsentem articulum graphica descriptione malæ societatis, carnalis amicitiæ, & noxiæ familiaritatis, quam S. Doctor noster exhibet *L. de am. c. 3.* vel illius tractatus auctor, certè talis, qui illuminatissimo Augustino accenseri promeritus est. Rectè proin appellatur particularis Socius

INIMICUS AMICUS.

QUia tot damna infert communitati, quot bona privata quærit: toties ruinam & perniciem intentat, quoties cum amico Catilina conjurat. Tot nempe infligit vulnera, quot blanda figit oscula. Cælestem aufert gratiam; ubi tantùm exhibet humanam. Perimit animam, dum vehementer afficit, stringit, & blandiùs allicit animum. Non est personæ, sed prosperitatis amicus, quem fortuna tenet dulcis, acerba fugat. *Inimicus* est appellandus, judicio sapientissimi *Eccles. 6.* qui *est amicus secundùm tempus, & non permanebit in tempore tribulationis.* Tolle spem quæstûs, & statim desinet esse amicus. Atque *amicitiam*, quæ semper est plena fraudis, & fallaciæ, quæ cum fortuna mutatur & sequitur marsupium, nonne rectiùs *inimicitiam* dixeris? Sed quid meliùs sentiendum de carnali amicitia, cujus exordium ab affectione procedit? „Hæc „instar meretricis divaricat pedes „suos omni transeunti, sequens „aures & oculos suos per varia „fornicantes: per ipsorum aditus „usque ad ipsam mentem pulchriorum corporum, vel rerum voluptuosarum infertur imago, qui-„bus

„bus ad libitum frui putat esse verum, sed sine socio minùs putat „esse jucundum. Tunc motu, „nutu, verbis, obsequiis ab animo „captivatur, & accenditur unus ab „altero, & conterminantur in „unum, & unico fœdere misera- „bili, quidquid sceleris, quidquid „sacrilegii est, alter agat, & patia- „tur ab altero; nihílque hac ami- „citia dulcius arbitrantur, vel judi- „cant justius: idem velle, & idem „nolle sibi existimantes amicitiæ „legibus imperari. Hæc amicitia „nec deliberatione suscipitur, nec „judicio probatur, nec regitur rati- „one, sed secundum impetum affe- „ctionis per diversa raptatur: non „modum servans, non honesta „procurans, non commoda, in- „commodave prospiciens, sed ad „omnia inconsideratè, indiscretè, „leviter, immoderatéque progre- „diens. Idcirco quibus agitata „furiis à semetipsa consumitur, ea- „dem levitate resolvitur, qua con- „trahitur.

S. Venetiarum Patriarcha simili descriptione complectitur particulares amicitias secundùm omnes prope species, cujus documenta ascetica ab omnibus summe æstimantur Magistris, & à me hic ex ipso hausta fonte propinantur, quæ sparsim ab aliis per extractos textus tantum afferuntur: verum enim mihi hoc loco est illud Poetæ. *Puriùs ex ipso fonte bibuntur aquæ.* Ita Sanctus Præsul l. sæpe cit. *de convers. mon. c.* 22. Malos amicos describere orditur, & prosequitur.

Qui cum discolis conversari voluerit, procul dubio fiet illorum similis. Multorum namque, & specialiter obtrectantium, & impudicorum aspernenda sunt consortia, quia inficiunt sibi adhærentium animos: secum etenim gerunt lethale venenum, & simplicium animas valido perditionis mucrone confodiunt. *Ecce! inchoat descriptionem propriam conterraneorum, & sub his consanguineorum, ac etiam tertiam speciem præcipuè conspirantium & seditiosorum.* Semper hujusmodi discurrunt, semper similium consortia quæritant: in angulis, in latibulis, silentii tempore ut plurimum confabulari appetunt, & absentium vitam lacerare non desinunt; & tanquam ipsis non sufficiat propria perditio, alios secum damnare conentur. Nil autem perniciosius detractore in collegiis justorum. Dissipat namque charitatem, dissolvit unitatem humilitatem fugat, pacem turbat rixas parit, nutrit discordias, lites movet, odia generat, & omnem dirimit sanctitatem. &c. *Pergit tandem ad quartæ & quintæ speciei amiculorum descriptionem, dum prosequitur.* O! quot multi sub specie charitatis seducuntur, & seducunt! O quanti simulata pereunt dilectione! Heu quàm multi in principio purè, & sine deceptione conver-

fantes, ex nimia familiaritate paulatim infecti in immane præcipitium dilapsi sunt, eò miserabiliùs, quò fœdius! Sub veræ charitatis namque prætextu in tales subintrat amor sensualitatis; aliter enim nequaquam decipi possent. Hic amor (*en! signa & indicia pravæ societatis clarè adducit*) cùm in corde imprudentis exortus radices mittere, ac pullulare cœperit, corporalem quærit dilecti præsentiam, cum eodem cohabitare, cũ eodẽ loqui desiderat. Sicut autẽ ex ipsius gaudet aspectu, ita absentia contristatur. Solus vult cũ eo, quem sensualiter diligit, loqui; solus cũ eo conversari, quia in illius mente habitare jam cœpit. Livore quippe invidiæ accenditur, si quempiam ab eodem diligi, & cum eodem conversari perspexerit. Absentiam etiam ipsius magnam sibi delectationis jacturam existimat. Sicut enim amat singulariter, ita & amari vult: atque cæco seductus errore ignorat se vesano amore percussum. Passione namque victus ducitur intuitus, & tyrannicè superatus ad opera carnis quadam (ut ita dicam) necessitate abstractus, & illectus: ac intentione quadam latenter palliata, & pollita seductus, ut suum valeat assequi appetitum, Patrum ordinationes frangit; Monasterii institutiones non observat; Silentia parvi pendit; Orationem postponit; cellulæ secretam quietem negligit; & intus nihilominus stimulante, & urente conscientiâ velut amens post suam totus trahitur concupiscentiam. De verbis & actuis mutuis, de cogitationibus obscænis tacendum est, quæ sub colore charitatis omnia ex inordinata paulatim familiaritate generantur. De talibus dicit Apostolus *ad Gal.* 3. *Videte, ne, cùm spiritu cæperitis, carne consumamini.* Proinde interdicenda est assidua & privata conversatio in Collegiis servorum Christi, quæ quamquàm in nullo alio reprehensibilis sit, sine proximorum tamen scandalo fieri nequit. *Hi nempe sunt illi pessimi effectus amicitiæ noxiæ. Porro honestam, licitam, & spiritualem familiaritatem ostendit, ejúsque jucunditatem, fructum, & insignia refert commoda, dum ita pergit*: Moderatè verò, modestéque, ac congruo tempore cum iis, qui virtuosè degunt, conversandum est, ut ab eis vivendi forma capiatur, instruantur mores, excitetur spiritus, accendatur amor, propulsetur tepor, abigatur tristitia, & humana complexio pariter recreetur. Socialis etenim naturæ cùm sit homo, & socialiter vivere gratuletur; ita prudenter regenda est, ut & natura subsidium, & spiritus non patiatur detrimentum. *Ita S. Patriarcha omnem hoc articulo comprehensam doctrinam insigniter confirmat, & verissimè demonstrat, quòd particularis amicus, qui non habet qualitates requisitas, & vera, spiritualísque dilectionis fundamen-*

 ta,

nisi ad pauperum, & Ecclesiæ usum convertit, quemadmodum è præclaris Xenodochiis, ac Monasteriis in monte & columna Jovis ab eo institutis manifestum est. Quovis triennio diœcesin pedes suomet sumptu obibat; in quo munere Ecclesiæ dundaxat bonum ac Dei gloriam unicè spectavit. Juventuti probos Magistros procuravit, omnes virtutum radiis illustravit, animósque cælesti quodam calore succendit, vivum perfectionis in vita mixta & solida reperiendæ exemplar, & idea Archidiaconi omnibus numeris absoluti. Illud quoque NB. in ipso erat singulare, quòd nunquam profanorum societati se immiscuerit, aut cum quoquam egerit nisi frugis causâ, persuasum habens, satius esse, sibi soli vivere, quàm cum religiosæ quietis jacturâ plurium consuetudinem inire. Unius Venerabilis Richardi Valdiserii Canonici (eximiæ virtutis viri, & S. Bernardi in Archidiaconatu ac Prælatura successoris) familiaritate crebriùs utebatur, quòd & ipse solitudinis amans totum rebus divinis se tradidisset.

S. Nominis Patronum imitatus venerabilis Bernardus Blancus nobili familia venetiis prognatus noxias familiaritates procul à se amovit. Adolescens A. 1569. 2. Martii in patrio ad S. Salvatorem Cœnobio Ordinis Canonici indumenta suscepit; optimis dein moribus ac literis imbutus, Sacerdotii charactere insignitus, ac variis officiis, nec non Abbatiali infula potitus omnibus se vitæ morúmque exemplo charum præbuit. Beneventi opus præclarum (cui titulus, *Abisac Sunamitis, de divina, & vera anima sapientia*) jam pridem inceptum felici coronavit fine. Hìc campus fuit severioris disciplinæ, & stadiũ multiplicium virtutum. Quam affabilem se omnibus exhibebat, singulari gratia dotatus, tam vana colloquia vitabat, blanditias, amicos sermones, & detractiones abhorrebat, & si quædam verba alterius famam infringentia fortè audiebat, proferentes liberè corripiebat. Modus carnem edomandi planè exoticus, & tamen quotidianus illi fuit. Asperis disciplinis, & nodosis flagellis, acutis ferreis stellulis refertis, ad effusionem sanquinis statis temporibus acriter se diverberabat. Carnem nedum asperis ciliciis, sed & quibusdam ferreis tyrocnestis insertis domabat; nec his contentus, eidem subjugandæ jejunia adhibebat, vigilias omnes B. Virginis, Sanctorum Ordinis, & majora S. Romanæ Ecclesiæ festa, ferias quartas, sextas, sabbatha per annum, totamque quadragesimã, & aliquando totum adventum Domini exceptis dominicis diebus solo pane & aqua devotè transigebat. In orationibus assiduus, quotidie vesperi ac manè ante SS.

Eucharistiam horis fere tribus persistebat immobilis, corpore à terra elevato, subinde, ac spiritu extra se rapto, quin non rarò integras noctes orando insumpsit. Quotidie nisi morbi obstarent, ad aram summa devotione ac præparatione incruentam Deo hostiam litabat. Charitate in proximum adeo flagrabat admirabili; pænitentium confessiones mira patientia & compassione excipiebat, monitis ac remediis convenientibus datis: pro illis quoque ipse pænitentiam agebat in proprium desæviendo corpus. Incarceratis, infirmis aliisque calamitatibus pressis solatia opportuna afferebat, quandoque oratione, & eformato salutiferæ crucis signo varios curabat languores. Ita infantulum, si non omnino extinctum, cum morte tamen confligantem subito vitæ restituit. Magna in dæmones potestate præditus, ex remotis plagis ad se perductos energumenos ab infernalibus inquilinis liberavit. Passus tamen est ab iis multiplices insidias, apparentibus modò sub horrendis speciebus, modò & maximè sub impudicarum mulierum figura; ast oratione omnes inferni technas elusit, quandoque etiam paculo orci larvas fugavit, & superavit humilis Christi athleta. Preces jaculatoriæ, ut vocant, sive elevationes mentis in Deum ipsius erant, frequenter ab aliis auditæ: *quid est JEsus, nisi Salvator? ergo ô bone JEsu, esto mihi JEsus, & salva me! veni Domine, & noli tardare! Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est! Tolle, tolle, quæso, Domine, animam meam! Nos autem gloriari opportet in cruce Domini nostri JEsu Christi! Maria Mater gratiæ, Mater misericordiæ, tu nos ab hoste protege, & hora mortis suscipe. &c.* Eam sibi instare spiritu præsago etiam dixit, & infirmitate correptus admirabili pietatis sensu SS. Ecclesiæ Sacramenta suscepit, atque vultu cælesti quadam lætitia perfuso inter illa vatis Regii verba, *in manus tuas Domine comendo spiritum meum &c.* efflavit animam 5. Augusti A. 1604. ætatis 63. Funus ob hominum frequentiam diebus tribus dilatum corpore nullum fœtorem, sed suavem odorem spirante: quod & tribus diebus post accidit, quibusdam nobilibus de longè devotionis ergo venientibus, ac corpus venerabilis servi Dei videre cupientibus, cùm capsula aperiretur, omnibus cælesti suavitate fruentibus, & admirantibus. Eodem tempore multi energumeni à stygiis possessoribus liberati, aliisque infirmitatibus affecti integræ sanitati restituti feruntur. Corpus tandem in celebri Ecclesia S. Sophiæ Beneventi in oratorio SS. Reliquiarum conditum fuit, ac post exequias Ecclesiasticas eximiæ eruditionis, & doctrinæ Canonicus Lateranensis non tam orationem funebrem, quàm panegyricam,

vir-

virtutes, & gratias divinas Bernardi extollendo, ad copiosum populum habuit. *Ex Constant. Ghinio in Nat. SS. Can. 5. Aug.* Pro virtutibus venerabilis viri exprimendis, placet ejus tumulo sequens inscribere.

MONUMENTUM.

Siste gradum!
qui pedem figis in hoc templo
S. Sophiæ.
Sophiam cælestem disce,
dum sapientiā altiorem insectaris.
BERNARDUS BLANCUS
tria te docet *mortuus*,
quæ sanctè tenuit *vivus*:
si tamen dici *mortuus* poterit,
qui etiamnū *vivit* sub hoc marmore
in omnium oculis & animis.
Cave
mundi fallacias,
veneris blanditias,
orci insidias.
Hoc triangulo humana gyratur vita.
Sagax Juvenis,
ut laqueos evaderet, technas eluderet,
Paternos deseruit lares:
cristatas abjecit vanitates,
spes omnes nobilioris fortunæ exuit,
cùm *candidum* induit *habitum*,
re & nomine * Blanco convenientem.
Hic infra se posuit omnia,
se infra omnia,
supra se nihil,
in fundo persistens nihili.
Totus insipuit mundus;
Solus sapuit Deus.
Sedem mundi vafritiem!
post multas frustra adhibitas fraudes
Sacrato illudit mystæ:
honores objicit, infulas obtrudit;
abbatiali verticem diademate redimit,
ut spiritum dejiciat, extinquat.
Succedit stratagema.
Qui in infimo stetit immobilis,
in alto positus vertiginem patitur;
labitur, altiùs ut resurgat.
Deploranda Adamittarū conditio!
Si fidei Columnæ ruant,
quis sibi confidat?
Cecidit Saulus, convaluit Paulus:
quis lapsus diffidat?
Majoris subinde gloriæ signa,
inflicta militi strenuo vulnera.
Parva hosti non rarò permittitur victoria,
ut major sequatur strages.
Sæpe pæana lessus excepit.
Inimica ergò mutatur patria;
novus assignatur campus feralis pugnæ,
Hortus Beneventi, stadiū virtutis,
theat-

* Gallicè *blanc*, latinè *albus*, sive *candidus*.

theatrum triumphi.
Nodosa flagra sunt belli instrumenta
quibus cum carne ad sanguinis effusionem
dimicatum est quotidie.
Lorica, ferrea tyrocnestis,
Saga horridum setis cilicium,
nudum ambiens corpus.
Annona, solius jejunii sapor
& pura cereri adjuncta lympha.
His instructum armis
BERNARDUM
stygius aggreditur Dux,
larvatum in acie ponit agmen
avernalium bestiarum:
Tartarus enim nil habet nisi belluas.
Nocte intempesta
tota sese effundit *Erebi* tempestas:
nā umbris agunt potestates tenebrarum,
& horrifico irruunt ordine
bajula mortis monstra.
At inclytus Heros
iisdem vincit armis,
quibus cæli Imperator, *JEsus*, triumphavit.
Solo *crucis* signo efformato
hostilem dirimit aciem:
uno *JEsu* nomine
toties inimicos verberat,
quoties emittit,
manu pugnans, linquâ vincens.
Sic primordiis malè cedentibus
pejùs succedit dolus
mundo, carni, orco.
Novum indicitur concilium,
qui strages essent resarciendæ,
& auspicandum bellum?
unanimis fit conclusio
infernalibus probata sententiis,
carnis illecebris
impugnandum esse *victorem.*
Imperium sequitur executio.
Sine mora Proteum
scenicus induit dæmon;
Salacem, fallacem mentitur fæminam
Formam deteriorem sibi vicariam
fingere haud poterat.
Pugnavit effæminatus asmodæus
& linquâ, & formâ:
Nam fuisset prodigium
fæminam fuisse & tacuisse.
Formosæ oculis obtrusit puellæ faciem
veneris facem,
ut flammas conciperet corpus,
& noxiè arderet animus.
Blanda tamen iteratis vicibus vicit
coloratæ pulchritudinis præstigia
pudoris aliptes.
Cælum promptas tulit suppetias,
quas illuc emissæ impetrarunt preces,
eò calidiores,
quò insidiæ hostium callidiores.
Quin, quod pudori erat
impudenti tentatori,
agresti baculo in larvas egit,
& mox fugavit *lucifugas.*
Tam victrices obstupescis palmas?
At mihi foret miraculum,
si *loricatus juncis* Christi miles
cilicio ericius,
pungens cominùs, pugnans eminùs
flagris, fustibus,
à molli vinceretur venere.
Disce,

pro-

procaces furias potentiùs non fugari,
quàm similibus armis:
neque fœmina, *Salamandrâ libidinis*,
citiùs abigi,
quàm dum citò *ala cupidinis*
excutiuntur torre ignito,
vel ſtipite crinito.
Una tamen ſpecies
formoſioris puellæ
cor Bernardi vulneravit,
animum penetravit, expugnavit,
ut eam complectaretur manu,
depingeret calamo.
Reſtitas ad hanc *Metamorphoſin*,
& fors indignaris *victori victo*:
at non dedignare intueri.
Virgo eſt *ſpecioſa*, cui non ſimilis
in omnibus finibus Iſrael. a
Puella pulchra nimis
ABISAG SUNAMITIS.
Cur non amanda,
Regis amore digna, & toro?
caſtum metire amorem
BERNARDI
diligentis dilectam,
Divinam,
verámque animæ ſapientiam.
Hanc veſtitu deaurato ornavit
Theologico Tractatu.
Dexteram, & collum ejus cinxit
gemmis pretioſis,
myſticis conceptibus.
Inæſtimabiles
auribus illigavit margaritas,
vernantes & coruſcantes lapillos,
cæleſtes doctrinas.

Tantis irradiatam ſplendoribus,
Virginis innocentis pulchritudinem,
caſtis *ſpectandam* oculis,
mundis *appetendam* animis,
ab omnibus *amandã* demonſtravit
ipſe ante alios *amator.*
Cúmque ſciret zelotypam
ex colloquiis *Africani Amaſii*, b
cujus amoroſa ſunt verba:
Illa non ſe ſinit, niſi pauciſſimis,
& electiſſimis amatoribus.
An verò,
ſi alicujus pulchra fœmina amore
flagrares,
jure ſe tibi non daret,
Si aliud abs te quicquam
præter ſe amari comperiſſet?
quomodo ſapientia ſe tibi
caſtiſſima pulchritudo, niſi eam
ſolam arſeris, demonſtrabit?
omnium *amores familiares*
in ſe extinxit.
Quid jam miraris, Lector,
BLANCUM in vita *vatem*?
dum regii *Vatis* conſors Thalami virgo,
quæ à purpurato didicit marito
futura,
Amatori revelavit ſuo,
ut eventura præſciret,
certò prædiceret.
Admirari magis ceſſa,
orcum BERNARDO rivalem
acerrimas moviſſe lites:
nam *fortis, ut mors, dilectio,*
dura, ſicut infernus, æmulatio. c

a *3. Reg. 1.*

b *S. Aug. in Soliloquiis l. 1. c. 13.*

c *Cant. 8.*

Contrariis hinc pugnavit amoribus,
Cælestibus opponendo scelestos.
Superior tamen fuit, & potior,
Qui fortior,
Divinæ sapientiæ amor.
Hæc BERNARDI sui *animam.*
collocavit inter Cælites;
Corpus verò inter *sacra Lipsana*
hujus insignis Basilicæ
sub hoc reliquit marmore
tuæ, Viator, venerationi.
Dum hoc spectasti
MONUMENTUM,
ante tuum abitum
parem optas *Sponsam* ?
Sponsum Sapientiæ imitare,
& habebis
SUNAMITIDEM cælestem
in via comitem,
in patria conjugem.

Cæterùm cùm *Bernardum* nostrum nondum inter sanctos, aut beatos à S. Pontifice adnumeratum scribat hic Auctor, Colligendum planè nobis, Canonicos S. Sophiæ adlaborare in conscribendis beneficiis quæ tam ante, quàm post obitum meritis, & intercessione Venerabilis Servi Dei à Largitate Divina hominibus, ejus opem implorantibus, præstita fuêre, & etiamnum præstantur, in ordine & ad effectum *apotheosis* suo tempore obtinendæ.

Porro Prophetiæ dono illustrem Bernardum referunt ea, quæ multùm antea edixit futura, rerum eventu veritatem præfatam demonstrante. Illa manuscripta vaticinia super aurum, & lapidem pretiosum sibi chariora adhuc extare, & apud se servari testatur vitæ compendiosæ scriptor sæpe fatus *Ghinius*, qui post felicem *Bernardi* transitum Anno 1621. virtutes, ac merita typis evulgavit. Utinam! hæc & alia Venerabilis Viri monumenta in publicam producerentur lucem, optarent mecum plurimi etiam videre *Abisag Sunamitidem*, præclaris salutis documentis *de divina & vera anima sapientia* exornatam in eo sensu, quo eam exponit S. Hieronymus *in epistola ad Nepotianum* 2. t. 5.

Adjungamus patriam virtutem ex insigni, & Archidiaconali Canonia *Baumburgensi* decerptam, & ab illustri Præsule ad imitandum nobis relictam. Reverendissimus Laurentius Major Antistes, & Archidiaconus Baumburgensis bonarum literarum amator, & literatorum cultor insignis eandem exhibet, paucis spectate. Ante susceptum Canonicum Institutum *Viennæ*, *Ingolstadii* & *Dilingæ* tam Philosophicis quàm Theologicis scientiis egregiam adeò navavit operam, ut RR. PP. *Petro Ungero*, *Joanne Vicao*, & *Theodoro Peltano* è Societate JESU Doctoribus, ac Magistris publicas Theses tuendas susceperit. Tandem maturiori de-

deliberatione habitâ, mundo valedicens, in *Ransboviensi* celeberrima Canonia totum divinis sese mancipavit obsequiis, Canonicus verè Regularis, quia Regula & norma, extitit castè, ac innocenter vivendi tam exteris quàm domesticis. Gratia Concanonicis suis religiosè conversandi absque personarum acceptione, & citra cujusquam offensione brevi eum ad Decani officium, & alteram Præsulis dignitatem promovit, ubi velut ad lucernam non sub modio, sed supra candelabrum positam cæteri virtutis lucem haurirent, simúlque tantis accenderentur radiis. Hic animi demissio altiùs emicuit; charitas in Confratres eò erat gratior, quò singulis sine discrimine, & ad mensuram meritorum impartiebatur. Paupertatis religiosæ studium ex habitu, & victu, réque domestica palam erat omnibus. Sed dum *Ransbovium* thesaurum suum non abscondebat, ut servaretur, prodidit, & illo, quem jam publicè in omnium ore portabat, deprædatum est. Nam A. 1579. Stephano Præsule Baumburgii ad superos transgresso, Laurentius communibus votis postulatus, & Archidiaconus electus virtutibus suis debitam accepit infulam, quamvis multùm obniteretur propter animi demissionem tam electorum calculis, quàm Serenissimi Bojariæ Ducis, & Celsissimi Archi-Episcopi Salisburgensis annutibus. Tam potentibus arietibus expugnatum animum imposito oneri submittens nihil de rigore prioris vitæ remisit: victus & vestitus cum reliquis erat communis, solicitus semper ad informandos, paratúsque ad curandos subditorum mores, & virtutem solidam eorum animis implantandam. Ut *Baumburgum Athenæum* faceret, singulari vigilantia, & industria philosophicas & theologicas scientias invexit, quibus iners otium, profligavit, irregulares conversandi modos è Collegio procul amovit, & severiores disciplinas, nec non humaniores musas in *monte* velut *Pierio* efflorescere fecit. *Apollinem* Regularibus Musis verè dixeris *Laurentium*, & Magistris *Majorem*. Ipse enim potens ad virtutes verbo alios impellendo, aliis exemplo præeundo. Singularis illius vigilantia subditis quietem, prudentia provida inferioribus securitatem certam præbuit. Tam alta virtutum monumenta à *Laurentio* in monte aliàs percelebri (ubi *arbor*, cujus *folium non defluet* sub irrigatione Aureliana) peculiari labore collocata, latere diu non poterant, sed omnium quasi oculis, magis tamen animis, aperta principes & viros tunc temporis doctrinâ celeberrimos in admirationem, charitatem, & venerationem rapuêre. Hos inter ipse Archipræsul Salisburgensis *Joannes Jacobus*, & *Felicianus Episcopus Scalensis*

eodem tempore A. 1583. ad Conventum Episcoporum Monachii pro conficiendis *Bavariæ Concordatis* jussu, & auctoritate S. Pontificis *Gregorii XIII.* Nuncius Apostolicus cum potestate legati à latere &c. præcipuo honoris, & charitatis testimonio *Laurentium Archidiaconum Baumburgensem* prosequebantur. Celebratissimis quoque, ac omni scientiarum genere clarissimis Viris *Joanni Engerto*, *Laurentio Rotmaro*, *Edmundo Hollyngo*, *Roberto Turnero*, aliisque aulæ Boicæ Proceribus in amoribus fuit. Certè Robertus Turnerus in quadã epistola nullus dubitavit *Laurentium* vocare, *cujus similem diu jam non tulit reliqua Bavaria, Prælatum doctissimorum religiosissimum, religiosissimorũ prudentissimum, prudentissimorum optimum*, ac majore Præfecturâ, vitâque longiore dignissimum. Sed consumatus in brevi explevit tempora multa, dum Anno Christianæ salutis 1587. 7. Septembris supremum vitæ diem clausit, nunc eò major in cælis, quò major labor, & virtus Majoris erat in terris.

ARTICULUS V.

De Parrhesia perfectioni resistente.

SUMMARIUM.

146. *Quid sit Parrhesia, S. Dorotheus describit.*

147. *Malas ejus soboles S. Laurent. Justin. detegit.*

148. *Contra hoc malum remedia sunt timor Domini, & modestia religiosa.*

149. *Item amor silentii & solitudinis.*

150. *Verecundia, &* 151. *vera charitas, & sensuum externorum custodia, ac mortificatio*

152. *Maximè oculorum, qui religiosorum actuum sunt antesignani.*

153. *Illos à quibusdam objectis avertendi, regulæ aliquot.*

154. *S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus, Joan. Bridlingtoniensis, Malachias, Petrus Forerius, & Cambius Bossus insignes contra Parrhesiam Duces.*

155. *Fructus ex oculorum, aliorúmque sensuum modestiâ est aspicientium ædificatio. Lex regia explanatur.*

Sunt

SUnt adhuc alia impedimenta, quibus profectus retardatur, & religiosa disciplina enervatur, quin etiam ad jacturam non tantùm Spiritûs & virtutis, sed etiam ipsius vocationis religiosæ pervenitur. Sunt autem sequentia à SS. PP. & Ascetis recensita, quæ abbreviato hic damus calamo.

146 Quintum inter impedimenta, quæ hoc capite numeramus, obtinet locum *Parrhesia*, seu noxia illa libertas agendi, & audacia loquendi, aspiciendi, ridendi, & tangendi. Explicat hoc impedimentum perfectionis S. Dorotheus *serm. 4.*, ubi *pestiferam, & lethalem parrhesiam, seu licentiosam agendi vel loquendi libertatem* appellat. Verba ipsius sunt. *Est enim parrhesia multiplex, & pluribus modis fit. Etenim licentiosè se quisquam gerit verbo, tactu, & visu. Delabitur quis parrhesiâ in otiosam, & vanam locutionem, in verba sæcularia, in actus ridiculos. Risus enim movet hæc parrhesia parum modestos. Est autem parrhesia, seu licentiosa libertas, cùm quis præter necessitatem alium attrectat, manusque suas jocandi, ridendíque studio in socium injectat; cùm impellit aliquem, ac protrudit: cùm violenter quidquam aut furtim ab aliquo rapit; cùm impudentibus oculis, & parum modestè aliquem spectat. Hæc omnia profectò ex eò proveniunt & ortum habent, quòd timorem Domini anima nostra non possidet. Ex his autem in verum & absolutum contemptum paulatim quis labitur.* &c. Et paulò infra. *Idcirco nihil est parrhesia gravius. & molestius* (in viro præsertim religioso) *& propterea omnium passionum, ac vitiorum Mater, ac seminarium dicitur, quandoquidem hæc parrhesia omnem religionem, omnémque pietatem, ac venerationem, omnem denique timorem Dei procul abigit, & expellit à nobis, paritque contemptum, & fastum. Etenim ex hac parrhesia, seu licentiosa libertate, quam mutuò inter nos exercemus, fit, ut mutuò inter nos licentiosi simus, ut impudenter invicem nosmet geramus: ut perperam, ac malè inter nos colloquamur; ut mutuò nos lædamus, corrumpamúsque, atque adeò verberibus lasciviamus.* &c.

Nascuntur ex hac vitiosa matre 147 aliæ longè pejores soboles, *aversio* scilicet, & *persecutio aliorum proborum* modestiæ, verecundiæ, & pietatis amantium, ita ut *parrhesiastæ* variis dicteriis, contumeliis & opprobriis afficiant sibi dissimiles pios, justósque. Animadvertit hæc *genimina viperarum* S. Laurentius Justinianus: postquam enim hic sanctus Moderator Spirituum, & Discretor animorum *l. de discip. & perfect. Mon. Convers. c. 12.* de *tentatione, scrupulo,* & *ariditate* (tanquam impedimentis perfectionis) egerat, mox c. 13. tractat de iis, quæ conservationem piam in congregationibus sacris concernunt, quæque huic inimica subornantur ab infernalibus præstigiatoribus. Sunt autem ingesta illa impedimenta ex *parrhesia* promanantia, *detractio*, *contentio*, *irrisio*, *& subsannatio*, ac tandem *dis-*

Ee 3 *cordia*,

cordia, *invidia*, ac *fatalis persecutio justorum*. Dum de aliis agamus, ultimum hic assumimus ex S. Patriarcha, ubi ita prosequitur: „ Est & „alia tentatio cæteris periculosior, „quam in cordibus servorum „Christi in congregatione viventium; & minùs cautè conversantium humani generis adversarius „ad exterminandam charitatem, „concordiam, & mentis tranquillitatem disseminare non desinit. „Frequenter námque face æmulationis, & invidiæ livore quorundam accendit animos contra aliquos collegii simpliciter; humiliter, & solicitè conversantes, agitque suis persuasionibus, ut negligentibus intolerabilis sit vita bonorum. Nam repleti hujusmodi „diabolica malignitate, & invidiæ „sagitta transfixi profectum fratrum suorum proprium judicant „detrimentum. Propterea instigante livore detractationibus linguæ habenas laxant, & vitam proximorum murmurationibus dilaniare non cessant. Observant „gressus, verba discutiunt, & mores illorum, quibus invident, semper dijudicant. Eorum derogant devotionibus; eorum virtutibus lacessuntur, eorumque bonis operibus affliguntur. Facilè, „& pro minimo adversùs eos, „quos æmulantur, turbantur, nec „spiritu livoris agitati suum valent „cohibere vel dissimulare furorem. Non possunt pacificè loqui, sed mox, ut verba protulerint, fervere intrinsecus inchoant, forísque contumeliosa verba jaculantur. Bonum illorum „malum dicunt: sed vel utinam malū bonum! Insanabiles prorsus est „istorum languor. Non enim placantur blanditiis, non mulcentur „obsequiis, non rationibus aquiescunt. Quin potiùs, quemadmodum ignis accenditur additione lignorum, ita & horum passio „augetur multiplicatione virtutum. Hominibus insanabilis est „hæc spiritualis infirmitas. Deo „autem nihil est impossibile. De „eodem hoc vitio sauciati fuêre „filii Jacob adversùs Joseph, de „quibus scriptum est: *Oderant enim „eum, nec quidquam ei pacificè loqui „poterant*. Genes. 37. Nam cùm „ad illos properaret quadam die „mansuetè & humaniter gratia directus à patre, *ecce*! inquiunt, „*somniator venit, occidamus eum, & „videamus, quid ei prosint somnia sua*. „Fecissentque invidiâ instigante „tam immane scelus, nisi dissuasisset Ruben. Verumtamen ipsi „livore bacchantes puerum Ismaelitis vendiderunt, atque venditionis germani facti sunt noxij. De „hoc quoque lethali veneno ex „omni parte abundaverunt Judæorum sacerdotes, & pharisæi contra Dominum JEsum, de quibus „in libro sapientiæ sic scriptum est.

„Cir-

„*Circumveniamus justum, quoniam inu-* „*tilis est nobis, & contrarius operibus* „*nostris. Sap. 2.*

Contra hanc pestiferam *parrhe-*
148 *siam* quatuor præcipua apud S.S.P. P. inveniuntur remedia. 1. S. Dorotheus l. c. directè eidem opponit *timorem Domini*, & *modestiam*, uti patet ex adducto contextu. Confirmat S. Dorothæi doctrinalem medicinam S. Thomas 2. 2. q. 19. a. 7. *timorem Domini initium sapientiæ* probans. Sapientia enim tanquam *directiva humanæ vitæ* actiones nostras regulat, ne in iis quidquam inveniatur contrarium altioribus principiis, & ideo *non solùm dirigit easdem secundùm rationes humanas, sed etiam secundùm rationes divinas*. Sunt autem rationes divinæ immaculatum custodire spiritum ab omni culpa, & nævo, quibus supremo Numini displicentia, & majestatis contemptus potest induci. Ex hoc *casto timore* nascitur *sancta modestia*, quæ nihil immoderatum in moribus relinquit, sed omnia in homine ordinat membra secundùm regulas cælestes. Hæc vultûs aciem sine acri obtutu explicat; intra limites continet oculos; nares ab odoriferis cohibet illecebris. Hæc linguam refrænat à noxiis; aures obturat vanis colloquiis, manus ab alieni contrectatione corporis coercet, itáque cuncta in officio & ordine suo retinet membra, ut moderetur humanos actus *secundùm rationes divinas*, & *homo Deum* ubique sibi præsentem *revereatur*, nihil, quod ejus majestatem queat offendere, permittat, sed *ei se subjiciat, sic enim consequenter in omnibus secundùm Deum regulabitur*, ut docet S. Th. l. c. Plura nos de virtute modestia egimus parte 1. Cap. 3. a. 7.

2. S. Bernardus noxiæ huic *parr-*
hesiæ opponit *amorem silentii, & soli-* 149
tudinis, quippe qui se se ab aliorum conversatione subducit, honestis studiis tempus applicat, sibi, Deóque vivit, procul à se arcet libertatem loquendi, ridendi, aspiciendi, nugandique. Certè *quorum* amor divinus & amor silentii *oculos aures, linguámque possidet* (verba sunt S. Doctoris de ord. vit. col. 5.) *non sinit turpiter lædere, ac ridere, efficiens eos graves ac mites. E contrà grande vitium est juniorum impudentia, quæ improbo ausu, & dissolutione sua patres, & fratres conturbat. Quia scriptum est: nec Deum, nec homines reveretur, sed lætatur, cùm malè fecerit, & exultat in rebus pessimis. Facta est frons meretricis, quia non potest erubescere. Ubi lingua audax* (describit hic parrhesiastas) *& frons inverecunda, quid loquatur, quidve agat, non curat. Cùm enim boni adolescentuli & mansueti tacendo revereantur majores suos, nemo solius taciturnitatis hanc laudem putet; quia silentium ipsum (in quo est reliquarum virtutum otium) maximus actus verecundiæ est.* Observat pariter istud contra libertatem agendi remedium Asceta noster, dum *l. 1. de imit. chr. c.*

c. 20. salutaria affert monita. *Si te subtraxeris à superfluis locutionibus, & otiosis circuitionibus* (quibus contagiosa *parrhesia* introducitur, & in religiosis cœtibus cum maxima disciplinæ ruina fovetur) *nec non à novitatibus, & rumoribus audiendis, invenies tempus sufficiens, & aptum pro bonis meditationibus insistendis.* Sine hisce autem nullum in vita spirituali profectum capi posse ostendimus p. 1. c. 5. Quod ipsum confirmat prædictus mox Auctor SS. exemplis, & experientiis, ita prosequendo. *Maximi sanctorum humana consortia, ubi poterant, vitabant, & Deo in secreto vivere eligebant: Dixit quidam,* experientiâ planè convictus: *quoties inter homines fui, minor homo redii. Hoc sæpius experimur, quando diu confabulamur. Qui igitur* (en! remedium opportunum) *intendit ad interiora, & spiritualia pervenire, oportet eum cum JEsu à turba declinare. &c.*

150 3. Idem S. Magister directum opponit remedium *verecundiam*, quæ juxta S. Damascenum & Gregorium Nissenum apud S. Thomam 2. 2. *q.* 144. *a.* 2. *est timor in turpi actu, vel in turpi perpetrato.* Turpitudo autem duplex est, scilicet *vitiosa, quæ consistit in deformitate actus voluntarii: & quasi pænalis, quæ consistit in vituperatione alicujus, sicut quædam claritas gloriæ consistit in honoratione alicujus. Et quia hujusmodi vituperium habet rationem mali ardui, sicut honor habet rationem boni ardui; verecundia, quæ est timor turpitudinis primò, & principaliter respicit vituperium, seu opprobrium. Et quia vituperium propriè debetur vitio, sicut honor virtuti: ideo etiam ex consequenti verecundia respicit turpitudinem vitiosam.* Quid autem turpius viro gravi ac religioso, quàm si advertant alii circumspecti, prudentes, & virtutis cultores, eum nocivâ libertate loquendi, ridendi, & cum quibusvis ultra statûs sui decentiam agendi captivatum esse? Quid indecentius, & vituperio dignius juvene religioso, vix Noviciatum emenso, dum verecundiâ deposita, in turpem *parrhesiam* inclinat, & audaciores præsefert mores, quàm sæcularis? Hinc S. Bernardus huic funesto malo medicinam præparare, & Religiosis junioribus eam propinare volens, verecundum juvenem bellis depinxit coloribus, ita scribens *ult. serm. in cant. Quid amabilius verecundo adolescente? quàm pulchra hæc est, quàm splendida gemma morum in vita, & vultu adolescentis? Quàm vera & minimè dubia, bona nuntia spei, & bonæ indolis index? virga disciplinæ est illi, qui pudendis affectibus imminens, lubricos ætatis motus, actúsque leves coërceat, comprimat insolentes. Quid ita turpiloquii, & omnis deinceps turpitudinis fugitans? Soror continentiæ est. Nullum æquè manifestum indicium columbinæ simplicitatis: & ideo est testis innocentiæ: lampas est pudicæ mentis, jugiter lucens, ut nil in ea turpe vel indecorum residere attentet, quod non illa illico prodat, &c.*

Ean-

Eandem contra immodestiam agendi, aspiciendi, loquendique doctrinam exhibet S. P. N. Reg. c. 4. tantam à suis discipulis Canonicis morum compositionem, & verecundam gravitatem requirens, ut *in incessu, in statu, in habitu, in omnibus motibus nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod Clericorum deceat sanctitatem.* Timorem verò Domini *parrhesiastis* commendat *cap. 5.* in hunc modum. *Illi ergò timeat vir sanctus displicere, ne velit fœmina malè placere: illum cogitet omnia videre, ne velit fœminam malè videre. Illius namque & in hac causa commendatus est timor, ubi scriptum est: Abominatio est Domino defigens oculum.*

4. S. Laurentius Justinianus
151 contagiosæ *parrhesiæ*, & ex ea pullulantibus vitiis scilicet *aversioni, proborum persecutioni, detractioni, contentioni &c. charitatem* pro antidoto opponit; quippe vera in proximũ charitas haud permittit, ut eum liberè opprobriis, & convitiis appetamus, inverecundis actibus, aspectibus & tactibus imodestis, aut pejoribus exemplis ejus salutẽ animæ in evidens discrimen abducamus, sed potiùs exemplari conversatione bonum spirituale ipsius pro viribus promoveamus, id quod animadvertit subtilis Venetorum Magister, dum sequentem de bona conversatione *cap.* 13. imponit coronidem. *Qui autem ab hac pestifera tentatione* (parrhesiastarum) *liberari desiderat, proximum suum tanquam fratrem, tanquam cælestis regni cohæredem diligat, & complectatur intimis visceribus charitatis. Charitas namque vera, & fraterna dilectio hujus tentationis* (aversionis, persecutionis, detractionis &c.) *& cæterarum, quæ de proximo, aut contra proximum generantur, est interemptrix mirifica, & docta triumphatrix. Hanc quicunque in veritate possederit, non capietur à diabolo, non proximi detractor, non contentiosus, non irrisor, non invidus esse valebit.*

Denique continua ac discreta sensuum præsertim externorum mortificatio nocivam *parrhesiam* facilè coërcet, eliminat, & exterminat. Si enim regiam à S. Francisco Salesio monstratam viam ingrediaris, nunc, dum liberet, gratum non aspicis objectum; modò appetitu urgente linguam cohibes, & ad irritationem alterius taces: modò à vano colloquio te subtrahis, & honestam etiam Dei amore conversationem excludis, infestam, ac immodestam agendi libertatem abs dubio refrænabis.

Præcipuè tamen omnes Sancti 152
Patres unanimi sententiam ferunt calculo, libertatem oculorum maximè noxiam, ac proin arctioribus loris esse constringendam. Ita S. Legislator noster *serm. 83. dè temp. prima*, inquit, *adulterii oculorum tela sunt, secunda verborum. Sed qui non capitur oculis, potest verbis resistere,*

stere, uti restitit S. Joseph sollicitanti ad turpe facinus dominæ, quam quia castissimus juvenis non aspexit, facilè contempsit, & insidias superavit. *Crimen enim domina sua fuit* (sunt verba S. P.) *quæ malè vidit, non B. Joseph, qui malè videri noluit. Nec in eo, qui visus est, culpa est, quia non erat in potestate servili, ut non videretur à domina: maritus debuit cavere uxoris oculos. & bene excusavit eum scriptura, dicens: Genes. 33.* Immisit oculos uxor domini ejus in Joseph. *Hoc est, non iste se ostentavit, nec illa capit incautum, sed illa retia sua immisit, & indagine sua capta est: catenas suas sparsit, & in suis vinculis colligata est.* Et verò ratio hujus est evidens, quia per oculos visæ omnium rerum species in animū penetrant, eúmque ad se rapiunt, occupant, commovent, perturbántque. Nec opus est multa indagine, aut longo itinere pro conquirendis objectis ad peccatum allicientibus; sufficit enim sola eorum repræsentatio in oculo, prout conqueritur idem S. Præsul *L. 6. Confess. per quales formas ire solebant oculi mei, per tales imagines ibat & cor meum.* Ita pariter S. Chrysostomus *L. 6. de Sacerd. c. 8.* Malum oculi malum esse animi ostendit, quia *animum ferit, & commovet non impudica tantùm, sed pudica quoque mulieris oculus.* Proin S. Laurentius Justin. *de vita solit. c. 7.* incautos liberósque oculorum aspectus reprehendens, & inde promanantia damna perpendens exclamat: *O quantis concupiscentiarum sagittis ex inordinato oculorum aspectu imprudentis transfigitur cor! transmittunt utique effrænati intuitus ad animā corporearum formas rerum, atque concupiscibilium qualitatum imagines, suáque importunitate internam dividunt unitatem, sanctos dissipant cogitatus, animi rigorem debilitant &c. Vidit homo secundùm cor Dei mulierem, atque immodico exardescens amore, voluptatis passione prostratus, homicidium pariter, & adulterium perpetrare non timuit.* Cùm itaque juxta S. Basilium *L. de virg. fœmina, ut magnes in ferrum, sic à natura vim inexplicabilem adversus mares acceperit, quà illiciunt ad communionem voluptatis*, sapienter S. Legislator noster *Reg. c. 5.* statuit: *Oculi vestri etsi jaciuntur in aliquam, figantur in nullam.* Quia *nec solo tactu, sed affectu quoque & aspectu appetitur, & appetit aliquis*, sive, ut alii legunt, *appetitur concupiscentia fœminarum* &c. Ut verò S. Præsul oculorum evagationem à suis amoliretur, timorem, & omniscientiam Dei illis inculcat sequentibus: *Illi ergo timeat vir sanctus displicere, ne velit fœmina malè placere: illum cogitet, omnia videre, ne velit fœminam malè videre.* Sequentes itaque regulas observet, qui licentiosæ *parrhesiæ* victor esse cupit.

1. Res fædas, & imagines fæda 153 repræsentantes non aspiciat. 2. In facies fœminarum nec diu, nec obiter aspectum figat secundùm S.

S. Spiritûs monitum apud *Eccles. 9. virginem ne conspicias, ne fortè scandalizeris in decore illius.* 3. Caveat etiam ab aspectu formosarum facierum, sive sint fœminæ, sive masculi. Hinc S. Chrysostomus super illud *Eccles. 9. ne circumspicias faciem alienam &c. hom. 3. de verb. Is.* Hanc affert glossam: *non dixit, ne videas, id enim nonnunquam fit ultrò; sed ne circumspicias, ne cognoscas; illud tollens, ne studio animadvertas, ne curiosè intuearis, ne contemplationi immoreris.* Certè fixus intuitus imberbis etiam juvenis viam ad illicitia parat, ut advertit S. Hieronymus *in c. 3. Thren.* ita scribens: *semel species formæ cordi per oculos alligata, vix magni luctaminis manu solvitur.* Hinc B. V. M. S. Birgittam *l. 2. revel c.* 23. docuit, inter detestabilia Deóque displicentia esse, *si quis concupiscat videre pulchras facies.*

4. A splendido & ornato fœminarum vestitu etiam avertat oculos: quem Tertullianus *confictam, & elaboratam libidinem* vocat.

5. Inter ambulandum extra claustrum non huc, illúcque oculos volitare permittat. Grande namque piaculum olim erat apud Patres, *si quis per civitatem ambulans oculos suos non custodierit.*

6. Sub mensa non circumspiciat, nec, quid alii agant, curiosè inquirat.

7. Cubiculum alterius ingrediendo oculos modestè teneat, nec cuncta statim perlustret. Hujus extat documentum apud S. Dorotheũ *serm.* 20. discipulum suum ita instruentem: *Cùm præpositi seu magistri, vel amici cujusdam cellam ingrederis, cave, ne quidquam eorum, quæ ibi fuerint, curiosè scruteris, aut intuearis. Quicunque enim impudenter, & curiosè in his se gesserit, habitum, & professionem monasticam mentitur, & Christum, qui eam instituit.*

Refrænationem oculorùm sequitur oris, & aliorum sensuum custodia, quorum relaxatio & effusio communiter initium desummit ab incuria oculorum. Proin p. 1. c. 3. a. 6. à *num.* 182. data documenta, & *c.* 4. à *num.* 229. mortificationis regulas contra *parrhesiam* propriasiteratò cõmendamus.

Quàm sanctè hasce leges servârint sancti viri, historiæ, & Patrum 154 vitæ sunt plenæ. Ex innumeris constat, quòd S. Hugo Episcopus Gratianopolitanus, uti scribit in ejus vita Quidus Carthusianus, quamvis esset castissimus & omnino liber à tentationibus carnis, per 50. tamen annos, quibus episcopatui præfuit, nullam unquam fœminam aspicere voluerit, quippe qui dicere erat solitus, id esse necessarium, eò quòd cor à malis cogitationibus custodiri non posset sine magna oculorum custodia. Hic S. Præsul prope Valentiam natus, ejusdem Ecclesiæ Cathedralis Canonicus Regularis primùm, ac postea ab Hugone Gregorii VII. Legato per Gallias,

Gratianopolitanis Canonicis itidem per ea tempora regularibus postulantibus, licèt reluctans præ animi demissione sacris infulis est inauguratus, atque ab ipsomet summo Pontifice consecratus. Ut pestiferam illius ævi libertatem vivendi à Clericis tolleret, illicitos concubitus, turpem usuram, ac detestandam simoniam profligaret, totis institit viribus. S. Brunonis institutum & arctiorem vitæ rigorem non tantùm probavit, sed & operâ, studiisque promovit, dum eremum Carthusiæ Calesienses Abbatias Regularium Canonicorum apud Miserenum, & apud S. Gergium cœnobia fecit, fovitque. Sanctis tandem laboribus pro defensione Ecclesiæ perfunctus ad cælestem abiit quietem Calend. Aprilis Anno 1132. ab Innocentio II. ob multiplicia prodigia Sanctorum fastis adscriptus. *Quidus Carthus. in vita, & Constant. Ghinius in Nat. S. S. Can. 1. Aprilis.* S. Joannes Bridlingtoniensis non tantùm omnem fæminarum aspectum perpetuò sibi interdixit, sed etiam ab omnibus Cænobii sui officinis eas exclusas voluit. De S. Malachia rectum oculorum usum summè deprædicat S. Bernardus, eò *quòd singulari studio cohibiti intra se virtuti, non levitati, necessitati, non curiositati paterent.* Videantur plura in ejus vita p. 1. c. 3. a. 7. fol. 207.

Venerabilis Dei servus Petrus Forerius curionem agens noluit in ædes suas ullam recipere consanguineam, ac ne ipsam quidem matrem, non nescius si nonnulla Concilia parochis id concedant, hoc non nisi per conniventiam fieri, veluti colligere licet ex *Can. 3. Concilii Nicani*, in quo P. P. dicunt, *nulli Clericorum omnino licere habere secum mulierem extraneam, nisi fortè mater sit &c.* Ex hoc *fortè*, quod mundo tanti constitit, *ne fortè moriamur*, facilè deducens, contrarium ab Ecclesia desiderari, uti apertè in *Concilio IV. Carthaginense, II. Toletano, & Turonense VI. item Constantinopolitano,* atque etiam *Moguntino* declaravit, perfectius sequi voluit, suis filiis daturus exemplum, quod à Magno Augustino Patre suo acceperat. Porro Moniales suas ipso earundem exordio identidem instituendi causâ frequentare coactus, præterquam quod monitum sapientis sequens, coram ipsis compareret corporis habitu mixta veneratione gravi, nunquam eisdem loquebatur, nisi vel præsente aliqua emtitiæ mensæ convictrice, vel alia virgine externæ, neque se viciniorem illis, quàm duobus passibus sistebat. Præterea, quamdiu vixit, nihil eis unquam præceperat, nisi semel tantùm, dum omnibus diserto mandato inhibuit, ne suam in faciem unquam contuerentur, quàm primùm intra clausuram essent constitutæ.

Dum

Dum ad locum colloquio destinatum accedebat, si clathros aperirent, aufugiebat inde, vel in angulo se occultabat, nunquam proditurus, nisi omnibus ritè, diligentérque obseptis. Qua in re eò usque progressus fuit, ut aliquando in medio Missæ sacrificio tantisper hærentem conspexerint quidam, donec per ministrum monialibus significaretur, nî cratibus aræ directè respondentibus velarium obducerent, mox se recessurum.

Scire cupientes Moniales, utrum earum habitus ad Patris mentem esset compositus, haud ignaræ, quòd ab illo non aspicerentur, pupam vestiebant, atque hoc medio, quid circa religiosum vestitum sentiret, intelligebant. Tanti vir sanctus, & castimoniæ dono cælitùs insignitus oculorum refrænationem ac modestiam tam in seipso, quàm in aliis, præsertim religiosis personis faciebat, exigebátque. *L. 2. vita c. 9.*

Acerrimus quoque *parrhesia* osor fuit Reverendissimus *Cambius Bossus* Mediolanensis, nobili stemmate progenitus, virtute ac vitæ integritate longè illustrior. Trigesimo ætatis anno superato, Congregationi Lateranensi nomen dedit, Cstristúmque omnium idæam virtutum, tota posthac vitâ imitatus, divitias, honorésque sæculi abjecit, tantus religiosæ paupertatis amator, ut nunquam veste nisi obsoleta voluerit uti. Ne caro concupisceret adversùs spiritum, integros annos caricâ, crudóque olere eam nutrivit. Oculis ut lenocinia, & illecebras omnes subduceret, nullas in cubiculo admisit imagines, antro & specu magìs delectatus. Fœdus etiam pepegit cum domesticis suis hostibus præcipuis, ne unquam aspiceret fœminam, vel cogitaret de virgine. Nihil scire videbatur quàm Christum, & hunc crucifixum; tanta affectione erga patientem ferebatur, ut ex sola ejus recordatione in uberrimas dissolveretur lacrimas. Quare vehementis amoris, compassionísque stimulis agitatus, Palæstinam Superiorum veniâ trajecit, loca sacra, maximè Salvatoris passione insignia veneraturus. In Italiam redeunti novitiorum cura pòst in generali Congregatione Ferrariæ celebratâ Anno 1474. suprema Ordinis præfectura fuit demandata. Expleto hoc munere mox intra solitudinem Victorinam tertio à Bononia lapide se recepit, atque ne videret, néve videretur tumulavit se magìs, quàm abscondit, Pauli & Antonii vitæ genus exprimens. At non diu, copiosis jam famæ illustrata radiis, virtus *Cambii* sub modio latere permissa est, iteratò enim à Congregatione Visitator, & definitor electus Cremonæ ad S. Petri de Pado supremum clausit diem Anno 1480.

cælestibus plenus meritis. De illo testatur Joan. Philippus noster apud Pennotum l. 3. c. 10. n. 2. in hæc verba. *Si quando regimen*, Cambius, *in ipsa Religione de more habebat, gregem sibi commissum verbo pariter & exemplo pascebat, tanta mansuetudine, pietate, ac modestiâ, ut etiam mali, visâ hominis bonitate, in meliorem vitam reformarentur.*

155 Atque iste est insignis fructus, quem ab oculorum modestia referunt aspicientes, ut proin non solùm ob rationes assignatas, & merita propria ab immodestis aspectibus sit abstinendum, sed etiã ob proximorum ædificationem eò connitendum, ut tam decora & gravis, cælesti tamen quadam jucunditate, sit oculorum, & membrorum compositio eò usque, ut illos spectantes excitentur ad desiderium & amorem virtutis. Sic Virgo B. M. purissimo suorum intuitu oculorum instillabat quendam puritatis amorem spectatoribus: seu, ut scribit S. Ambrosius *L. 1. de Instit. Virg. c. 7. præsentiâ suâ integritatis insigne aliis conferebat.* Uti advertit *R. P. Lanc. op. 2. de ext. comp. c. 14. n.* 317. Sic S. Pater noster in suo vultu, totóque corporis habitu perinsignem quendam decorem, ac morum gravitatem præferebat, ut tam Canonicis Clericis conviventibus, quàm aliis quibusvis extraneis aspicientibus non homo, sed angelus, veræque perfectionis exemplar videretur. Eandem oculi, orísque modestiam ut sui quoque æmularentur Canonici, expressum dedit mandatum in S. Reg. c. 4. *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus*, illa nempe decorâ, & sanctitatem externè repræsentante membrorum & sensuum exteriorum compositione, quæ alios in admirationem rapit, & ad sequelam mirè allicit. Hinc ulteriùs ibidem monet: *In incessu, in statu, in habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat sanctitatem.* Quàm necessaria autem est Religioso, statum sanctitatis professo, noxiæ libertatis coercitio, sensuum refrænatio, & membrorum compositio, tam concinna, & decens etiam est oculorum, orísque modestia, quæ meritò appellari valet

LEX REGIA.

NAm si *Ratio* regia præfulgeat potestate, cui sensus & membra corporis subiiciuntur, *regis* est, subditos suos rationabili regere imperio, ne in hoc *regno spirituali* à *carne* excitentur tumultus, foveantur rebelliones, discordiæ gliscant, atque in perniciem *animæ*, ip-

ipsiúsque regni excidium intestina *sensuum* bella effervescant. *Lege* proinde *regia* opus est ad coërcendos motus illorum, qui de obedientia regia *Rationis* se subducere per nefariam laborant libertatem. Si *videris aliam legem in membris tuis repugnantem legi mentis tuæ, & captivantem te in lege peccati*, ut conqueritur Apostolus *ad Rom. 7. v. 23.* ex *lege regia* contra *legem membrorum*, scilicet contra libertatem sensuum agendum tibi est.

In tali conflictu *tuum est* (inquit M. Hugo Victorinus noster *l. 3. c. 14. de anima*) *malè acta corrigere; tuum est in ordine, & officio familiam membrorum corporis, & animæ motuum disponere; tuum est singulorum negotia secundùm competentiam assignare. Non sit in regno corporis tui, quod leges & jura institutorum tuorum impunè prævaricet, non oculus, non manus, non pes, non auris, non guttur. Quid enim de ignobilioribus & plebeis membris dicam, si vel attrectare rebellionem præsumpserint? Lapidibus obruantur, jaculis increpationum confodiantur & noverint regem Salomonem sedere super mulam regis 3. Reg. 1. Id est, Rationem super sensualitatem corporis. Quid si pudibunda illa (quæ velato semper nomine appellantur à pudicis & castis labiis) motu inordinato rempublicam infestaverint? Certè abscindantur non ferro, sed jejunio: detruncatione, sed mortificatione. Utinam, inquit Apost. ad Gal. 5. abscindantur, quæ vos conturbant. His suasionibus cor effrænatum in præceps cursum suum rapiens teneri potest, ut sit bona conscientia. Bona est, si habeat in corde puritatem, in ore veritatem, in actione rectitudinem.*

Enimverò qui hanc *legem regiam* in suis motibus ex *imperio rationis* secutus fuerit, regis titulo dignus proclamatur à Ven. Beda *in Matth. c. 13.* nam ita feliciter suos sensus in ordine servantes, & contrariis tentationum motibus resistentes à *S. Matthæo appellatos justos S. Lucas reges appellat. Ipsi sunt enim reges magni, quia tentationum suarum motibus non succumbere consentiendo, sed regendo præesse noverunt.*

Regia potestate hominem sibi ipsi ex rationis præscripto operantem præditum esse, decantata historia inter doctorem & mendicum habiti colloquii perpulchrè ostendit, uti refert illuminatus D. Taulerus à P. Cornelio à Lapide *com. in Ep. ad Rom. c. 12.* & à P. Lanc. *op. 9, cap. 3. in fine.* citatus. Placet ob insignem, quam continet, perfectionis doctrinam totum hic describere colloquium.

Fuit olim, *inquit cit. Auctor*, insignis quidam Theologus, qui annis octo precibus continuis à Domino id cupiebat obtinere, ut ipsi hominem quendam ostenderet, qui eum viam veritatis edoceret. Cùmque vice quadam vehementissimò hujus flagraret desiderio, vox quædam cælitùs lapsa ita ipsum allocuta est: exi foras ad limina templi, & offendes illic hominem,

nem, qui te viam veritatis edoceat. Exiens igitur invenit mendicum quendam diruptis, sordidis, lutosis pedibus, cujus vestes in universum vix tribus obolis supputares, quem salutans ita affatus est: det tibi Deus prosperum manè.

Respondit mendicus: non memini unquam adversum manè habuisse. Et magister, eja, inquit, ut fortunatum te faciat Deus. Quid ita loqueris? respondit mendicus: sed nec infortunatus aliquando fui. Et ille: felix esto ait: quid sibi hæc tua verba volunt? & pauper nunquam, ait, infelix fui. Rursus ita Magister: salvet, inquit, te Deus. Jam nunc apertiùs loquere, neque enim capio, quid dicas. Tum pauper respondit: id faciam libenter. Optabas mihi magister, prosperum manè, & ego me nunquam adversum manè habuisse respondi: quando enim fame premor, Deum laudo; si frigus patior, si grando, si pluvia cadit; si aura serena est vel turbulenta, Deum laudo; si miser sum, atque despectus, Deum similiter laudo, & ideo nunquam triste mihi manè contigit. Optabas etiam me fortunatum fieri, & ego nunquam me infortunatum fuisse respondi: novi enim cum Deo vivere, certúsque sum, quidquid ille facit, non posse non esse optimum. Unde quidquid ille vel dabat, vel evenire mihi permittebat, sive gratum id esset, sive contrarium, dulce vel amarum; lætus id tanquam optimum ab ipso suscepi, & ideo nunquam infortunatus fui. Dicebas præterea, ut felicem me faceret Deus; adquod ego similiter, nunquam me infelicem fuisse subjunxi: soli námque divinæ voluntati inhærere statui, inquam sic integrè omnem meam transfudi voluntatem, ut quidquid ille vult, & ego velim, & meam ipsi voluntatem ex integro resignarim. Hæc cùm mendicus ille retulisset, ita eum rursus Magister affatus est: quid, obsecro, dicturus esses, si te Dominus majestatis in abyssum demergere vellet? & ille, in abyssum, inquit, me demergeret? & revera si id faceret, duo mihi brachia sunt, in quibus eum emplexarer. Unum est vera humilitas, & hoc illi suppono, atque per ipsum sacratissimæ humanitati ipsius unitus sum. Alterum, idemque dextrum est amor, qui divinitati ipsius unitus est, atque per hunc ipsum circumplector, ut mecum ad infernum descendere cogeretur. Optatius autem mihi foret, in inferno cum Deo esse, quàm vel in cælis sine illo. Ex his igitur magister ille didicit, veram resignationem cum humilitate profunda compendiosissimam ad Deum semitam esse. Dehinc iterum ex illo mendico percontatus est, unde venisset. Cui ille: à Deo se venisse respondit. Cúmque magister, ubi eum reperisset, sciscitaretur; ibi, in-

inquit ille, ubi creaturas omnes dereliqui. Et magister: ubi verò ait, Deum reliquisti? respondit pauper: in mundis cordibus & hominibus bonæ voluntatis. Et Magister: quisnam, ait, es tu? respondit ille, se regem esse. Sciscitante magistro, utinam esset regnum ipsius? in anima sua id esse respondit; sic enim, ait, & externos & internos sensus meos regere novi, ut cunctæ affectiones, & vires animæ meæ mihi subditæ sint. Quod profectò regnum cunctis mundi hujus regnis præstantius esse nullus ambigit. Et rursus Magister: quid, inquit, ad hanc te perfectionem perduxit? respondit pauper, nimirum silentium meum, sublimes meditationes, & unio cum Deo. In nulla re, quæ Deo minor foret, quiescere potui. Jam verò Deum meum inveni, & in ipso pacem & quietem habeo sempiternam. Hæc ille mundo pauper, cælo dives, verè sapiens rex.

ARTICULUS VI.

De Conversatione vana, ac derisione mala.

SUMMARIUM.

156. *Sextum perfectionis impedimentum conversatio de rebus frivolis, præcipuè ex doctrina à S. Laur. Justin.*

157. *Unde 4. notanda Religiosis deducuntur.*

158. *Conversatio quoque cum personis sæcularibus, prohibitis, & suspectis æquè noxia; sicut etiam*

159. *ea, quæ fit cum non spiritualiter viventibus.*

160. *Quorum tria potissimùm referuntur signa.*

161. *Offertur ad quæsitum apta loquendi materia.*

162. *Alia pro colloquiis materiarum subministratio.*

163. *Quales in recreatione Religiosi se gerant, ut etiam ex profano colloquio spiritualem referant fructum.*

164. *Septimum impedimentum, derisio scilicet aliorum ex S. Thoma præcipuè explicatur.*

165. *Irrisores diaboli ministri, & multorum sunt causa malorum.*

166. Quia irrisiones contra bona opera, & charitatem militant, 2. sunt remedia, perseverantia in bene agendo, & charitas ex S. Laur. Justin.

167. Ex cujus doctrina 4. notanda deducuntur. Exponitur risus, fletus.

168. An Religioso nunquam ridere liceat? 169. Resolvitur, &

170. Respondetur ad objecta. Sicut 171. Quòd Christus in vita non risisse legatur, afferuntur 3. orationes physicæ, & 172, 173. Theologicæ.

156 SExtum verò indicatur perfectionis impedimentum conversatio de rebus frivolis, vanis, inutilibúsque, & quidem cum personis sæcularibus, suspectis, & non spiritualiter viventibus. Hæc assertio trimembris est, proin distinctis numeris eam absolvemus. Inprimis effatum divini est Magistri Matth. 12. *quòd ex abundantia cordis os loquatur*, *&*, *qui est de terra*, *de terra loquatur. Joan. 3.* Sic irreligiosi sermones, vana colloquia, frivolæ conversationes quid aliud indicant, quàm parùm religiosum cor, vanitate oppletum animum, imperfectionibus, immò vitiis scatentem animam? Quippe teste Mediolanensi Præsule *L. 6. Hexam. c. 9. os est promptuarium voluntatis.* Et Clemente Alexandrino *L. 3. strom. qualis sermo, talis est vita.* Audiamus vanas sermocinationes perstringentem Venetiarum Archipræsulem, qui disertis impedimentum istud indicat verbis *de disc. & perf. monast. c. 15.* Ubi postquam mala innumera linguæ irrefrænatæ monstrârat, & indiscretum reprobârat silentium, ita, ait: „fugiant igitur omnes D. JESU „placere cupientes extremum si„lentium. Fugiant quoque otio„sa, contentiosa, detractoria, in„honesta, adulatoria, & pompati„ca verba, & secundùm Apostoli „sententiam ipsorum *sermo semper „in gratia sit sale conditus. ad Coloss. 4.* „Ita ut valeat ædificare audientes. „In omni loco & tempore adhibe„ant ori custodiam, & præcipuè „cùm humanitatis gratia simul „congregantur. Tunc nil indis„cussum proferant, sed quod ædi„ficet, loquantur. Sic enim SS. „PP. virtutum sectatores, zelato„résque animarum olim egisse le„gitur. Statutis quippe diebus è „propriis egredientes cellulis utili„tatis causâ conveniebant in u„num. Eo itaque tempore nihil „repensibile audiebatur ab eis. „Non extollentiæ non murmura„tionis, non irritationis verba so„nabant, sed totum, quod dice„batur, animæ cibus erat, unde „spi-

„ſpirituales nutriebantur ſenſus. „Ibi modeſta locutio, vilis habi-„tus humilis converſatio, lacrima-„rum effuſio, compunctionis & „dilectionis gemitus relucebat, „nec quisquam ſine ſpirituali pro-„fectu inde diſcedebat, quia om-„nes propter communem, & pri-„vatam utilitatem conveniebant: „juxta ipſorum laudabile propoſi-„tum Dei clementia mirabiliter „operabatur in ſingulis. Sed heu! „hodie non ſic. (*frivolas, vanas inu-„tiles damnoſáſque jam deſcribit con-„verſationes*) Nam rarus invenitur „qui ædificationis verbum poſſit „pronuntiare; rarior autem, qui „ex operandi deſiderio ad audien-„dum ſit avidus. Frigeſcente „namque ſpiritu, & ab interna ex-„ercitatione ceſſante deficiunt, qui „convenire in unum cupiant ad „utilia, quæ proferantur, verba: „quod abſque ſervorum Chriſti „ignominia non fit.

Dein ab exemplis mundanorum hominum Religioſos inſtrui, &ad ſanctiora colloquia ſtatui ſanctitatis convenientia induci peroptat dum ita pergit: „Videmus „nempe agricultores, cùm in u-„num coadunantur, repentè, & „ſine tædio de iis, quæ agriculturæ „ſunt, ſermocinari. Artifices „mechanici de artificiis ſuis, mer-„catores de mercimoniis, orato-„res de ſuis facultatibus confabu-„lari. Et proh dolor! ſoli Dei „ſervi, quæ proprio congruunt „ſtatui, audire, vel loqui non cu-„rant, aut ignorant. Si tamen „conveniant ſimul, ut plurimùm „tacent propria, & utilia, & de alie-„nis proloquuntur negotiis. Cùm „vana audiunt, & ſcurrilia loquun-„tur, intenti ſunt; cùm verò ſpi-„ritualia, citò fatigantur, & perſæ-„pe miſerabiliter merguntur ſom-„no.

Idipſum conqueſtus eſt Chriſtus in quadam viſione S. Birgittæ de quibusdam ſacerdotibus, *quòd magis loquantur centum verba pro mundo* (ejúſque vanitatibus) *quàm unum pro honore ſuo. l. 1. revel. c. 47.* E contrà quantas delicias capiat Servator divinus, cujus deliciæ ſunt eſſe cum filiis hominum, in pia, devota, ac animarum ſaluti congrua converſatione, S. Thereſiæ mirabiliter conteſtatus eſt, ùt patet *in vita c.* 34. Sic S. Virgo expreſſit cæleſtem extaſin: *Vidi Chriſtum in maxima gloria, & majeſtate, præſerentem magnam lætitiam ex quodam colloquio (quod fiebat de piis rebus cum quodam religioſo) & dixit mihi, voluitque clarè à me videri, quòd talibus converſationibus ipſe præſens adeſſet, & quantopere ipſi placeat, ut delectentur homines in colloquiis de illo.* Eandem Chriſti complacentiam in ſpiritualibus colloquiis obſervavit ſæpe celebratus S. Laur Juſt. c. 15. cit. *ubi verò humiles*, inquiens, *congregantur ſimul, ubi utilia pro animabus, ubi ſpiritualia, & cæleſtia tractantur, ibi adeſt Dominus, Ubi namque fuerint duo*

vel tres in nomine meo congregati (ait Dominus JEsus Math. 18.) in medio eorum ego sum. Quantum autem Domino placeant, qui divina proferunt eloquia, & quàm gratanter cum iisdem conversetur, post resurrectionem patenter declarare dignatus est. Cum duobus quippe discipulis pergentibus in Emaum & colloquentibus de iis, quæ acciderant de eo, & ipse tertius comes effectus est, cum iis confabulans & incedens. In medio simplicium habitat Dominus, & cum ipsis sermocinatur: Ubi verò detractiones, & nugæ fiunt abest; neque enim particeps peccatorum esse potest Salvator noster. Quomodo approbare valebit, quod idem minatus est judicare: de omni (inquit apud Matth. 12.) verbo otioso, quodcunque locuti fuerint homines, reddent rationem in die judicii. Nam si exigetur ratio de otiosis sermonibus, quid de irrisoriis, mendacibus, murmuratoriis, & hujusmodi, qui omnino servis Christi non congruunt? NB. sunt tamen multa verba, quæ in se ridiculosa, & vana esse videntur, quæ interdum prudenter. & opportuno dicuntur tempore, vel pro propria sublevanda fragilitate, vel proximorum amovenda tristitia. Hæc nempe talia ab infirmis mentibus nequaquam redarguenda sunt, quia otiosa non sunt. Plerumque hujusmodi magis fructificant, quàm spiritualia & divina; non autem in consuetudinem deducenda sunt sub intentione subductoria, sed rarò suo loco, & tempore pronuntianda. Laude namque dignissimus est, qui intentione non decipitur simulata. Hæc S. Antistes, cujus prolixiores subinde contextus vel ideò descriptos fideliter referre placet, quia hujus S. Patris opera spiritualia, multam Ascesi severiori lucem afferentia, non omnibus sunt ad manus, cùm tamen ex iisdem salutaria hauriri possint documenta, & quidem

1. Deo displicere otiosa, vana, 157
nugacia, contentiosa, detractoria, adulatoria, & religioso ore indigna colloquia: à contrario placere spiritualia, salutem animarum promoventia, divinúmque in alienis cordibus amorem inflammantia.

2. Desummendum esse exemplum à S. S. P. P. non nisi sancta & utilia proferentibus in conversatione sua: item à mundanis quibuslibet, perlibenter de sua propria professione colloquentibus, quid igitur Religiosi tam parci de suo, quem professi sunt, statu adeò sublimi, adeò sancto, adeò perfecto loquantur? Quin ejus perfectioni prorsus, opposita, indecentia, ac peccaminosa, ipsisque sæcularibus scandalosa proferre non erubescant?

3. Contra infrænem oris licentiam optimum remedium, discretum silentium. Nam Ascetæ nostro *l. 1. imit. c. 20. facilius est omnino tacere, quàm verbo non excedere.* Certâ enim experientiâ constat, quòd *nemo securè loquatur, nisi qui libenter tacet*, ac priusquam verbum perveniat ad linguam, bis terve ducatur ad limam.

4. Non-

4. Nonnunquam charitate, virtutum omnium magistra, & directrice, exigente jocosam, honestósque risus moventem institui posse conversationem pro dispellendis ex proximi animo noxiis tristitiis, atque pro excitando, & animando genio, ut à tetricis phantasmatibus purgetur, & ad salutaria studia, religiosáque exercitia aptior evadat.

158 Alterum assertionis membrum continet conversationem non tantùm de rebus frivolis, sed & cum personis sæcularibus, prohibitis & suspectis. Annotavit hoc S. Basilius in *Const. Monast.* c. 7. discipulis suis, disertè jubens, *dandam esse operam, ut non nisi magnâ adhibita diligentia circumspectionéque in congressum cum extraneis hominibus*, scilicet sæcularibus, *veniant. Si enim ipse Salvator noster (ut est in Evangelio Joan. 2.) omnibus seipsum non credebat, ille purus, ille labe omni carens, ille, qui quantus erat, nihil nisi virtus erat, hoc faciebat: quî fieri poterit, ut nos, qui peccatores sumus, qui ad lapsum proclives in conversatione à recto, quod nobis proposuimus, itinere identidem non aberremus?* Eapropter Can. 10. illi, qui sine licentia à suo Prælato obtenta cum extraneo conversatur, pænam *segregationis hebdomadam unam*, & num. 8. *carentiam benedictionis* statuit. Observavit etiam mala ex conversatione cum sæcularibus provenientia S. Protopatriarha Venetus *de discip. & perf. mon. con. c. 22.* *O quot*, inquiens, *temporibus nostris fuerunt, qui tanquam ardentes lampades, & mundi luminaria lucebant coram hominibus, paulatim ex conversatione sæcularium, & confabulatione tepefacti, ad pristina opera sæcularis vitæ miserabiliter redierunt.*

Ex hac causa in omnibus S. Ordinibus aut regulæ, aut statutorum lege cautum est, ut sine facultate legitimi Superioris nullus Religiosus, sive sacerdos sit, sive Clericus (cui id ex officiò non incumbit) sæculari, & extraneo loquatur. Quis quis ergò hanc saluberrimam transgreditur legem, & cum mundanis conversatur, nonne cum personis prohibitis agit, colloquium suum dehonestat, & si frequenter id fiat, suspectam reddit sibi loquentem personam? Quam ob rem S. Ignatius Societatis JEsu Fundator, etsi institutum suum immediatè ad animarum salutem, & proximorum juvamen tenderet, constituit tamen p. 3. c. 1. §. 2. ut abjiciatur *omnis communicatio per verba, & scripta cum iis, qui in proposito sibi instituto intepescendi causa esse possunt, & ut in via spirituali incedendo, cum iis duntaxat personis, & iis de rebus agant, quæ juvent in divino obsequio ad id consequendum, quod in ingressu societatis sibi in scopum præfigebant.* Ita P. Lanc. refert. op. 5. fol. mihi 390. Meritò ergò incauta, & ex defectu legitimæ facultatis prohibita, ac vel ideo suspecta cum sæcularibus, & vetitis personis conver-

versatio Religiosorum impedimentum ponitur perfectionis, ad quam hi vi sui statûs tendere obligantur, proin vitanda esse talia colloquia, nemo, juratæ professionis memor, non videt.

159 Tertium membrum complectitur conversationem cum iis, qui spirituales quidem sunt, sed non vivunt spiritualiter. Impossibile enim est, piè, religiosè, ac sanctè vivere, conversando cum discolis, prava loquentibus, & pejora dictamina sequentibus. Probat assertum hoc regius Propheta *Ps.* 17. *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente innocens eris; & cum electo electus eris, & cum perverso perverteris.* In quæ S. Ambrosius super *c.* 8. *Exodi* ita glossatur: *Noxiæ sunt conversationes cum insipientibus, & inficiunt sobriam mentem, ac decolorant; quia, sicut adhærens sancto sanctus eris ita cum perverso perversus eris. &c.* Non opus est pluribus id probare, cùm omnes S. S. P. P. in hanc concedant sententiam Sancti instinctu Spiritûs, qui *prov.* 20. præmonet: *si quis dilatat labia sua, ne commiscearis.* Quæstio solummodo versatur circa signa, ex quibus *non spiritualiter viventes* dignosci valeant? Quare non tam tyronibus, quàm professis sequentia præscribuntur apud P. Lancicium l. c. altâ mente reponnda.

1. Signa desumuntur ex mori-
160 bus externis, nam secundùm Aristotelem l. 4. Eth. c. 8. *Ut corpora, ita & mores ex motionibus judicantur.* Qui igitur in incessu, in statu, in habitu est immodestus, levis, garrulus, inquietus, silentii inimicus, gulæ deditus, in studio negligens, ad externa effusus, otio addictus, hujus conversatio vitanda est. *Intemperantiæ symbola* (Aureum os *orat.* 33. declamat) *de moribus judicium faciunt, déque affectu: nempe vox, intuitus, habitus. Quin etiam ea, quæ videntur parva, & nulla in numero, ut tonsura, deambulatio, oculorum commutatio, collíque inclinatio, sermocinatio manibus supinis. &c.* Sic etiam mellifluus Præceptor *serm. 6. de ascens.* dissertissimis verbis docet, esse declinandos *remissos & deficientes sub onere, virgâ & calcaribus indigentes, quorum brevis & rara compunctio, tepida conversatio, obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, quos vix disciplina coerceat.* Sic quoque S. P. N. *l. de salut. docum. c.* 22. fugiendum suadet *virum iracundum, invidum, detractorem, mendacem, superbum,* utpote quem *omnibus modis execratur Deus.*

2. Signa non *spiritualiter viventium* sunt quidã defectus etiã leves post admonitiones à Superioribus publicè (in capitulo, ut moris est in nostro S. Ordine) factas non correcti. Ita Origenes *hom.6. in Matth.c.* 18.*v.* 17. docet; *qui in peccato levi correctus ter, non se emendat, nos sic eum debemus habere quasi publicanum & ethnicum, abstinentes ab eo.* Utinam & ipse, hujus suæ sententiæ memor, corri-

rigentem Ecclesiam audiisset, suósque emendasset errores, ex illustrissimo Ecclesiæ doctore factus non fuisset miserrimus persecutor. Licèt verò de solis venialibus admonitus & in iis perseverans, non sit Dei inimicus, si tamen post injunctas publicas pœnitentias, in easdem culpas relabi non cesset, manifestè convincitur, Ecclesiam, id est Superiores (quos Christus illo loco Ecclesiæ nomine intellexit juxta intrepretationem omnium Patrum) non audire, proin velut publicanus & ethnicus habendus est, atque à communitate Religiosorum segregandus. Quin etiam regularis professionis contemptor, vi cujus ad perfectionem charitatis tendere cogitur, & voti obedientiæ neglector è *societate projiciatur, non enim & hoc fit crudeliter, sed misericorditer, ne contagione pestifera plurimos perdat.* S. P. *in reg. c. 6.* Itaque talium conversatio, velut contagiosa à probis, & devotis cautè vitanda, & fugienda est.

3. Signa malè viventium sunt, quando prava instillant consilia, sive dictamina contra Superiores, aut contra alios juxta doctrinas sanctorum & instituti sui regulas viventes. Hi vel maximè declinandi sunt, qui vel verbo vel exemplo inducunt te etiam indirectè, & per ambages ad servandum illud Manichæorum monitum, vel potiùs Priscillianistarum aliorúmque hæreticorum: *jura per jura, secretum prodere noli.* Tales, uti describit S. Bernardus *serm 66. in Cant. oves sunt habitu, astu vulpes. Hi sunt, qui boni videri, non esse, mali non videri sed esse volunt. Mali sunt, & boni videri volunt, ne soli sint mali: mali videri timent, ne parum sint mali. Etenim minùs semper malitia palam nocuit, nec unquam bonus nisi boni simulatione deceptus est.* Tales itaque velut ericii suæ conversationis pestiferæ contactu aliorum piorum sociorum mores cruentantes summè vitandi sunt. Nec hoc fit cum præjudicio fraternæ dilectionis, sed ex motivo veræ dilectionis, quo quisque tenetur magis diligere bonum animæ suæ. Atque hoc non solùm de æqualibus intelligendum est, sed etiam de senioribus & majoribus, si mores eorum ætati maturæ non correspondeant. Inveniuntur enim quandoque senes adeò liberi, & indevoti, & non spirituales, ut timenda sit magis ac declinanda modestè eorum conversatio, quàm juvenum, & æqualium. Et dum te invitabunt ad aliquid regulis, & voluntati Superiorum contrarium, obtemperandum non est, *nec eorum benedictio curanda* juxta monitum S. Joan. Climaci *gr. 14.* Hæc asceticâ doctrinâ celeberrimus ille vir P. Lancicius l. c. fol. 392.

Cùm noxia adeò sit de inanibus rebus confabulatio, uti hucusque ostensum est, petis, de qua ergò materia colloquia Religiosorum 161

in-

inſtituenda?

R. S. Laurentius Juſtinianus *de diſcip. & perſ. mon. conv. c. 15.* in hæc verba. *Studeant Chriſti ſervi, cùm in unum congregantur, & invicem reperiuntur, ſemper de rebus neceſſariis, vel de animæ profectibus habere ſermonem. Maximam namque & indeficientem loquendi materiam invenient, ſi de miſeria præſentis vitæ, de periculis hujus peregrinationis, de variis tentationum generibus, de diaboli fraudibus, & de vitiorum deformitate, de virtutum ornamentis, & meritis, de mortis inevitabili neceſſitate, de pœnis inferni, de regno Dei, & præmio paradiſi: frequentiùs verò de Dei ineffabili charitate humano generi per Chriſtum & in Chriſto exhibita loquantur. De hujusmodi autem tam pro Dei amore, & dilectione, quàm pro audientium ædificatione, & ſuimet profectu Dei ſervi tractare non deſinant, ſpiritualia ſpiritualibus propinantes. Dent verò unicuique proprium verbi pabulum juxta perſonarum qualitatem, & temporum. Nemo autem de ignorantia excuſare ſe valet, cùm Dominus per Prophetam dicat: aperi os tuum, & implebo illud. Quod patenter in ſe David Pſ. 89. completum fuiſſe teſtatur, cùm dicit: Os meum aperui, & attraxi ſpiritum. &c.*

Sæpe laudatus P. Lancicius op.
162 cit. aliam affert inſtructionem materiarum pro colloquiis aptarum, quæ etiam aliis vitæ ſpiritualis ſectatoribus in ſtatu ſæculari & regulari manentibus ſuo modo mutatis mutandis uſui eſſe poſſunt, proin tyrocinio noſtro inſerere viſum eſt.

Tempore itaque recreationis laudabilis eſt converſatio, ſi tyrones, & Religioſi loquantur

1. De vita Chriſti & Sanctorum, déque hiſtoriis Eccleſiaſticis.

2. De hiſtoriis S. Ordinis noſtri tum rerum tum perſonarum.

3. De bonis cujuſque deſideriis ad proficiendum in via perfectionis, déque fructu ex meditatione collecto.

4. De bonis deſideriis juvandi proximos præſertim inter hæreticos, & infideles.

5. De rebus, quas in S. lectionibus aut concionibus audierunt, vel inter prandendũ aut cœnandũ.

6. De ſpiritu & inſtituto Ordinis noſtri, de ſtatutis, Regula, & gratia vocationis, cum humilitate tamen, ſimplicitate, ac devotione in Domino ad perfectam eorum obſervationem.

7. De ſua cujuſque vocatione.

8. De virtutibus, iis præſertim, quæ Religioſis peculiares ſunt, ídque juxta gratiam & proprietatem noſtræ vocationis.

9. De vitiis contrariis, non tamen carnis.

10. De morte, judicio, inferno, & paradiſo.

11. De judiciis Dei occultis, ac manifeſtis.

12. De miſeriis mundi, déque

que periculis eorum, qui in sæculo degunt.

13. De securitate eorum, qui in religioso statu vivunt, cum humilitate tamen, nihil suam Religionem superbè aliis Religiosis S. Ordinibus præferendo, sed ferventi spiritu ejus gratiam magnificando in Domino.

14. De bonis operibus, quæ conferuntur in proximum.

15. De virtutibus, ac Religiosa conversatione Patrum ac fratrum, eorum præsertim, qui vel procul absunt, vel requiescunt in Domino.

16. De hæreticis, & infidelibus nostræ tempestatis, quod spectat ad concipiendum animum, ut adversùs illos pugnetur in gladio spiritûs, atque oretur pro conversione eorum.

17. De his tandem rebus loquantur, quæ possint simul & relaxare animo, & ad spiritualem ædificationem facere. Eæ autem erunt, quæ minimum habeant speculationis, affectus verò habeant religiosè honestos, ac suaviter religiosos.

163 Notandum porro est, ut in recreatione communi Religiosi non sint singulares, solitarii, aut tetrici, non leves in actione, non immodesti in moribus, non plùs, quàm decet, verbosi, non iracundi contentiosi aut ironici, non in incessu incitati, non molesti aut acerbi, neque voce utantur elatiore, vel cachinnis, & irrisionibus contra proximi charitatem militantibus.

Cæterùm sicut improbandum non est, quòd in mensa legantur libri historias politicas, series Imperatorum, Regum, & Ducum, varia bella, & eventus miros in se continentes, aut de novellis instituantur discursus; ita Religiosis maximè cavendum erit, ut ex his subinde merè profanis fructum spiritualem deducant, & ansam acquirant, hominum miserias, mundi varietates, & animarum pericula altiùs considerandi, discordiarum, ac hæresum mala detestandi, bonum proprium, & proximi per piam mentis in Deum elevationem promovendi, atque pro calamitatibus ab Ecclesia, ac Principibus Catholicis amovendis Numen ardentiùs exorandi. Sic enim colloquium ex se non spirituale per S. intentionem fiet spirituale, suóque fructu non carebit. Ast meris fabellis, & novitatibus aures, & linguam accomodare, Religioso prorsus indignum est, ipsisque sæcularibus ridiculum, qui non rarò talibus, non nisi nova loqui, & audire ambientibus, doctas fabulas imponunt, eósque contemptui habent. Hæc de Conversatione perfectionem retardante. 164

Septimum & perniciosum impedimentum perfectionis religiosæ est *derisio alterius*, qui vel vitam mu-

mutavit in melius, & liberiùs agere desiit, vel quædam opera bona Superiorum licentiâ peragit, mortificationes subit, de rebus piis loquitur, regulas & statuta ordinis adamussim observat, atque in moribus simplicitatem præsefert. Hæc *derisio* ex angelico D. 2. 2. *quæst. 75, a.* 1. *fit ludo, unde & illusio nominatur. Sicut autem aliquis convitiando intendit convitiati honorem deprimere* (quæ est contumelia) *& detrahendo diminuere famam* (quæ est detractio) *& susurrando tollere amicitiam* (quæ est susurratio) *ita etiam irridendo aliquis intendit, quod ille, qui irridetur, erubescat, & quia hic finis distinctus est ab aliis, ideo etiam peccatum derisionis distinguitur à præmissis peccatis. Subsannatio & derisio conveniunt quidem in fine, sed differunt in modo, quia irrisio fit ore, id est, verbis & cachinnis: Subsannatio autem naso rugato.* Quàm gravis sit afflictio viro justo, Superiori, Præceptori, vel parenti à malis, propriis filiis, subditis, ac discipulis profecta ipsorum derisio, conquestus est *Jeremias* 20. *factus sum in derisum tota die, omnes subsannant me &c.* Ita ut desistere à prophetia cogitaret, *nimirum humano quodam affectu victus, Sannas & convitia perpeti non valens*, ut observat *S. Chrysost. conc.* 1. *de Laz.* Hinc S. Spiritus ad tranquillitatem reipublicæ conciliandam nocivam communitati derisionem eliminari jussit *Proverb.* 22. *ejice*, inquit, *derisorem, & exibit cum eo jurgium, cessabuntque causæ, & contumeliæ*, quæ proveniunt à talibus derisoribus meliores se suis jocis & illusionibus perstringentibus.

Quòd autem derisio sit peccatum mortale, & gravius quàm contumelia, quæ similiter est in manifesto, ostendit S. Th. q. cit. a. 2. *quia contumeliosus videtur accipere malum alterius seriosè, illusor autem in ludum, & ita videtur esse major contemptus & dehonoratio. Et secundùm hoc illusio est grave peccatum, & tanto gravius, quanto major reverentia debetur personæ, quæ illuditur. Unde gravissimum est irridere Deum, & ea, quæ Dei sunt secundùm illud Isaiæ 37. &c: deinde secundum locum tenet irrisio parentum &c: deinde justorum derisio gravis est; quia honor est virtutis præmium, & contra hoc dicitur Job.* 12. *deridetur justi Simplicitas &c. Quæ quidem derisio valde nociva est; quia per hoc homines à bene agendo impediuntur secundùm illud Gregorii, qui in aliorum actibus exoriri bona respiciunt, mox ea manu pestifera exprobrationis evellunt.* &c.

Quamobrem S. Ephrem tales 165
irrisores justorum *diaboli ministros* appellare non dubitavit, quando L. de præcept. de recta ratione vivendi n. 17. asseruit, quòd is *qui bonis operibus incumbentes irridet, se diaboli ministrum præbet, atque illius obsequitur voluntati, nec gaudium illud inveniet, quod servis Dei paratum est.* S. Catharinæ Senensi Deus Pater pariter hoc malum insinuavit, & magna

magna cum exaggeratione dixit, perstringens malos religiosos hac in re delinquentes: *Isti sunt facti arma diaboli, & cum furore suo venenosè corrumpunt intus & extra. Isti promiserunt Ordinem observare, sed in facto miserabili modo transgrediuntur* (vota Religionis) *imò, quod est valde pejus, non solùm ipsi transgrediuntur ordinem* (regulares observantias) *sed etiam, ut lupi rapaces, insurgunt & persequuntur bonos & humiles, qui ordinem volunt observare, faciendo super eos truffas* (id est, ludificationes irrisiones, ludibria, nam *truffa* derivatur ab Italico verbo *truffare*, quod significat latinè ludificare, per jocum illudere, dicta vel facta alicujus risui, & ludibrio exponere) *atque derisiones, existimantes ex his derisionibus, quibus observatores Ordinis ita persequuntur, suam propriam cooperuisse miseram vitam, sed ex hoc apertius ipsi patefaciunt illam, & ideo tot inconvenientia in S. Religionibus occurrunt.*

Notent sibi cælestem hanc doctrinam illi, qui aliorum, regularem vitam observantium, & virtutibus incumbentium facta propudiosè traducunt, & devotiones ludibrio habent.

166 S. Laurentius Justinianus *de disc. & perf. mon. con. c. 13.* contumelias & irrisiones piis ac devotis irrogantes *diaboli instrumenta* nominat, & alienos esse à charitate dicit.

Cùm itaque priori capite in *charitate* formalem perfectionem consistere demonstratum sit quidquid contra charitatem militat, impedit perfectionem spiritualem: atqui vel maximè proborum derisio contra charitatem militat; consequenter proborum derisio impedit perfectionem spiritualem, & quidem dupliciter. Inprimis derisores in se ipsis, alios deridendo, & subsannando, charitatem lædunt, minuunt, aut expellunt; dein in altero eandem per derisiones minuere, vel auferre nituntur, dum *homines à bene agendo* sannis & risibus *impediunt*, ut habet S. Th. supra l. c. sine bonis operibus autem charitatem non subsistere, aut diu non perseverare SS, PP. & Theologi docent, cùm charitas nequeat esse otiosa, uti S. P. N. *in Ps. 31.* Clarè ostendit, quia *dilectio vacare non potest.* Rationem reddit à contrario amore qui continuò operatur, & mala quæque ex malo amore operatur: *quid enim de quoquam homine etiam malè operatur, nisi amor? da mihi vacantem amorem, & nihil operantem?*

Proinde sicut irrisiones, subsannationes, & illusiones *indirectè contra charitatem* tanquam radicem, & *directè contra bona opera* pugnant; *Radix nostra Charitas nostra, fructus charitatis nostra sunt opera nostra. S. P. N. in Psal. 51. v. 7.* Ita duo efficacissima contra illas sunt remedia, scilicet *perseverantia in bene agendo*, ut propter improbos risus à bene cæptis non desistatur, & *Charitas benigna* erga malos derisores & *pa-*

tiens in adversis, opprobriisque ex amore illius, *qui dedit percutienti se maxillam, & saturatus est opprobriis. Jerem. Thren. 3. 30.*

Primum remedium, seu *scutum inexpugnabile* contra irrisiones præbet S. Chrysost. *hom. 26. ad pop.* ubi ludibria patientes ad constantiam hortatur, & contemnendos esse improborum risus ostendit, *qui vult*, (inquiens) *rideat*; *qui vult subsannet: ad hoc positi sumus, ut derideamur, & subsannemur, & omnia patiamur, purgamenta mundi sumus juxta B. Paulum.* Cogitet ergò irrisiones sustinens illud S. Apostoli *ad Gal. 1. 10. Si hominibus placerem, Christi Servus non essem*, & ita pergat in bene cæptis, ne desistat propter allorum irrisiones, mala judicia, ac contumelias, quia juxta S. Hieronymum *Epist. 26. n. 18. prima virtus est Monachi contemnere hominum judicia.* Quod & Seneca *Epist.* 76. animadvertit, & contra irrisores derisos obarmat hâc Sententiâ: *æquo animo audienda sunt imperitorum convitia, & ad honesta vadenti contemnendus est iste contemptus.*

Alterum scutum affert S. Laur. Justin. *cit. cap.* 13. cujus documentum hic describimus.

„Consuevit etiam nonnunquam „ipse nequam spiritus minùs gra„ves, & timore Dei vacuos ad „irrisionem commovere simpli„cium verbo, aut gestis, quatenus „perturbet animarum puritatem „simpliciter conversantium, faciàt„que illos simplicitate amissâ omit„tere inchoatum bonum, aut per„petrare, quod oderunt, malum. „Diabolicum est figmentum hoc, „& prorsus Charitati contrarium; „non enim alteri irrogare debet „quis, quod sibi ipsi videtur intole„rabile. Hoc naturæ lex mandat, „hoc charitatis Christi jura volunt, „ut illud proximo præbeatur, „quod erga se quisque fieri gaude„ret. Regale quippe mandatum „est dilectio mutua, quæ omnem „legis institutionem perficit. O bo„na charitas! O proximorum lau„danda æmulatio! quis tua potest „reserare præconia? quis effectus, „atque profectus tuos ad plenum „magnificare valet? Tu Deum ho„minibus propitium exhibuisti; tu „sempiternum Dei Verbum in„duisti carne, suspendistique in lig„no; tu proximorum onera, & „amicorum delicta æquanimiter „toleras; tu locum tempúsque ob„servas, ut peccata corrigas.

„Exclamas exteriùs contra de„linquentes justitiæ zelo, & gemis „interiùs, atque ardes dulcedine „pietatis. Tu irridere nescis, & „subsannare quempiam vehemen„ter formidas. In proximo Chri„stum semper videre meditaris, & „fratrem tanquam te amare con„suevisti. Omnes adstrictos te„nes indissolubili Charitatis com„pagine, Quos potes, hortaris; „quibus vales, auxilium impendis: „debiles foves; inscios instruis;

„eran-

„errantes revocas; cadentes erigis „& pereuntes defles. Nulli one„rosa es, cunctis verò benevola, „amabilis, & jucunda. Nullum „irritas; nullum confundis; nullum „supplantas. Temporalem indi„gentibus præbes substantiam, si „illam possides: si ea cares, com„pateris pietatis affectu. Nemi„nem à te vacuum abire permittis. „Deo charum, Angelis amabilem, „hominibúsque venerabilem red„dis possessorem tui. Qui te ha„bet, semper hilaris est, in prospe„ris humilis, in adversis fortis, in „periculis securus custoditur. Qui „verò proximo suo contumelias, „& irrisiones irrogare non metuit, „diaboli instrumentum, & tuo in„dignum se facit contubernio. Ser„vum etenim tuum nulli con„gruit irridere, sed potiùs ut sit „mansuetus, benignus, & pius.

167 Ex isthac S. Patriarchæ doctrina deduces 1, ipsum dæmonem esse cachinnorum, & irrisionum motorem, qui, cùm per se justis nocere nequeat, alios instigat, ut probos persequantur, laudabilia eorum facta ludibrio habeant, virtutem, pietatem, devotionémq; supprimant inter se dicentes: *circumveniamus* (deridendo, subsañando, convitiando) *justum, quoniam inutilis est nobis* (id est, difficilis, incommodus, morosus, offensus, abhorrens à conversatione nostra, & vita irreligiosa) *& contrarius est operibus nostris*, malis nempe, atque hinc vir religiosus, quia laxorum vitam modestâ gravitate, & improborum mores verbo & exemplo suo castigat, istis est odio adeò, ut ei ubivis obstent, & adversentur, uti habent interpretes in *c. 2. Sap. vers. 12.*

Deduces 2. ad malas derisiones à diabolo tantùm moveri *minùs graves*, id est, homines leves, jocis, externis lætitiis, vanitatibúsque deditos, & ad externa semper effusos, intus verò *timore Dei*, spirituali lumine, & gratià *vacuos.* Unde *risum reputavit* Ecclesiastes *c. 2. errorem*, ut alii apud Cornelium hìc tumultum, sive cantum inanem, qui non tam lætitiæ & risûs, quam interni doloris, & conceptæ vanitatis est indicium. Cùm enim internam animi quietem non possideant improbi irrisores, externis cachinnis ac risibus vacuitatem suam ostendunt, gallinis similes, qui non nisi post crebros singultus ova pariunt. *At doloris quæ causa alia, quàm quòd parto ovo venter vacuus vanissimum aërem susceperit?* ita Columella apud cit. Auct.

Deduces 3. malos effectus ex irrisione provenientes. Inprimis irrisor *perturbat animarum puritatem*, sicut enim aqua limpida lapillos in fundo repræsentat, & injecto limo hominum mox oculis subducit: ita animi simplicitas doli, fraudísque nescia alteri se explicat, mox verò, ut irrisiones stultas animadvertit, candorem rubore permu-

tat, pietatem occultat, atque devotionem abscondit, ut *puritatis* in mente latentis *virtus fatuitas credatur. S. Greg. L. mor. 10. c. 10.* Alter effectus est pejor, nam apud incipientes & tyrones irisiones in bono faciunt, ut à bene cæptis desistant, virtutem exercere negligant, & *amissâ simplicitate* politicam simulationem induant: tandem verò *iniquitatem* (quam aliàs ex bona indole, & hactenus diuturno disciplinæ regularis exercitio odio habuerunt) *nomine palliatam diligant, & mentis perversitatem urbanitatem vocent.* Hic est effectus pessimus irrisionum, cùm enim simplices primùm aliorum risibus perturbantur, dein à bonis operibus desistunt, cum irrisoribus tandem consentiunt, idémque, quod alios malè, ac impunè facere vident, perpetrant, & fortè majora, dicentes: *eamus, faciamus: pudet non esse impudentem* S. P. N. *L. 2. Confess. c. 9.*

Deduces 4. derisiones esse contrarias charitati, ac vicissim hanc esse optimum illarum antidotum, cujus proprietates ibidem præclarè describit S. Præsul. Cæterùm cùm irrisores *indignos se faciant contubernio* charitatis, cum diabolo, cujus fuêre *instrumenta*, mercedem recipient miseri, prout cælestis judex comminatus est. *Matth. 5. Væ vobis, qui ridetis, quia flebitis!* sicque fiet improborum

RISUS FLETUS.

S. Gregorius Nazianzenus *in car. Cygna*, definit risum, quòd sit *genarum impulsus, & subsultatio cordis*, causatur verò iste impulsus à quadam titillatione corporis, vel animi, dum novum objectum, aut res insperata incidit. Eandem Philosophus *risûs* assignat causam *L. 3. de part. anim. c. 10. Rident enim celeriter, qui titillantur, quia motus celeriter ad eum locum pervenit, qui quamquàm leviter calefaciat, tamen aperit, & mentem movet præter voluntatem.* Causæ verò titillationis *& cutis tenuitas est, & quòd homo solus animalium rideat*, citiúsque moveatur ad objecta. Conimbricenses *L. 3. de anima c. 13. Q. 1. a. 6.* modum, causásque risûs clariùs explicant, quod nos Philosophis relinquimus, & ex dictis tantùm adnotamus, quòd illi, qui citò solvuntur in risum, citò quoque labantur in tristitiam, & proni sint in fletum. Sicut candela extinctâ flamma mox convertitur in fumum, & lux in caliginem; ita effusa animi lætitia cessante titillatione in mœrorem dolorémque abit. Videmus enim melancolicos effusè

sè

sè laetare, & ridere, mox cessante laetitia, & finito risu fieri magis tristes, vel iracundos, quàm fuerint ante, unde Venerab. Beda in Proverbiis: *Praeceps ad risum, praeceps quoque fertur ad iram.*

Atque hoc verissimum est apud improbos irrisores alienae virtutis; si enim irrisus audacter pergat, virtutis, pietatísque exercitium prosequatur, & impiorum subsannationes generosè contemnat, videbit risum illorum in interiorem mox converti dolorem, animum perturbari, bilem fervescere, risu extensos nervos & arterias contrahi, dispersos spiritus colligi, & ex concepta indignatione, quòd alteri nocere non potuerint, *risum* fieri animi *fletum.* Dum verò *extrema gaudii luctus occupat. Prov. 14.* & risum fletus excipit; piorum *derisio* quid aliud, nisi impiorum *tristitia*, & improborum *risus, fletus?* Et quidem in praesenti vita: sed quid in futura?

Sapiens c. 5. irrisorum enarrat infelicem statum, quando *videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatae salutis* (propter subitam adeptionem salutis & gloriae inexplicabilis, quam justi sint à Deo accepturi) *dicentes intra se, poenitentiam agentes* (suásque irrisiones piis irrogatas detestantes) *& prae angustia spiritûs gementes* (sicut enim risus est sanguinis & vitalium spirituum diffusio, ita in illo articulo supremi judicii in assumpto corpore totalis spiritûs angustia erit, & maxima respirandi difficultas, dolore praecordia comprimente, spiritúmque intercipiente majori vi, ut non nisi in gemitum, & suspirium erumpere valeat) *Hi sunt, quos habuimus aliquando in derisum* (in parabolam probrosam, in fabulam ignominiosam, in ludibrium &c.) *nos insensati* (en: flebilem confessionem, & seram irridentium poenitentiam) *vitam illorum aestimabamus insaniam, & finem illorum sine honore.* &c. Perpendant hanc Sapientis praemonitionem justorum derisores, calumniatores, & convitiatores, tempestivéque desistant à suis malè caeptis, ne illorum *risus* temporaneus fiat perpetuus *fletus.*

Ergò, inquis, nunquam etiam Religioso ridere licet? 168

Respondeo 1. cum S. Basilio *Reg. 31. ex brevior.* Religioso, qui statum perfectionis profitetur, & locum poenitentiae inhabitat, magis convenire luctum, & compunctionem cordis, quàm risum, & exteriorem spiritus diffusionem. Nam *cùm Dominus eos damnet, qui in hac vita rident, admodùm perspicuum est, nullum omnino locum dari fideli*, (si fideli, cur non multò magis religioso?) *in quo ridere debeat, & maximè in tam magno numero eorum, qui per transgressionem legis Deum inhonorant, & in peccatis morti se dant, quorum vicem maerere, & gemere convenit.* Haec S. Basilius. Dein bene observant SS.

S. S. P. P. de Christo sæpius legi, quòd fleverit, nunquam quod riserit: atqui Religiosi sunt proximi Christi imitatores, ac discipuli; consequenter flendo suum imitentur Magistrum.

Tandem de multis Sanctis nunquam, quòd riserint, legitur. Quin Cicero, Plinius & alii testantur, quod antiqui Philosophi Anaxagoras Heraclitus, Phocion, Aristoxenus, Socrates, Cato, Crassus &c. Nunquam ridere visi sint. Et Dion. Phil. apud Stobæum *serm. 72. mihi*, ait, *sanè facies magis ornari videtur lacrimis, quàm risu. Lacrimis enim, ut plurimum, bona aliqua doctrina conjungitur, risui verò lascivia: & flendo quidem nemo sibi concitavit auctorem contumeliæ, ridendo autem spem dedecoris auxit*,

169 Respondeo 2. risum modicum, & tempestivum non modò esse licitum, verùm etiam hominem decere, ejúsque naturæ congruere, tum ad serenandum genium proprium, tum ad lætos, alacrésque efficiendos alios. Ita Clemens Alexandrinus *l. 2. pædag. c. 5.* honestos asserit risus, quibus modus & ratio, conjungitur, *concinna enim & decora vultûs per risum remissio instar instrumenti musici est μειδίαμα id est subrisio; inconcinna verò est dissolutio, & cachinnatio.* Ipse quoque sapientissimus Ecclesiastes c. 3. v. 4. *risui*, utique honesto, suum statuit tempus: *tempus flendi, & tempus ridendi.* Ubi notanter Chaldæus legit: *tempore suo deflendi sunt ægri, & alio tempore hilaritate & risu colligendus est amicus*, qui hilari alterius genio in suis præsertim infortuniis mirè animatur. Porrò sapientem à stulto discerni posse ex risu *Eccles. 21. v. 23.* adnotat *fatuus*, inquiens, *in risu exaltat vocem suam, vir autem sapiens vix tacitè ridebit.* Ergo sapientis est, modestè ridere, seu potiùs *subridere*, dum è contra stultus temerè, ob leves quasque causas effusè ridet, ore latè diducto, solvitúrque insulsè in risum, ubi magis flere deberet. Hanc assertionem docuerunt Sancti verbis, dum Religiosos viros constantem, modesta hilaritate, & hilari modestia porrectam frontem, subridentísque, non ineptè lugentis instar vultum præseferre jubent, atque exemplis suis, ut mox adducam.

Ad textum S. Basilii responden- 170
dum est, verum quidem esse, quòd in misera hac lacrimarum valle uberiorem habeamus materiam lugendi, quàm ridendi ex rationibus ibidem recensitis, ac propterea nemo sit, qui ridere *debeat*; Non tamen negat idem S. Doctor, quòd nemo ridere *possit*, aut nulli ridere *liceat*. Intelligendus quoque est de multo effuso, & immoderato risu, atque de necessario, unde notanter ait: in quo ridere *debeat*, non *liceat*. Modicum ergò & sanctum, qui ob conversionem peccatorum, de qua teste Christo gaudent Angeli, similivé pia de causa nascitur,

tur, risum non prohibet, ut patet clarissimè ex ejus admonitione ad filium spiritualem *Reg. 17. fusiùs disput.* ubi eidem sequens præscribit documentum: *Noli dissolutis labiis risum proferre; amentia namque est cum strepitu ridere, sed subridendo tantummodò mentis lætitiam indica.* Ecce! quàm discretè risum admittat, suadeátque ab ineptis jocis abstinere ita pergens: *Nec in modum parvuli velis jocari assiduè quia non convenit ei, qui ad perfectionem nititur, jocari ut parvulus. Esto in malitia parvulus, & vir perfectus in sensu. Nullum enim habet accessũ cordis compunctio, ubi fuerit immoderatus risus, & jocus.* Sic legimus de multis S. S. quod riserint modestè. Abraham Patriarcha accepto oraculo de Isaac nascituro, *cecidit in faciem suam, & risit. Genes. 17.* De lætitia, & risu Isaac testatur S. Greg. *l. 4. dial. c. 14.* Eum *magnis virtutibus clarum, tanta tamen lætitia perfusum fuisse, ut per eam suas virtutes celare, imò nonnullis obscurare videretur,* propter risum videlicet, cujus causa finalis est exultatio, mentísque lætitia. Danielquoque vir S. cùm à rege idolum *Bel* vivens & commedens assereretur, *arrisit*, & cùm dolus sacerdotum detegeretur, qui cibos *Bel* appositos consumebant, *risit, & tenuit regem Danielis 14. v. 6. & 18.* De S. Malachia *in serm. funeb.* S. Bernardus ita testatur: *risus illius aut indicans charitatis, aut provocans, rarus tamen & ipse. Equidem interdum eductus, excussus nunquam, qui ita nuntiaret cordis lætitiam, ut ori gratiam non minueret, sed augeret. Tam modestus, ut levitatis non posset esse suspectus: tantillus tamen, ut vultum hilarem ab omni tristitiæ nævo vel nubilo vindicare sufficeret.* De aliis quoque Sanctis in morbis, & afflictionibus eos fuisse gaudio tanto perfusos legimus, ut in risum solverentur. De S. Maria Oigniacensi nostra scribit Cardinalis Jacobus de Vitriaco *l. 2. vitæ c. 13.* quòd ante mortem riserit, & dolores, mortémque velut ovans irriserit. *Præ gaudio*, scribit cit. Auctor, *diutissimè subridens submissa voce cantabat: quàm pulcher es rex noster Domine! in eo gaudio postquàm diu perstitit, cantando, ridendo, & interdum plaudendo manibus, tandem ad se reversa, mirabilia, inquit, dicerem, si auderem.* Et inferiùs: *dulci voce cantavit alleluja, & tota fere nocte illa tanquam ad epulas invitata, fuit in jubilo & exultatione; ac paulo post iterum cantans alleluja in vigilia S. Joannis Baptistæ (qua & creditur S. Joannes Evangelista migrâsse è sæculo) circa horam nonam, qua Christus in cruce spiritum Patri reddidit, ipsa quoque ad Dominum migravit, nullo unquam mortis dolore vultûs angelici hilaritatem amittens. A. Domini 1213. ætatis 36.*

De S. *Pionio* & S. *Sabina* illius in martyrio socia die 1. Februarii ex Baronio legimus, sanctos Martyres tyrannis exprobrâsse crudelitatẽ, irrisisse minas, & ad tormenta excussè *risisse. Cùm enim Pionius*

præfectis & satellitibus dixisset: utinam vobis persuadere possem, ut fieretis christiani, illi risu soluto dixerunt: tu verò ne id feceris, ne vivi comburamur. Gravius & acerbius, inquit Pionius, est, post mortem igne comburi, sempiterno. Aridentéque Sabina, adituus & satellites ejus dixerunt: rides? Ita Deo placet, inquit illa: christiani enim sumus, & qui fide sunt in Christum firma, atque constanti risu ridebunt perpetuo. Quod exemplo suo, id documento quoque posteris reliquit claravallensis Asceta; sicut enim eidem risus perrarus, & tantùm charitatis gratiâ in signum interioris quietis, & ordinati appetitûs acciderat, ita pariter Religiosum admonet, ut *amplectatur cordis puritatem, corporis munditiam, silentium, vel verbum ordinatum, oculos stabiles & non sublimes, aures non prurientes, victum & vestitum sobrium, & qui faciat, non impediat boni operis diatam, manus continentes, gressum mitem, non ridendo cordis prodere lasciviam, sed leviter subridendo gratiam. Tract. de nat. div. am. c.* 3.

171 Ad alterum respondenum, verum itidem esse, quod nunquam legatur de Christo, quòd riserit, cujus plures afferri possunt rationes Theologicæ, & Philosophicæ, quarum aliquas pro quadam discursûs honestissimi & saluberrimi materia tyronibus hisce subministro.

1. Ratio physica est, quòd humanitati Christi propter Divinitatem sibi conjunctam, quæ præterita, præsentia, & futura omnia perspicacissimè repræsentabat, nihil unquam novum, aut insolitum, atque adeò admiratione dignum accidere potuerit, quo moventur aliás homines ad risum. *Aristoteles* 1. *Metaph. c.* 2. docet, *quòd admiratio causatur ex hoc, quod aliquis videt effectum, & ignorat causam.* Et sic admirari non est, nisi ignorantis, quod de Christo dici non potest. Quod S. Thomas Aquinas p. 3. q. 15. a. 8. ita explicat. *Dicendum, quòd admiratio propriè est de aliquo novo, & insolito. In Christo autem non poterat esse aliquid novum & insolitum quantum ad scientiam divinam, quâ cognoscebat res in verbo: neque etiam quantum ad scientiam humanam; qua cognoscebat res per species inditas. Potuit tamen aliquid esse sibi novum, & insolitum secundùm scientiam experimentalem &c. Sic admiratio in eo esse potuit. Et assumpsit hunc affectum ad nostram instructionem ut scilicet doceat, esse mirandum, quod etiam ipse mirabatur.* Anima igitur tanquam *risûs causa principalis efficiens*, dum vidit cuncta juxta ordinem à Deo sibi præstitutum contingentia, non concitabatur insolito rei insperatæ motu, in quo risus consistit, prout *Conimb. l. c.* ita explicant. *Offerente se nobis re jucunda, & quæ risũ excitare queat, perfunditur animus gaudio & lætitia, quæ insectum cor mora impatiens se dilatat, magnáque sanguinis effervescentis & vitalium spirituum fit diffusio, ad quam musculorum thoracis, ac præ-*

ser-

ſertim diaphragmatis motus ſequitur: ad diaphragmatis autem agitationem, & porrectionem extenduntur ſimul muſculi, qui à lateribus bucca ſunt, geſtúſque ille oris fit, qui riſus vocatur. Quodſi ponatur experimentali Chriſti ſcientiæ aliquid de novo occurriſſe, ex quo admiratio fuit cauſata, juxta illud *Mat.* 8. *Audiens autem JEſus* (verba Centurionis) *miratus eſt &c.* Unde etiam riſus oriri potuiſſet; abſorbebatur tamen illud *experimentali ſcientiâ* dolorum & pœnarum, actualiter menti Chriſti obverſantium, de quibus infra, atque exhinc omnis riſus in Chriſto impediebatur.

Ratio 2. eſt, quia *cauſa inſtrumentaria riſûs* habetur appetitus, virtus motum exequens, ſimúlque effuſio ſanguinis & ſpirituum, qui ſunt quaſi anteambulones riſûs: ſicut ergò in Chriſto appetitus uterque perfectiſſimè erat ordinatus, omnéſque paſſiones ordinatæ, non poterat ulla exire in actum ſine perfectiſſimo dominio, & rationis imperio, cui virtus executiva pleniſſimè ſubjiciebatur. Nec poterat in Chriſto eſſe inſueta ſanguinis & ſpirituum effuſio propter ſummam cibi, potúſque temperantiam, cùm tamen illa juxta quoſdam Philoſophos oriatur ex quadam petulantia lienis, quando à ſanguine fœcem maximè haurit: tunc enim extendit nervos, ſolvitque arterias, atque ſpiritus diſpergit. Ita ob nimiam & præcipitem ſanguinis, ſpirituúmque effuſionem quoſdam ſubitò fuiſſe mortuos, & ob nimium riſum *Xeuxem*, ac *Verrium* pictores celebratiſſimos animas exhalâſſe, ſcribit *Rhodiginus l. 1. c.* 48.

Ratio 3. eſt ex *cauſa finali*, nam *finis riſûs* eſt gaudii, lætitiæque in anima intùs conceptæ exterior explicatio: in Chriſto autem non ſolùm paſſio gaudii fuit perfectè ordinata, ſed moraliter non potuit eſſe effuſa in riſum, ſive ad diaphragmatis agitationem illam ex *objecto jucundo*, cùm ſacratiſſima humanitas à primo conceptionis momento humanæ conditionis ærumnas perſenſerit continuò, & anima infirmitates naturæ noſtræ in ſe ſuſcipiens, divinitate ſuffulta, innumerabiles dolores triſtitiæque motus advertit, ac permiſit, quia eos Chriſtus quaſi pœnam peccatis noſtris debitam acceptavit, quæ pœnitentiæ, ſatisfactioniſque acceptatio cùm debuerit eſſe perfectè libera, adeoque fieri per rationem & voluntatem, nunquam non potuit *appetitum ſuperiorem* acerbè affligere, moleſtiáſque omnes pro plena ſatisfactione acceptatas objicere, ut *appetitus* ſimul *inferior* dolores ſenſibiles quoque, anxietates, mœroréſque continuos ſuſtinere cogeretur. Atque hoc modo impedita fuit illa *jucunditas objectiva*, quæ riſum concitare poſſet, prout mox pluribus explicabitur.

172 Rationes Theologicæ, quod Christus Dominus in vita sua nunquam risisse dicatur, possunt afferri sequentes, prout internos dolores, & cordis sui afflictiones ipse Divinus Salvator B: Baptistæ Veranæ Ord. S. Franc. revelare dignatus est. Cùm itaque isti dolores gravissimi à primordio Incarnationis in Christo perseverarent, quin cum vita, quoque crescerent usque ad ultimam agonem in cruce, quid mirum, iis absorptas esse omnes animi jucunditates risum promoventes? Ita habet Revelatio illa in Chron. S. Franc. to. 2. l. 7. c. 14.

Cùm interrogasset Christum quædam anima devota, quantus fuisset dolor ejus cordis, Christus respondit: Tantus, quantus fuit amor, quem erga creaturam gerebam. Scias, inquit, filia, fuisse infinitas & innumerabiles pœnas, quia innumerabiles & infinitæ sunt animæ, membra mea, quæ à me per peccatum mortale dissiungebantur, quoties mortaliter peccabant. Et hæc fuit una, ex crudelibus pœnis, quas ego in mente mea sensi, id est, dissiunctionem membrorum meorum. Cogita quantam pœnam sentit, qui martyrizatur in fune pendulus, dissiunguntur membra à corpore. Ita cogita, quod martyrium fuerit meum, quia tot membra fuerunt à me separata, quot animæ erant damnatæ. Et quodvis membrum toties separabatur, quoties mortaliter peccabat. Et tantò pœnalior est dissiunctio membrorum tam spiritualium, quàm corporalium, quantò est pretiosior anima corpore. Et quantò est anima pretiosior corpore, tu non potes intelligere, nec persona vivens: quia ego tantùm cognosco nobilitatem animæ & vilitatem corporis, ac miseriam, quia ego solus feci utrumque, & consequenter non potes tu, nec alia creatura ulla plenè esse capax pœnarum crudelissimarum mearum. Et quia in modo peccandi est gravior unus, quàm alter, & unum peccatum, quàm aliud, hinc est causata qualitas & quantitas pœnæ. Sed pœna crudelis, quæ me crudeliùs cruciabat, erat, quòd viderem membra mea, id est, animas damnatas *nunquam nunquam nunquam* debere reuniri mihi Capiti eorum. Et hoc *nunquam* est illud, quod cruciat in æternum, & cruciabit istas infelices animas super omnes alias pœnas, quas habent, & habebunt in æternum. *Et infra concludit.* Et ita juxta qualitatem & quantitatem pœnæ, quam mihi dederunt separando se à me, ex meâ justitiâ verâ illis correspondet qualitas & quantitas pœnæ. Et quia me afflixit super omnia istud nunquam, ita volo ut istud *nunquam* illos cruciet super omnes pœnas, quas habent, & habebunt in æternum. Et hic co-

cogita, quantam mentalem pœnam pro omnibus animabus damnatis in corde meo usque ad mortem senserim, videndo illas separari à me, & postea in igne æterno uri.

Altero capite agit de mentali dolore, quem Christus passus est in corde suo pro omnibus electis.

Sicut omnibus modis fui afflictus à damnatis, ita & ab electis, qui mortaliter erant peccaturi, ita illorum separatio à me me cruciabat & quam magnus erat amor, quem in æternum erga eos habiturus eram, tantus erat dolor, quem sentiebam ex eorum separatione. Hoc solo differebat dolor, quem sensi ex damnatis, à dolore de electis, quia de damnatis, quippe à me disiunctis tanquam de membris mortuis, non sensi dolorem, sicut non sentitur dolor, dum abscissa manus percutitur vel comeditur à lupo, sed electorum omnem pœnam & amaritudinem in vita, & post mortem sensi, & gustavi. Item in vita NB. pœnas & martyria omnium Martyrum, pœnitentias omnium pœnitentium, tentationes omnium tentatorum, infirmitates infirmorum, persecutiones, infamias, peregrinationes, denique omnem pœnam parvam & magnam omnium Electorum victorum ita clarè & vivaciter sensi & probavi, sicut tu vivè probares & sentires, si quis percuteret oculum, manum, pedem & quodvis membrum aliud corporis tui. Cogita nunc quot fuerint martyria, & quilibet eorum quot diversas pœnas sit passus, & pœnæ aliorum electorum membrorum meorum quot fuerint, & diversitas ipsarum pœnarum? Nunc considera, si haberes mille oculos, mille manus, mille pedes, & quævis alia membra, & in quovis sentires mille diversitates pœnarum, & omnia simul membra in eodem puncto NB. essent in tali afflictione, quàm exquisitum tibi videretur hoc supplicium? Sed membra mea non sunt mille, nec mille milliones, sed infinita, nec diversitates pœnarum fuerunt tantùm mille, sed innumerabiles. Et sicut in paradiso non potest intelligi, quales & quantæ sint beatitudines, gloriæ, & præmia justis præparata & electis; ita non potest intelligi, quales & quantæ sint mortes mortales, quas pertuli pro membris electorum. Post mortem verò eorum, omnes diversitates pœnarum, quas in purgatorio debent pro eorum peccatis pati, & qualitatem & quantitatem earum ego portavi & sensi, quia non erant membra putrida & abscissa, sicut damnati, sed vitalia, quæ in me spiritu vitæ vivebant. Atque hæc sunt verba Christi ad B. Veranam, verissima planè ex eo censenda, quia mentales Salvatoris dolores secundùm S. Scripturam, & communem Ecclesiæ sensum, atque S. S. P. P. doctrinam expli-

catè insinuant. Ex his quasdam rationes Theologicas in rem nostrâ deducimus, & quidem

1. Inconveniens est, & contra humanæ naturæ exigentiam inter summos dolores, & dissolutionem membrorum corporalium ridere: quo multò magis inconveniens fuit Christo, in disjunctione membrorum suorum spiritualium, & inter dolores eapropter mente conceptos ridere, vel leviter subridendo complacentiam ostendere.

2. Qui perfectissimè cognoscit jacturam alicius rei inæstimabilis pretii, & pro qua ipsa vita quasi nihilo habetur, nemo rationis capax in eo casu solet ridere; atqui Christus à tempore suæ incarnationis perfectissimè cognovit jacturam rei inæstimalis pretii, scilicet tot animarum damnatarum, & damnandarum, pro quibus tunc suam vitam, & millenas vitas dare omni momento paratus erat, quin pro unâ redimendâ animâ ipsam vitam quasi nihilo habebat: ergo Christus in hoc casu (nempe semper ob oculos divinæ ac humanæ mentis ponebatur tot animarum jam damnatarum, ac imposterum damnandarum exitium) non solebat, nec moraliter poterat (stante hac dolorosa cognitione) ridere.

3. *Pœna crudelis*, imò crudelissima propter amissum summè amatum bonum, & *nunquam* recuperabile, excludit meritò jucunditatem, & ex ea provenientem *risum*: totâ autem vitâ crudelissimam sentiebat Christus pœnam propter amissas animas, & amittendas, summè à se amatas, & post damnationem *nunquam* recuperabiles; quomodo ergò totâ vitâ suâ *unquam* potuit ridere? Idem dolor, pœnáque crudelior cruciavit Christum videntem totâ suâ vitâ miserabiles *Electorum* per peccata lethalia à se separationes, quæ amantissimum JEsu cor mirum in modum affligebant, quia promanârunt ab amatis; sicut ergò major erga electos fuit Christi amor, ita major quoque ipsius fuit dolor, dum illas separationes continuo aspexit.

4. Pœnitentes, tentati, infirmi, persecutiones, infamias, & blasphemias sustinentes non solent in risum dissolvi, cùm id istorum statui haud conveniat: Atqui Christus *pœnitentias omnium pœnitentium* in se suscipiens verè fuit pœnitens; *tentationes omnium tentatorum*, *infirmorum persecutiones* &c. in seipso probans & sentiens, verè *extrinsecè* tentatus, infirmus &c. fuit; ergò in risum dissolvi non conveniebat Christo in hoc statu, ubi *verè languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit. Isa. 53.* Hinc Angelicus p. 3. Q. 15. a. 5. concludit *dicendum, quòd ad veritatem doloris sensibilis requiritur læsio corporis, & sensus læsionis. Corpus autem Christi lædi poterat, quia erat passibile, & mortale; nec defuit ei sensus læsionis, cùm anima*

Christi

Christi perfectè haberet omnes potentias naturales. Unde nulli dubium debet esse, quin in Christo fuerit verus dolor.

5. Repugnat *in eodem puncto* summè esse afflictum, mille milliones suppliciorum, infinitas diversitates pœnarum perpeti, summè item esse tristem, ac simul gaudere, delectari, atque ridere; Christus autem in tota sua vita, & *in quolibet vitæ puncto* summè fuit afflictus propter damnationem reproborum, & propter lethales separationes à se justorum *Electorum*, perpessus etiam est mille milliones suppliciorum, & infinitas diversitates pœnarum, quas Electi sustinuerunt, & sustinebunt; item summè *tristis fuit anima* ipsius *usque ad mortem Matth. 26.* Ergò simul gaudere, delectari, atque *ridere* repugnabat. Sunt autem gaudium, & exterior delectatio *finis risûs*, uti supra ex Conimbricensibus cit. n. 171. ostensum est.

Quidquid verò Christo Domino nostro gaudium & delectationem jucundam, atque risum afferre poterat ex contemplatione divina, & scientiâ humanâ, v. g. prægustando cœlestia gaudia omnium suorum *Electorum*, quæ superant omnium damnatorum pœnas, & exantlatos à justis dolores &c. Divina virtute retinuit Christus in mente sua, nec ad appetitum sensitivum derivare permisit, ne sensibilis dolor supprimeretur; cùm ipse venerit miserias humanæ naturæ probare, & esse *Pontifex, qui possit compati infirmitatibus nostris, tentatus autem per omnia pro similitudine absque peccato. Hebræ. 4. v. 15.* Sic Christus omnes nostras infirmitates expertus est, & *per omnia tentatus* est (id est, afflictus, probatus, & exploratus variis persecutionibus, doloribus) *pro similitudine*, id est, omnino similiter atque nos, ut istâ experientiâ quasi edoctus, & miseriarum nostrarum certior in se ipso factus, proclivis, pronúsque esset, compatiendi nobis, & succurrendi omnibus tentationibus, ærumnis, & infirmitatibus nostris. Quare S. Th. 3. p. Q. 15. a. 6. veram in Christo fuisse tristitiam ex eo probat, *quòd delectatio divinæ contemplationis ita per dispensationem divinæ virtutis retinebatur in mente Christi, quod non derivabatur ad vires sensitivas, ut per hoc dolor sensibilis excluderetur. Sicut autem dolor sensibilis est in appetitu sensitivo, ita & tristitia. Sed est indifferentia secundùm motivum, sive objectum: nam objectum & motivum doloris est læsio sensu tactûs percepta; sicut cùm aliquis vulneratur. Objectum autem & motivum tristitiæ est nocivum, seu malum interiùs apprehensum sive per rationem, sive per imaginationem, sicut cùm aliquis tristatur de amissione gratiæ, vel peccuniæ. Potuit autem anima Christi interiùs apprehendere aliquid ut nocivum, & quantum ad se, sicut passio & mors ejus fuit: & quantum ad alios, sicut peccatum discipulorum, vel etiam judæorum occidentium ipsum. Et ideo*

Ideo sicut in Christo potuit esse verus dolor, ita potuit in eo esse vera tristitia; alio tamen modo, quàm in nobis. &c.

Atque istæ rationes Theologicæ eruuntur ex Revelatione B. Veranæ facta. Plures sunt, quæ colliguntur ex ærumnosa Christi vita, quarum succinctè sequentes notandæ veniunt.

Primò ingens fuit Christi adhuc in virgineo Matris utero latentis dolor, suspicio S. Josephi, quasi conceptus ipse esset ex adulterio, ut eapropter *voluerit* Joseph *occultè dimittere eam*, Virgineam suam Sponsam. *Matth. 1.* videantur desuper SS. PP. interpretationes citatæ *apud Lanc. opusc. 9. c. 10.*

2. Quando nasciturus ex Virgine fuit exclusus è diversorio, unde S. Mater ejus ad speluncam pastoribus notam, & in rupe excisam secedere coacta est, & natū Deum in præsepio reclinare. Hæc incommoditas sicut Matri puerperæ, ita filio nato afflictio non modica fuit.

3. Vix natus, & pauperrimè nutritus cogitur in Ægyptum fugere, & cum dilectissimis parentibus à patria exulare.

4. Multas maledictiones passus fuit patrum & matrum, quorum infantes ipsius occasione occisi sunt ab Herode. Plebs enim & vulgus semper solet maledicere iis, quorum occasione grave aliquid infortunium communitati accidit.

5. Ipse Herodes Crux Christi spiritualis fuit, dum pessimo animo Christum innocentem ad crudelem lanienam quærebat ex ambitionis instinctu, quam solam odio prosequebatur tanquam offensam Dei, etsi desiderium Christi necis non accessisset.

6. Incarceratio Joannis Baptistæ tanta fuit Christi afflictio, ut mox fugerit, & *secesserit in desertum locum. Matth. 14. & Marci 6:* Atque mortis, & persecutionis lethalis causâ (uti divina virtute malevolorum cogitationes præsciebat) quoties se se abscondere, & fugere debuit? modò fugiens Pharisæos, *secessit ad mare. Marci 3. v. 7.* Cùm scandalizati fuissent ex Sancta Christi doctrina Scribæ, ac Pharisæi, *egressus inde JEsus secessit in partes Tyri, & Sidonis. Matth. 15. v. 21.* discessit inde, ut declinaret iras, & odia scribarum, útque gentilibus, quales erant Tyrii, suam doctrinam, & miracula, quæ judæi, & scribæ aspernabantur, impertire inciperet, sicut explicat hunc locum *Cornelius.*

7. Ingratitudo Gerasenorum, & liberior vivendi modus afflictio fuit, quia liberato à legione dæmonum, in porcos ablegatâ, dæmoniaco tota civitas *rogavit illum, ut discederet ab eis, quia magno timore tenebantur. Luc. 8. v. 37.*

8. Quoties ab iniquis tanquam blasphemus fuit judicatus, & pronun-

nuntiatus: cùm paralyticum sanasset, eique dixisset: *remittuntur tibi peccata tua*; statim *quidam de scribis dixerunt intra se: hic blasphemat. Matth. 9. v. 2. & 3.* Atque isthæc injuria & calumnia sæpe Christo post impensa misericordiæ suæ opera accidit, quæ non parùm cruciabant optimum salutis medicum.

9. Judæorum scandala ex operibus Christi desumpta haud levis erant Salvatori dolor ita, ut *beatum* pronuntiaverit, *qui non fuerit scandalizatus* in ipso. *Matth. 11. v. 6.*

10. Irrisiones frequentes sustinuit, sicut, cùm puellam Principis resuscitans, dixisset turbæ tumultuanti: *recedite, non est enim mortua puella, sed dormit, deridebant eum. Matth. 9. v. 24.*

11. Accusationes de magia eorum, qui viderant ejecto dæmoniô, sanatum fuisse à Christo mutum dicentes: *in principe dæmoniorum eiicit dæmones. Matt. 9. v. 34.* Magnam adeò inferebant cordis tristitiam, ut ab ista calumnia se se vindicare (aliàs patientissimus) voluerit, dicens apud *S. Lucam 11. v. 17. & 18. omne regnum in se divisum desolabitur. Si autem & Satanas in se ipsum divisus est, quomodo stabit regnum ejus? quia dicitis in Beelzebub me eiicere dæmonia &c.*

12. Multiplices tentationes à scribis, Pharisæis, & Sadducæis factæ: *Si licet Sabbatis curare, ut accusarent eum Matt. 12. v. 10. Si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex causa. Matt. 19. Si licet censum dare Cæsari. &c. Ita consilium inierunt, ut caperent eum in sermone. Matt. 22.* Quales tentationes ac interrogationes tantùm ad JEsum confundendum, & ad ejus doctrinam cavillandam tendebant, & quia ex livore scribarum promanabant, magnæ molestiæ in Christo causa extiterunt.

13. Fatalia judæorum judicia, & conspirationes in necem Christi, *consilium* aliquoties *faciebant adversùs eum, quomodo perderent eum. Matt. 12.* & quidem ante tempus illi à Patre æterno præstitutum &c. mentales Christo dolores validè augebant, sicut etiam

14. Persecutiones adversariorum impedientium illius prædicationem, & fructum ex ea hauriendum, dum plures in ipsum credidissent, & se convertissent, si tot adversarios, summósque Sacerdotes ipsos non habuisset. His plenæ sunt S. literæ, cùm illum è supercilio montis præcipitare voluerunt. *Luc. 4. & Matt. 4.* Jam Herodiani eum ad necem quæsierunt. *Marc. 3. Matt. 12.* Modò tulerunt lapides, ut jacerent in eum, lapidaréntque. *Joan. 8. & 10.* Tantas igitur Salvator amantissimus persecutiones, & impedimenta suæ futuræ doctrinæ acerbè tulit, atque de una civitate in aliam, de loco in locum fugere, iterúmque *relinquere judæam, & abire iterum in Galilæam* debuit. *Joan. 4. Mat. 4. Marci 1.*

15. Denique appropinquante

Passionis suæ tempore Judæ desertionem, proditionem, venditionem tam acerbè tulit, ut ipse *turbatus sit spiritu, & protestatus sit, & dixerit*: *Amen Amen dico vobis; quia unus ex vobis tradet me, Joan. 13. v. 21.* In quem locum S. Cyrillus Alexand. l. 9. *adeò*, inquit, *molestè ferebat scelera illius, qui, cùm ejus panem manducasset calcem tamen contra illum elevarit.*

De isto dolore mentali Christi ob ingratiutdinẽ Judæ discipuli sui & proditoris c. 6. hæc habet revelatio B. Veranæ.

„Cogita, filia mea, quantus fuerit ob impietatem & ingratitudinem amati mei discipuli Judæ, „quia illum conscivi in numerum „Apostolorum, condonavi ei „omnia pecata, feci operatorem „miraculorum, dispensatorem „omnium rerum mihi datarum, „& semper ei ostendi signa singularis amoris, ut eum removerem à concepta iniquitate: sed „quò majorem ei amorem ostendebam, tantò iniquiora contra „me cogitabat. Quando accessi „ad lavandos ejus pedes cor meum tunc liquefactum est in planctum excessivum, & verè fontes „lacrimarum prodibant ex oculis „meis super pedes ejus, dum genibus flexis capite inclinato ad pedes ejus flecterem, cooperiente „faciem meam capillitio meo „longo, dum caput inclinatum „haberem, tunc dilectus meus „Joannes, quia ei omnia passionis meæ in illa cœna revelaveram, „notabat quemlibet meum actum & advertit me amarè flere, dum lavarem pedes Judæ, & „sciebat ex teneritudine amoris „procedere quamlibet meam lacrimam, Sicuti pater habens unicum filium morientem, servit ei „aliqua in re, & dicit in corde suo: „fili vale, hoc est ultimum obsequium, quod tibi impendo. Ità „planè feci Judæ, quando eum osculatus sum, & lavi pedes, & cum „tanta teneritudine illos mihi approximavi, & strinxi ad faciem „meam, quæ omnia notabat Joannes, qui uti humillimus ultimo „loco sedit, & ultimus fuit, ad cujus abluendos pedes mea genua „flexi. Et cùm non posset se ampliùs continere, & ego in terra „essem, ita verò sederet, utrumque brachium suum injecit in collum meum, & sic me aliquantulum tenuit magìs mortuus, quàm „vivus præ stupore eorum, quæ vidit à me facta Judæ; & quò major erat meus amor erga Judam, „eò major & dolor.

16. Dolores B. V. Genitricis suæ, inamoratæ discipulæ Magdalenæ, & dilectorum discipulorum moerores, ac dispersio, mentales erant, iique gravissimi Christi dolores, sicut pluribus explicuit ipse B. Veranæ.

17. Tandem varia, passionem illius antecedentia, concomitantia

tia, & ultimò mortem ipsam afferentia, inexplicabiles prorsus afflictiones tristitiæ lethales, & dolores acerbissimi erant Christo. Eorum P.Lanc. cit.op.9. cap. 10.septuaginta & unum refert, & c. 11. ex B. Angela de Fulginio plures numerat. Nobis modò pro coronide hæc sit conclusio. Omnes istos dolores, & afflictiones tam suas, quàm sanctissimæ suæ Virgineæ Matris, Discipulorum,& Electorum suorum per scientiam divinam præcognovit Christus in verbo;& per scientiam humanam, quâ cognoscebat res per species inditas, sciebat cuncta sive bona sive mala, ac sibi molesta: ergò utraque hac stante scientiâ, de futuris doloribus, & afflictionibus nec gaudere, nec ad risum moveri poterat Christus.

Neque *scientia experimentalis*, secundùm quam aliquid novum, & insolitum, atque admiratione, & forsan risu dignum occurrere poterat, causa risûs esse potuit; quia hæc scientia à conceptionis momento non nisi tristia, dolorosa, molesta, & mentem Christi affligentia indicabat, quæ etiam successivè eveniebant, & per totam vitam in animo Christi perseverabant, ut in omni humano sensu exteriorem lætitiam, & risum in Christo extinxerint. Quis enim *rideat*, si singulis momentis tristandi causam novam acquirat? si irreparabilia damna quotidie experiatur? si charorum separationes millenas gravissimè omni momento videat? Si à principio nativitatis temeraria judicia, mortales insidiatores vitæ, calumnias, probra, irrisiones, & cavillationes malevolorum,& ingratorum omni momento humanæ menti obversentur? si denique ignominiosissimam, & injustissimam mortem præ oculis habeat? Atqui hæc omnia Christus fuit expertus, & per *scientiam experimentalem* omnibus momentis suæ vitæ novam patiendi materiam ex suprà relatis acquisivit: ergò etiam *quoad scientiam experimentalem* risus in Christo non fuit. Ubi tamen absolutè non negamus absolutam potentiam, sed illam contrariis objectis tristibus, & afflictivis omnino in Christo impeditam asserimus, ex qua Resp. varia S. scripturæ loca, & objectiones ad speciem contrariæ dissolvi possunt. Quòd verò Religiosi sint imitatores Christi quoad mandata, & consilia perfectè implenda,& quoad vitam secundùm vitam, & mores Christi regulandam, certùm est, non tamen quoad ea, quæ sunt meræ dispensationis, & virtutis divinæ in Christo, ut constat ex S. Thoma l. c. Qui autem dolores, & Passionem JEsu Christi frequentiùs meditantur, ac patienti compatiuntur, partem dolorosæ crucis in suos suscipiunt humeros, in lacrimas amorosas,& gemitus dissolvuntur, & à risibus

abſtinent propter quotidianas injurias, quas Salvatori ſuo per ſummam malitiam inferunt graviſſimi peccatores, *rurſus crucifigentes ſibi metipſis filium Dei & oſtentui habentes. Hebr.* 6. perfectiſſimè imitantur Chriſtum. Nec dubium eſt, quin magis *ad fletum* quàm *riſum* forent proni Religioſi, aliique Clerici, ſi perpenderent æterna, conſiderarent præſentia, vana, & miſeriis plena, ac proſpicerent futura damna. Quàm multi forent, quorum *riſus fletus* eſſet, ſi ſcirent ſuorum amicorum, & confratrum fallacias; qui in faciem rident, in tergo irrident. In præſentia laudant, amant: in abſentia vituperantur, calumniantur, detrahunt, & lethalia in famam, honorem, & amicam charitatem machinantur conſilia ad perdendum. Certum planè eſt ſi quis *experimentaliter* ſciret tam liberales amicos (falſos confratres) non tam liberales cum iis inſtitueret *riſus*, ſed ex conſideratione malorum oppoſitorum compunctioni plùs ſtuderet, prout Kempenſe documentum eſt *l. 1. imit c.* 21. *Noli eſſe nimis liber, ſed ſub diſciplina cohibe omnes ſenſus tuos, nec ineptæ te tradas lætitiæ.*

Quapropter Ethnici Philoſophi quidam mundi miſerias, dolos, fraudes, fallacias, vanitatéſque penitiùs conſiderantes ab omnibus ineptis lætitiis, riſibúſque abſtinuerunt, inter quos *Heraclitus*, quoties domo egrediebatur, flebat, quòd ei omnia miſeriæ viderentur. Circa idem verò objectum ſub alia ratione conſideratum *Democritus* ſolvebatur in riſum, quòd eidem omnia, quæcunque ab hominibus aguntur, ineptiæ apparerent. Proin mundo, vanitatibus, gaudiis, & deliciis ejus quaſi in quodam theatro repræſentatis meritò hoc in frontiſpicii titulo inſcribo lemma: Riſus Fletus.

Sicut colloquia Venerab. Petri Forerii ad ſanctiores converſationis regulas directa erant, nunquam enim ex ore illius proceſſit verbum, quod audientes non ædificaret, altiore virtute elevaret, mentes in Deum, & ſalutarem afferre poſſet animarum fructum: ita quoque in ſuis converſationibus levitas mentis, affuſa animi lætitia, cachinni, & riſus notabantur nunquam, fletus verò ſæpiſſime. Ita de illo atteſtatur vitæ ſcriptor l. 4. c. 1. *Gaudium apparebat ex ejus fronte, quæ plerumque magis hilaritatem, quàm triſtitiam præſeſerebat, ejuſque cum aliis conſuetudo nihil habebat amaritudinis, quinimmò tam erat ſuavis, & blanda, ut omni mærore, faſtidióque excluſo, vehemens magis deſiderium, quàm formidinem poſt ſe relinqueret, &c. Quod ad lacrimas attinet, eæ nunquam non per ipſius vitæ decurſum ocurrunt. Plorat, dum ſacrum facit, præſertim in media nativitatis nocte; plorat, dum de iſta Nativitate verba facit; plorat, cùm offendi Deum audit; plorat in generalem electus; plorat, dum*

ad

ad Dei parentem preces fundit. Ubique demum plorat, quocunque aspicio, nihil est nisi pontus lacrimarum; quamquam in publico hanc oculorum pluviam plus sibi pudoris, quàm oblectamenti consciscentem invitus omnino toleravit.

B. Theodorus Placentinus quotidie acerbissimam Christi passionem meditando, magnam ex compassione lacrimarum vim effundebat, ut non nisi in vulneribus Christi vivere aut inveniri posset, atque hinc omnem à se ineptam removit lætitiam, risúmque. De eo p. 1. fol. 460.

Risum omnem, & immoderatos cachinnos aversatus, S. Gilbertus Bridlingtoniensis Anglus ad exemplum Divini Magistri fletus potiùs elegit, quibus assuetus ita fuit, ut etiam refectionis communis tempore amaras profuderit lacrimas, quòd deficientem naturam quotidiano reficere cibo haberet opus. Ex sola Christi passione consideratâ, vel pœnitentibus signa interni doloris manifestantibus, à se conspectis, in uberes solvebatur lacrimas, ut ob tantam ploratûs frequentiam utroque orbatus lumine sit creditus. Plura de illo p. 1. à fol. 355.

Sanctum Patrem egregiè imitatus est Robertus Scriba Anglus Præpositus IV. Bridlingtoniensis, risus, & ineptas lætitias prorsus à Canonica sua in exilium cum inerti otio relegans. Cùm tempus omne utilioribus accomodaret studiis *scribæ* nomen sortitus est à scribentis antiquorum auctorum libris (quorum ingenti numero Bibliothecam Brigdlingtoniensem instruxit) uti *Joannes Bitsius* Anglicarum rerum scriptor celebris habet vel ob varietatem lectionis, & scriptorum sacrorum copiam, uti opinatur *Joan. Balaus.* Ab ineunte quippe ætate lectioni librorum intentus adeò fuit, ut nullus latinorum Theologorum extiterit, cujus opera non viderit, legeritque. Ad Superos abiit Anno 1180. *Ex Joan. Pitsio de script. Angliæ l. 2.*

Placet hic annectere memoriam S. S. Can. quos *Joan. Bolland. ad diem 4. Febr.* breviter tangit. B. Feliciana Lusitana S. Aug. Regulam in Congregatione Conimbricensi professa propter sanctiorem conversationem cum suis habitam, cæli præmia ex merito obtinuit. Viget memoria hujus Virginis hodie etiamnum in Monasterio regio *S. Joannis Conimbricensi*, ubi Canonissam Regularem S. Augustini professa erat, tum ob miranda, quæ Deus per eam operatus est, in vita & post mortem ipsius, quæ contigit 4. *Februarii An.* 1192. Tum ob sanctitatis famam. Unde S. illius Reliquiæ aureæ thecæ inclusæ inter alias Divorum exuvias cum veneratione asservatæ An. circiter 1655. intra basin Crucifixi in ara sacrarii repositæ sunt.

S. Goldrophes Lusitanus, Prior,

or, ut vocant, sive Abbas Canonicorum Regularium *S. Petri de Folques*, quod 7. circiter leucis Conimbrica distat, pari saeratioris conversationis laude eximius, non nisi sanctis moribus ad sanctitatem perveniri posse suâ ostendit vitâ. Dolendum planè, quòd res ab hoc S. viro gestæ interciderint, temporum, bellorúmque injuriis, uti refert *Georg. Cardosus in Hagiologio Lusitania.* Eo tantummodò in loco nunc *Os tibia* asservatur, reliquis corporis sacrati partibus à quodam Episcopo Conimbricensi (non nominatur) qui ejus ope sanitatem mirabili obtinuerat modo, incertum, quò asportatis, aut repositis. Confluit tamen hoc die *Folquesium* ingens hominum multitudo de longinquis etiam locis, sacrum cæli pignus veneratura. *Ex cit. Auct. ad hunc diem Febr.*

Otto Lyman Belga ex Congregatione Windesemensi ob insignem conversationis religiosæ virtutem non postremam meretur laudem. Tria in vita servavit sanctè, quæ Religiosum efficere sanctum possunt. Strictissimus præpri.nis silentii regularis observator, quo vanas lætitias, & risus irreligiosos planè cohibuit (silentium enim sanctè servatum risus nescit) uti & pro disciplina Canonica plurimùm fuit zelosus. Frequentare Chorum, atque inibi Divino interesse Officio, voluptas, ac deliciæ illius erant, ut nec senio, & apoplexiâ debilitatus eundem accedere omiserit. Paupertatem religiosam in vestibus, cæterísque utensibilibus rebus solicitè tenuit. Cùm beatiore miseram commutavit vitam, æternos pro religiosa modestiâ cæli risus excepturus 4. *Februarii. 1474. ætatis 76. Religionis 55.* in Canonia *S. Agnetis. Ex Thoma Kempens. in Chron. Mont. S. Agnetis. c. 29.*

Reverendissimus & Illustrissimus D. Hieronymus Schlaich tanta morum gravitate, ac suavitate omnia sua cum Canonicis, aliísque, quibuscum ei agendum erat, colloquia condiebat, ut è Collegio S. Petri oppidi Waldsensis in Suevia promotoribus integritate, pietate, ac doctrinâ in Suffraganeum Episcopum Cathedralis Ecclesiæ Brixinensis fuerit assumptus. Anno 1550. Obiit ibidē, magnâ nominis sui relictâ gloriâ. *Ex cælo stellato Sebastiani Ligodentini apud Reverendissimū Gruber 19. Juni.*

De Venerabili *Henrico Manden* in Chronico Windesemensi L. 2. c. 44. & 45. relatu digna refert Buschius celebris hujus Congregationis Historiographus. Antequam is Windesemensem Congregationem amplecteretur, plures annos Comiti Hollandiæ Wilhelmo, ejúsque conjugi Margarithæ à secretis fuit. Concionibus verò Gerardi Magni, & Florentii Radewini ad sanctiorem vocatus vitâ, Deo in S. Religione servire imposterum secum statuit. Sed cùm negotium

sa-

salutis frigidiùs urget, divitiis, ac quas mundus offert, deliciis abstractus, ecce! humana specie cruci affixus Mundi Salvator tum intra & extra domesticos lares, tum intra templum eidem visendum se præbet, sanguinem recentem in SS. vulneribus ostendit, argumento eorum, quæ ipse pro ejus amore pertulisset.

Quare cùm Henricus tam amanter vocanti, & tam blandè ad servitutis *jugum suave* trahenti Numini resistere nefas duceret, in Windesemensi Cœnobio Canonicum professus est Ordinem inter Clericos, quibus per totã vitam ex singulari animi demissione in sacro odæo priorem reliquit locum, ob certas causas S. Ordinibus nunquam insignitus. Abstinentia illius planè fuit notabilis, utpote unico pane, modicísque cibis integram septimanam transigentis, cùm tamen proceræ esset staturæ. Morbos, afflictionésque ex amore, apparentis olim sibi Crucifixi JEsu Christi, patientiâ mirabili tolerabat. Cùm Sacrificio Missæ, ubi patientis Numinis Mysteria renovantur, interesset, à lacrimis sibi temporare haud potuit, quas, dum S. Eucharisticum ferculum sumendum ei fuerat, largiore fonte ita profudit, ut chori pavimentum, ac vestimenta ipsius lacrimarum guttæ inundarent; unde & strophiolum pro iis, quas amor in Deum accensus expresserat, stillis abstergendis manu deferre consuevit. Ambitum, aut alium in Collegio locum quemcumque pertransiens, oculis, ac manibus erectis semper incessit, atque hoc situ corporis, moribúsque ad pietatem compositis haud vanam excitavit apud alios suspicionem, conversationem suam magìs in cælis, quàm in terris esse, prout subitò oborta etiam suspiria crebra, & calentes in Deum affectus testes erant.

Colloquia ejus non nisi de rebus spiritualibus, aut de talibus erant, quæ ad virtutes profectúmque in illis hauriendum provocabant. Unde commune juniorum fratrum asylum pro remediis tentationum suarum extitit, quos ut verbis juvaret, & scriptis erudiret, varios in hunc finem libellos Spiritu Dei, & ascetica doctrina refertissimos conscripsit.

Singulari contemplationis munere cœlitùs donatum, benignitas altissimi supernis visionibus etiam beavit. Aliquando festivo die S. V. Mariæ in cælum assumptæ sacro, cùm in suo cubiculo manè vacaret orationi, sibi videbatur Angelicum se audire concentum, ac intueri gloriam S. S. Cælitum, epinicium illud, *felix namque es S. Virgo Maria, & omni laude dignissima* &c. mira suavitate decantantium. Post hæc vidit ipsam gloriosissimam cælorum Reginam Virginum coronâ stipatam, atque Almum Parentem nostrum Augustinum cum reliqua

liqua SS. Apostolorum, Martyrum, & Confessorum caterva, unâ manu tenentem *Gerardum Magnum* cum reliquis vitæ communis à se institutæ alumnis, & alterâ complexum *R. P. Joannem Vos de Huesden* Priorem Windesemensem, quem frequens sequebatur turba Patrum, Fratrum, atque Monialium è Congregatione Windesemensi defunctorum. Ad solium verò illud cùm perventum, in quod Christus dilectissimam Matrem suam è terris assumptam collocârat, elevata voce ipse cum cæteris cælitibus sequentem Stropham, *tota pulchra es amica mea, & macula non est in te,* accinuit. Quibus peractis, cælestis curia in genua provoluta, aliud subjunxit elogium:

Salve Maria gemma pudicitiæ,
De qua mundo illuxit sol justitiæ!
Salve Mater pia Christianorum,
Succurre filiis ad Filium Regem Angelorum:
Virgo solamen desolatorum,
Spes & Mater benigna orphanorum
Succurre Filiis.

Visio hæc 12. horas perduravit, & Henricum admirabili dulcedine perfusum reliquit.

Alia vice apud portam Windesemensis Phrontisterii obambulans emendatissimæ puerulum formæ, támque admirandi decoris intra eandem sedere conspexit, ut cohibere se ampliùs non valeret, quin in ulnas eum susciperet, pluráque imprimeret oscula. Cùm autem interrogaret, quod ipsi nomen? respondit puerulus, *Lam* esse nomen suum. Cùm instaret, quis eum huc adduxisset? reposuit ille, *hanc esse domum Patris sui, & hos esse fratres suos.* Quibus dictis è brachiis Henrici exsiliens oculis se subduxit.

Speciali porrò prærogativâ, pluribus etiam Sanctis in vita non concessâ, insignitus à liberalissimo Numine, statum animarum à corpore separatarum cognovit, atque multis sciscitantibus post ardentissimas preces, profusásque lacrimas, parentes eorum, vel amicos bene sive malè se habere, modúmque suggessit, quo invari possent per sacrificia, vigilias defunctorum, eleemosynas, aliásve corporis afflictiones. Obiit tandem morte justorum in Monasterio Sion, consiliis & auxiliis suis extructo, Anno Virginei partûs 1431. postquam 36. in religiosa vita, & sanctioribus exercitiis transegerat, felicior Regis cælestis, quàm principis terreni Servus. *Ex Buschio l. cit.* ubi alia testimonia præsertim *B. Ledwigis Virginis* affert, quæ Henricum, religiosissimum Dei famulum, ejúsque revelationes, & visiones probant tanquam sanctas, atque de illius Sanctitate conceptam apud alios, præsertim Canonicos, admirandæ Henrici vitæ conscios, opinionem confirmant.

AR-

ARTICULUS VII.
De negligentia minimorum.
SUMMARIUM.

174. *Quid sit minimorum cura, definitivè enucleatur.*

175. *Negligentia verò minimorum definitur, & tam speculativè, quàm practicè per positos casus explicatur.*

176. *Tria genera objectorum minimorum, quæ sunt primò declinanda ordine executionis, scilicet*

177. *Tentationes, pericula, passiones, peccata, regularum violationes, vitia, sub num.* 178. 179. 180. 181. 182. *explicata.*

183. *Ordine intentionis verò sunt bona amplectenda minima profectui congrua, pro quibus serviunt pugna, cautio, mortificatio, pœnitentia, observatio, & exercitatio, quæ*

184. 185. 186. 187. 188. 189. *singillatim exponuntur.*

190. *Minimorum curam habendam esse, probatur, ex S. Scripturis.*

191. *Auctoritate SS. PP.*

192. *Rationibus, & paritatibus convincentibus.*

193. *Exemplis.*

194. *Probatur 5. quia Deus minimaque excellentibus dona præmiat, cujus causa est ipsius voluntas* 195.

196. *Grata suorum servorum fidelitas in minimis.*

197. *Ingens minima curantium fervor, &*

198. *Magnum proficiendi desideriū.*

199. *Solvuntur objectiones.*

200. *Minus plus exponitur.*

Cùm profusior sit iste Articulus, utpote materiam complectens, ab aliis per integros tractatus deductam, in §. certos pro commodiore legentis usu dissecabimus. Sit itaque

§. I.
Definitur cura, & negligentia minimorum, atque singillatim explicatur.

174 DE minimorum cura, & ei potiùs *opposito neglectu* tanquam *perfectionis religiosa impedimento non minimo* tractaturus, ingentem ab

aliis viris, scientiâ, pietate, & asceticâ experientiâ clarissimis, conscriptam inveni molem, quæ, si cuncta hic congererem, maximam hujus Tyrocinii partem efficeret, aut æquaret totum tractatum. Quare ne quicquam scitu necessarium omittam, quo imbuantur Tyrones ad fugiendam minimorum negligentiam in tota suâ vitâ, neque nimiùm quoque excurram, ex præstitutâ nobis, & hucusque observatâ methodo absolvam præsentem materiam asceticam.

Ut autem vitium contrarium innotescat magis, oportet virtutem contrariam describere, quæ est *cura minimorum*, omnibus quidem ex ipsis terminis nota, ut notior tamen sit, ita à R. P. Nigrono tr. 10. p. 1. definita, & explanata. Cura minimorum est *studium diligens ac providum rerum minimarum sive declinandarum, cùm perfectioni nocent, sive complectendarum, cùm prosunt.*

Dicitur *studium*, quod Ciceroni *L. 1. de invent.* est animi assidua, & vehemens ad aliquam rem applicata magna cum voluntate occupatio. Cúmque ista *assidua animi occupatio* possit esse circa varia objecta, & materias: nam omnes artes liberales & mechanicæ vehementer occupantur circa proprias res, ut opus quoddam juxta artis cujuslibet regulas absolutum, perfectúmque elaboretur.

Scientiæ etiam Philosophicæ, & ipsa Theologia habent assiduum studium, seu *animæ occupationem* circa sua objecta naturalia, vel supernaturalia &c. Omnes denique hominum status, & conditiones assiduè occupantur in rebus suis, sicut Sapientissimus Rex *proposuit in animo* suo *quærere, & investigare sapienter de omnibus, quæ fiunt sub sole. Hanc occupationem pessimam dedit Deus filiis hominum, ut occuparentur in ea. Eccles. 1. v. 13. Studium* proinde in data definitione *genus* occupat, utpote *studio* theologico speculativo, morali, ascetico, philosophico, artificiali, mechanico, & etiam domestico competens.

Dicitur 2. *Diligens*, sive *eligens*, unde S. Isidorus *diligere*, ait, *affectionis est; deligere judicii.* S. Thomas verò 2. 2. Q. 54. a. 1. *diligentiam à diligere* deducit, ac proin *diligentiam solicitudinem* esse asserit, quòd diligentes eò magis sint circa res soliciti, quò plùs eas amantes. Sic *diligentia videtur esse idem solicitudini, quia in his, quæ diligimus, majorem solicitudinem adhibemus. Unde diligentia, sicut & solicitudo, requiritur ad quamlibet virtutem.* NB. Etiam minimam, & in minimo gradu exercendam, *in quantum in qualibet virtute*, etiam infima, *requiruntur debiti actus rationis.* Atque hinc *diligentia* est actus prudentiæ ex doctrina S. Thomæ.

Dicitur 3. *Providum*, quia non sufficit *occupatio* solicita, & constans circa res actualiter semper occurrentes, ac præsentes, sed requiri-

quiritur in prudenti etiam ſolicitudo, & cura de rebus futuris, quibus ad imitationem Providentiæ Divinæ proſpiciat. In S. enim Scripturis non raró diligentia, ſolicitudo, cura & ſolertia, Divinæ Providentiæ aptantur, uti 1. *Pet.* 5. *omnem ſolicitudinem veſtram proiicientes in eum, quoniam ipſi cura eſt de vobis*, id eſt, ſolicitudo de vobis &c. Sic & David Rex Dei providentiam exſpectans *Pſal.* 39. in fine gloriatur: *Ego autem mendicus ſum, & pauper: Dominus ſolicitus eſt mei.* Et *ſapientiæ* 12. v. 13. *Non enim eſt alius Deus quàm tu, cui cura eſt de omnibus*, ſcilicet ſolicitudo, & Providentia in conſervando, regendo, & ordinando.

Dicitur 4. *Rerum minimarum*, quæ comparativè intelligi debent; nam magnis opponuntur parva, parvis minora, & minoribus minima. Sic mons hic, vel iſte cum Olympo comparatus, parvus, cum aliò autem colle collatus magnus cenſetur; Sicut enim inter magna dantur quidam gradus, ita inter parva, & quidem *in naturalibus rebus.* Pariter *in moralibus* quemadmodum quodlibet peccatum mortale, quoad privationem gratiæ, obligationem pœnæ æternæ, & offenſionem Divinæ Majeſtatis ejuſdem eſt ordinis cum alio mortali, & *magnum* dicitur in genere ſuo; unum tamen mortale juxta omnes Theologos cenſetur majus altero, ſacrilegium furto, adulterium fornicatione, blaſphemia ebrietate &c. Ita quoque licèt unum peccatum veniale dicatur *parvum*, & in ſuo genere omnia venialia peccata comparativè ad mortale nominentur adeò *parva*, ut in infinitum coacervata venialia nunquam conſtituant peccatum unum mortale, in eodem tamen ordine venialium, unum minus, & unum eſſe majus altero certum eſt, nam furtum unius oboli levius eſt, quàm duorum, mendacium inconſideratè prolatum minorem habet culpam, quàm voluntarium ex animi decreto, & deliberatione: majus eſt garrire in templo ſub Miſſæ ſacrificio, quàm in compitis otioſè fabulari &c. Atque ita ulteriùs diſcurrendum de nævis & quibuſdam morum, actionúmque maculis, Deo diſplicentibus, & Religioſum hominem coram aliis dedecentibus, in quibus minoribus dantur minima obſervatu tamen digniſſima, de quibus jam aliqua dedimus p. 1. c. 6. a. 4. n. 345. & 346. ſpecialiter infrà n. 177. explicabimus quædam genera rerum minimarum.

Dicitur 5. *Declinandarum, cùm perfectioni nocent &c.* Quæ enim virtuti obſiſtunt in minimo, retardant: minima atomus in oculum cadens, leviſſimè ſaltem impedit viſum.

Quidquid religioſæ perfectioni contrariatur, licèt ſit minimum, imperfectionem obiicit, licèt ſit

 minima.

minima. Sit ergo *assidua & vehemens animi occupatio* circa illa, quæ vel minimum afferunt nocumentum perfectioni charitatis, & religiosæ morum integritati, ut sedulâ evidentur curâ.

Dicitur 6. *Sive complectendarum, cùm prosunt.* Disjunctionem continet hæc definitio moralis ascetica, ut intelligatur, non sufficere, *declinare à malo* minimo, nisi, virtuti, proprium, jungatur, *& facere bonum*, esto, minimum. Sensus ergò descriptionis hujus sit, ne ullo tempore & loco intermittatur *assiduum, & providum studium rerum bonarum minimarum faciendarum, & malarum minimarum fugiendarum*, de quibus utl c. 6. p. 1. a. 4. & 5. Ita in sequentibus plura.

175 Expositâ *curâ minimorum*, facilis erit notitia oppositi vitii, scilicet *negligentia minimorum*, quæ definiri potest *Remissio studii diligentis ac providi circa res minimas declinandas, cùm perfectioni nocent, vel complectendas, cùm prosunt.* Ubi explicato genere cæteri termini ex prioribus clarè patent.

Dicitur itaque *remissio*, sive defectus fervoris in prosequendis bonis & vitandis malis, quæ *remissio* à Doctore Angelico 2. 2. Q. 54. a. 3. *in Corp.* propriè appellatur *negligentia*, quæ *provenit ex quadam remissione voluntatis, per quam contingit, quòd ratio non solicitatur, ut præcipiat ea, quæ debet, vel eo modo, quo debet.*

Atque ista negligentia, sive *remissio* dupliciter considerari potest ex parte actûs, & objecti.

Primo modo considerata importat *defectum actûs interioris, ad quem pertinet electio*, unde *negligens* ab Isidoro *L. Etym.* dicitur *quasi nec eligens* in iis, quæ pertinent ad rectam rationem, & finem eorum, de quibus deberet institui electio. Alio modo importat *defectum actus exterioris debiti*, quod ad executionem pertinet. Hinc omissio *electionis*, ceu *actûs interioris* circa ea, quæ sunt ad finem, propriè est *negligentia*; omissio verò *actus exterioris debiti*, est propriè *omissio*, & opponitur justitiæ, simul verò *effectus negligentiæ, sicut etiam executio justi operis est effectus rationis rectæ.* Ut habet *S. Th. Q. c. a. 3. ad 2.* Exemplum pro praxi sit. *Sacerdos omittit recitare horas canonicas debito tempore. Ratio recta eum aliquoties admonet suæ obligationis, quam ille non curat, sed lusui, & compotationi indulget usque ad seram noctem; ubi tandem preces illas canonicas vel non persolvit, vel luridè, maléque peragit.* Jam casum, & ejus rationem expono. 1. Omissio nondum erat negligentia, quia adhuc horas persolvendi tempus. Sed quia 2. *ratio recta* monitum fecerat (licèt frustraneum) jam adfuit *defectus actûs interioris electivi*; debuisset enim talis Sacerdos non tantùm solicitudinem adhibere de modo ac tempore recitandi horas canonicas, sed insuper

per

per *eligere*; an; si in sua societate perseveraret, non redigeretur ad talem statum, in quo capax recitandis precibus non foret &c. proin quid melius esset, si *nunc* perfectè, dum ratio suadet, vel *postea*, dum tempus somni adest, imperfectè absolveret? atque hæc omissio *actus interioris electivi* propriè est *negligentia*, cui 3. quia accessit etiam *defectus actus exterioris debiti*, scilicet recitationis actualis, evenit vel *omissio* propriè dicta totalis recitationis Breviarii, quæ prætermissio secundùm S. Thomam *opponitur justitia, & est effectus negligentia.* Vel evenit recitatio somnolenta, lurida, & torpida, quia torpor *remissionem* quamdam importat in ipsa executione; & ita ex acedia nascitur. *Q. c. a.* 2. *ad* 1. Hinc universalis est doctrina Angelici, quotiescunque prætermittitur per negligentiam aliquid, *quod sit de necessitate salutis, sive sit actus, sive circumstantia, erit peccatum mortale.* Et hoc ex parte actûs, & objecti. *Ex parte causa* autem, *si voluntas in tantum sit remissa circa ea, qua Dei sunt, ut totaliter à Dei charitate deficiat, talis negligentia est peccatum mortale; & hoc pracipuè contingit, quando negligentia sequitur ex contemptu.* E. g. Si Superior Religioso injungit pro Capitulari pœnitentia Psalmos pœnitentiales, vel graduales, aut aliud opus bonum, istorum *ex contemptu* omissio, sive negligentia certè religioso imputatur mortale peccatum. *Alioquin si negligentia consistat in pratermissione alicujus actus, vel circumstantia, qua non sit de necessitate salutis, nec hoc fiat ex contemptu, sed ex aliquo defectu fervoris, qui impeditur interdum per aliquod veniale peccatum; tunc negligentia non est peccatum mortale, sed veniale.* Ita Angelicus Magister *l. c. a.* 3. *in C.* *Remissio* ergò in genere accepta convenit variis speciebus omissionum ac negligentiarum, prout variant actus & opera, quæ negliguntur.

In præsenti autem definitione illam contrahimus ad *remissionem*, sive negligentiam *studii circa res minimas*, quæ quidem nec sunt de necessitate salutis, nec fervorem charitatis diminuunt, sed illarum negligentia solùm aliis virtutum actibus, & religiosæ honestati morum aspergit maculam, causat nævos, & successivè dispositionem efficit ad *veniale peccatum*, *sicut* ex dicendis apparebit.

§. II.
Sex minima ordine executionis sunt fugienda.

176 NUnc de materia seu objecto agendum, circa quod feratur studium minimorum, & negligentia, illud *positivum*, hæc *negativa*.

Istorum autem tria referuntur genera, quorum duo imitantur divina duo præcepta illa: *declina à malo, & fac bonum*, *Psal. 36. v. 27.* Ac proinde continent ea, quæ sunt *positivè* declinanda, ac fugienda: postea illa, quæ sunt amplectenda, licet sint minima, dummodò profectum in virtutibus promovent. Utrumque hoc genus explicat S. Hieronymus *Epist. ad Celan.* his verbis: *Duo autem sunt genera mandatorum, in quibus clauditur tota justitia. Prohibendi unum est, jubendi alterum. Ut enim mala prohibentur, ita præcipiuntur bona. Ibi otium imperatur, hic studium. Ibi coercetur animus, hic incitatur. Hic fecisse, illic non fecisse culpabile est.* &c. Et *in Epist. ad Demetriadem*, sive sit S. Hieronymi, sive S. Augustini, cùm utrique adscribatur, & in eorum operibus notetur. *Nec tantummodo declinare vetita, sed jussa complere. Neque enim tibi sufficit à malis otiosam esse, si otiosa fueris à bonis; cùm lex Dei duplici mandatorum genere distincta sit, & mala prohibens, bona imperet, atque ab utraque parte contemptum vetet. Non enim tantùm ille servus contempsit Dominum, qui prohibita fecerit, sed & qui jussa non fecerit.* Cùm itaque declinatio *mali* effectioni *boni* anteponatur juxta S. Aquinatem *in Psal. 36. ordine executionis*, quamvis *ordo intentionis* bonum primò loco quærat: sic primo ordine executionis *minima* declinanda hìc ponimus, quorum sex genera afferunt Magistri Spirituales.

Primum genus minimorum fugiendorum, ac *diligenti & provido studio* à quolibet perfectionis religiosæ cupido declinandorum comprehendit *tentationem.* Nullus planè in religiosa conversatione nescit, quantas unius subinde levissimæ *tentationis* primitùs non abactæ insinuatione causatas in mente fuisse commotiones? Unus aspectus lavantis se fæminæ regem adulterum fecit, & homicidam. Unus aspectus flammivomæ civitatis curiosam uxorem vertit in salis statuam. Unus aspectus *ligni advescendum boni, pulchri oculis, aspectùque delectabilis. Gen. 3.* Protoparentes, totámque propaginem perdidit. Una parva scintilla, quàm ingens non excitavit sæpe incendium? Parva non sunt, quæ magnum sibi habent conjunctum: minimis non raró maxima inest vis. Hinc M. Greg. *L. 32. Moral. c. 16.* Tentationis, sub allegoria *Behemoth, caput herba est*, inquit, *cauda cedrus: quia ex prima quidem suggestione blandiens substernitur, sed per usum vehementer invalescens succrescente tentationis fine roboratur. Superabile namque est omne, quod initio suggerit, sed inde sequitur, quod vinci non possit.* Hinc capi vulpes parvulas mandavit Sponsa, ne demolirentur vineam. Vulpes *parvula sunt nascentia vitia, hac vigilanter observans illicò comprehendas*

prehendas, ne crescentia plus noceant, & difficiliùs capiantur, uti suadet *S. Bernard. serm. 64. in Cant.*

Hinc monet Doctor Bethlehemiticus Eustochium virginem *Epist. 22.* ut tentationes parvulas ocius ad petram allidat: *Nolo*, inquit, *sinas cogitationem crescere. Nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum parvus est hostis, interfice. Nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine. &c.* Vide plura de tentatione supra art. 1. hujus capitis.

178 2. Est *periculum* non quidem proximum, sed remotum, & *parvum*, quod neglectum, quia remotum & parvum censebatur, in magnam magnos traxit ruinam. Nam Sapiens *Eccles.* 3. Praeanuntiavit illi, *qui amat periculum, in illo peribit*, sive ultrò in hoc devenerit, sive temerè in hoc se projecerit. Periculum autem *parvum* duplex est: 1. Si ex lapsu culpa levis timeatur, & 2. Si à gravi culpa remotum sit. Utrumque pro praxi exemplo commonstretur.

Periculum levis ex lapsu culpa subit, qui sinè necessitate, & Superiorum facultate portam cœnobii egreditur, cum sæcularibus loquitur, etiam coquinam intrat, & cellam vinariam, ubi cum sæcularibus agendi, aliqua comedendi, bibendique, vel inde aliqua asportandi etiam contra voluntatem Prælati, & Officialis occasionem nanciscitur. similiter qui cubiculum alterius ingreditur, &, si absit inhabitator, curiosè scripturas inventas perlegit, pulpitum perlustrat, libros, quibus alter utitur, secum asportat non sine molestia, & indignatione illius, cui resciērit: si verò adsit, otiosum instituit colloquium, de quibusdam conqueritur, ridet, jocatúrque cum altero. &c. Istæ actiones ideo sunt noxiæ, licèt venialem tantúm efficiant per se culpam, quia violantur regulæ, statuta, & sanctiones Superiorum expressæ, fraterna læditur charitas, animorum quies offenditur, tempus malè impenditur, gulæ servitur, temperantiæ virtus maculatur, aliíque defectus leves oriuntur, non orituri, si tolleretur causa. *Periculum à gravi culpa remotum* est, si quis sermonem habet familiarem cum muliere in loco patenti minimeque suspecto, & quidem aliis præsentibus, audientibus, vel non longè adstantibus, ast nulla adest ita colloquendi necessitas.

Talis, inquam, periculum, in quod se ultrò projecit, subit non quidem proximum (quale foret, si clam socio, remotis arbitris, tempore importuno institueret colloquium) sed *remotum*, cùm socius, audiens, & alii præsentes, vel non procul absentes peccandi periculum removeant. Interea ex hoc minùs necessario colloquio potest excitari quædam benevolentia, deinde fieri transitus ad consideranda naturæ dona, formam, leporem

rem dicendi, ingenium, ipsámq ue morum honestatem, tum nasci ad hæc admirationem, affectionémque, tandem signis suavis amicitiæ, acriter memoriæ impressis, etiam in absentia exardescere amor concupiscentiæ, quod utique grave non rarò secum trahit peccatum, ut verum maneat sacrum axioma? *Qui amat periculum, in illo peribit* Utrumque igitur periculi genus, quantumvis remoti ac levis, seu *parvi*, à Religioso, statum perfectionis professo, tali *studio diligenti ac provido* præcavendum, & declinandum est, quali navarchus solicitus minimam navis rimam obstrui curat, ut in principio submersionis periculum amoveat.

179 3. Sunt *passiones* non bene sedatæ, quæ non levem subinde concitant flammam in aliorum mentibus. Una altercatio verborum levis nõ modicam sæpe animi aversionem peperit. Una disputatio vehementior in scholis tum inter Magistros, tum inter discipulos fraternæ charitatis dulcedinem amaritie quadam respersit. Unicum ex animi levitate prolatum verbum provocavit iram, & contentionem excitavit, & ex levissimæ suspicione injuriæ odia fatalia promanarunt, Hinc levissimas ob causas oborta passio animi, qnæ ab initio mox repressa non fuit, communicationem sermonis, usum communem, familiaritatem bonam, ipsásque consuetas salutationes suppressit. Quid, quòd religiosa communitas in contraria dividatur studia, capitularia adeò varient vota etiam in rebus nonnunquam gravioribus, nisi inordinatæ passiones sunt origo, causáque dum unus huic faveat, quia amicus, condiscipulus, conterraneus, vel genio magis arridens: alius verò tuetur alium & ex cæca passione manifestos alterius errores excusat. Parva illa iracundiæ scintilla restinquatur in tempore, antequam major inardescat ignis, unionem, & fraternam dilectionem in Collegio absumens. Non obliviscantur Religiosi monitum S. Apostoli. *Eph. 4. Sol non occidat super iracundiam vestram.*

Porro animadvertit quis in se affectum non adeò sanctum, magísque sensibilem erga sodalem quibusdam naturæ dotibus ornatum; quo rapitur vel invitus ad conversandum cum eo sæpius ac familiarius, quàm recta ratio, Religionis consuetudo, & consodalium admiratio ferat. Scintilla est, successivè in flammam fumigantem abitura, nisi tempestivè supprimatur. Curet igitur communicationem extraordinariam illicò abrumpere, symphatiam illam ad communes charitatis, & Religionis regulas perducere, ne vitietur, & in affectum damnabilem depravetur. Memor sit §. *finalis cap. 10. S. Regulæ. Non autem carnalis, sed spiritualis inter vos debet esse dilectio.* Et ita

ita de cæteris passionibus, & animi affectibus moderandis discurrendum.

180 4. Sunt *peccata* venialia, imperfectionésque illæ, quas *navos*, & *maculas* à veris peccatis esse diversas diximus p. *1.* c. 6. a. 4. n. 346. ubi de peccatis levibus evitandis per totum actum est, cujus proin documenta specificè relata, hic pro insertis haberi volumus.

181 5. Inter minima diligenti accuratóque studio declinandæ sunt *transgressiones Regularum, & statutorum* S. Ordinis, quæ quidem ex sua natura sub peccato violatorem nec obligant, nec gravioribus præceptis conjunguntur, nec rem magni momenti, ut putant incuriosi, præcipiunt, aut prohibent. Certum est, ejusmodi violationes Deo displicere, & per eas tandem regularis disciplinæ rigorem enervari, viámque sterni ad transgressiones votorum substantialium. Unde S. Bernardus *serm. de trip. cust. nobis*, ait, *ad immunditiam minima qualibet inobedientia sufficit; nec jam navus est, sed gravis macula, si in actionibus nostris vel minimorum residet negligentia mandatorum.* Proferam hic quædam ex Regula S. P. N. quæ tanquam parva, aut minima neglecta certò regularem emolliunt disciplinam.

1. Minimum sit in initio S. Regulæ c. 1. *ut non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia.* Qui hoc mandatum negligit, omnéque, quod sibi ad usum à Prælato conceditur, *suum* dicit, nonne res ita sibi appropriat, ut illarum usum, commodum, ac necessitatem aliis nolit esse communia? Atque sub hoc prætextu libros, imagines, vestes, aliásque cubiculi commoditates sibi procurans tacitè vitiosam ac damnabilem fovet proprietatem, quæ pro quantitate & qualitate rerũ sibi comparatarũ tandẽ violatorẽ efficit juratæ pauperatis? Satis inclarescit sequela, dum talis Superiori etiam indignatur, si quidquam illi auferatur, aut alterius usui ex majori necessitate adaptatur. Produnt te, Religiose Canonice, contentiones & murmura, *deterius te accepisse, quàm priùs habueras.* Detegunt, affectum tuum non minimum esse erga minima, quæ vocas querela & indignatio, dum conquereris, *indignum esse, qui non ita vestiaris, sicut alius frater vestitur. c. 7. 2.* Minimum sit, nullus *extra horam prandii aliquid alimentorum sumat, nisi cùm ægrotat.* S. Reg. c. 3. Qui hoc passim negligit, extra refectorium haustum sibi procurat, esculenta extra refectionis tempus parat; nonne *carnis curam facit*, gulam fovet, ad religiosa exercitia ineptum se reddit, ebrietati & commessationibus assuescit, & omnem Ordinis observantiam diurnam destruit? Sed quorsum tendit *hoc minimum neglectum*? Baccho est socia venus. Tam liberalibus nutrita fomen-

mentis caro continuò *concupiſcit adversùs ſpiritum*, bella movet, tentationes adornat, & à ſaluberrimis propoſitis dejicit in ruinam animæ & corporis.

3. Minimum ſit *eodem cap. Cùm acceditis ad menſam, donec inde ſurgatis quod vobis ſecundum conſuetudinem legitur, ſine tumultu & contentionibus audite. &c.* Qui hoc negligit, & ob levem, ac inanem cauſam ſub lectione menſali garrit, cum alio fabulatur; circumſpicit, ridet, cultro, orbibus, & ſcutellis ſtrepitus excitat; annon regularem ſubvertit in menſa ordinem, alios à ſalubri lectionis auſcultatione impedit, & per contemptum ſe ſe S. Regulæ opponit? Sed quid ex hac immoderata frænatione linguæ oritur? Loquendi temeritas, & vel contra Superiores querela, vel contra officiales ex alicujus fortè cibi, potúſque defectu murmuratio, atque inde pejor detractio. Si enim Religioſus eo tempore, ubi maximè congruit, præcipitúrque à Legislatore, ſilentium non continet, ſervabítne illud alio? Si *vir linguoſus non dirigetur in terra*, ex Regio Oraculo *Pſ.* 139. Quî Religioſus linguoſus, ad externa effuſus, ſub lectione ſacra ori temperare neſciens à Superioribus dirigetur in Ordine? Huic proin ut malo obviarent Canonici S. Salvatoris ſine facultate Præſulis cum extraneis colloquendi pœnam ſtatuerunt, *ſi quis extra conventum abſque licentia Prælati in genere habita, vel ſocii majoris locutus fuerit. conſtit. c.* 23.

4. Minimum ſit *c. 4. S. Reg. non ſit notabilis habitus veſter. &c.* In quæ M. Hugo Victorinus ita commentatur: *Fecit iſte vir ſanctus, quod docuit: ſcriptum eſt enim, quia veſtimenta ejus, & calceamenta nec nitida nimiùm, nec abjecta plùrimùm, ſed ex moderato, & competenti habitu erant. &c. Talia debent eſſe veſtimenta Clericorum, in quibus nihil notari poſſit novitatis, nihil quod pertineat ad ſuperbiam & inanem gloriam: Non tenera veſtis ſacerdotem, ſed munditia mentis ornat Clericum &c.* Non ſit igitur *notabilis habitus* propter ornatum ſuperfluum, ſuperbiæ mundanæ indicium: At etiam non ſit *notabilis* propter ſordidam incuriam, qui negligit hoc *minimum*, & minimam opinatur curam in cultu veſtium ponendam, calceos contra honeſtatem detritos, aut cæno infectos, veſtis oram lutulentam, Sarrocium undique maculis conſpurcatum defert, acſi per menſem jam ſutoris opificium exercuiſſet &c. Cingulum, caſtimoniæ religioſæ ſymbolum, ad ventrem defluere permittit, & non circa lumbos modeſtè ad ſtrictum tenet. Pileum quoque gerit pulverulentum, totúſque Religionis Canonicæ habitus hoc modo aliis non tam figura probitatis, quàm ſimulacrum *minora nec intus nec extra curantis mentis* eſt. Unde aliis præcipuè ſæcularibus offenſio oboritur ab iis ipſis, qui ſcandalum

om-

omne amovere, & sancti *mente ac habitu* esse deberent, utpote *qui nomen & habitum* Religionis. *& sanctitatis susceperunt, qui divino cultui sunt mancipati, sacrisque altaribus Christi consecrati, & divinis mysteriis ordinati*, juxta Apostoli monitum. 1. *Corint*. 4. Ita Magister Victorinus l. c.

5. Minimum fit ex c. 5. S. Reg. *Oculi vestri, etsi jaciuntur in aliquam, figantur in nullam*. Qui hoc præceptum S. Patris negligit, liberè fæminas aspicit, & sensibus indulget, quia id peccatum non est, quia nec à S. P. *fæminas videre prohibetur. &c.* Manifestat apertè, perfectioni castitatis addictum se non esse. Præterquam enim, quòd periculo exponat se, de quo supra, ex frequenti aspectu *libidinosa voluntas conspectibus mutuis magis magisque inardescit. Etsi corpus ab immunda violatione non tangitur, ipsa tamen immunda violatio visu, affectu, cogitatione, delectatione perpetratur, ipsisque fomentis, quasi quibusdam gradibus crescit peccatum*. Aspectus parvus certè cogitationem parvam causat, quæ quidem nondum peccatum parvum ex se efficit; at, si negligas coërcere parvum intuitum, crescet parva *cogitatio*, quæ parvam pariet *delectationem*, delectatio auctis viribus major pariet *consensum* (qui in materia lubrica constituit lethalem culpam) *consensus operationem*, sive consummationem mali operis, *operatio consuetudinem, consuetudo necessitatem*. Prout exponit M. Hugo S. P. verba. Quia *intactis ab immunda violatione corporibus fugit castitas ipsa de moribus*. Quis jam dicat aspectum minimum, ex quo malum oritur maximum? quis audeat violationem regulæ, quoad speciem, minimæ attentare, ex qua devenitur successivè ad perditionem cælestis amænitatis, & ad pœnas æternæ damnationis? Atque hoc minimo 5. neglecto, & passim violato, violatio fiet alterius voti, scilicet *castitatis*. Sufficiant interim hæc de transgressione Regularum, quæ à quibusdam negligentibus nihili ducitur, & ideò tanquam levissima minimè curatur, cùm tamen expressè jubeat S. Legislator, *ut cuncta ista serventur, & si quid* NB. *minùs servatum fuerit, non negligenter prætereatur &c.* Subjungit Magister Parisiensis. *Data sunt ista regularia præcepta, ut cuncta serventur &c. Non enim possumus aliquid præterire negligenter sine periculo animæ nostræ. &c.* Nempe transgressiones quò levioris momenti æstimantur, eò frequentiores admissæ ad veniale peccatum juxta omnium D. D. sententiam disponunt, peccata autem venialia non curata disponunt ad mortale, in quo sensu Doctoris nostri verba *periculum animæ* indicant.

6. Genus minimorum complectitur *vitia*, sive habitus vitiosos, malásque consuetudines, non quidem in gravibus, sed levioribus peccatis, ita tamen in anima radi- 182

catis, ut ad frequentiores lapsus impellant. Atque hæ malæ, utut minimæ, consuetudines bonos corrumpunt mores, virtutum concinnitatem respergunt quadam maculâ, ut amœnitatem, & decorem suum coram aliis non producant. Qua ratione S. Bernardus, *vitia*, docet, *levissima remissioris licentia opportunitate transeunt in consperſionem, & NB. quasi naturalia efficiuntur. De vita solit.* Numerantur autem vitiosæ consuetudines v. g. si quis inter edendum maxillis ac dentibus strepitum edit. Si inter loquendum ac ridendum sodalem saliva respergit. Si nare potiùs, quàm ore sermonem effundit. Si ridendo ineptum sonum variásque gesticulationes faciat. Si ex abundanti melancholico humore nulli, aut solùm morosè loquitur. Si cubiculo suo egrediens cum strepitu januam aperit, & cum impetu claudit, ut cubicula affinium quasi contremiscant, & non modica sodalibus creetur molestia. Atque id genus plurima sunt, quæ quidem ex se videntur minuta, minima tamen non sunt, & neglecta conversationem humanam reddunt molestam, & personas religiosas quadam indecentia respergunt, proin ad insignem in virtutibus profectum aspirantibus hæc *minimorum declinandorũ* cura cordi sit.

§. 3.

Sex minima ordine intentionis solerter facienda.

183 Cùm *ordine intentionis* semper primum sit *bonum*, propter quod voluntas operatur, licèt in executione priùs *malum* è medio tollendum sit, ut ad bonum pertingamus; oportet ostensis *minimis* fugiendis & declinandis contraria opponere *minima* facienda, minimis vitiis minimas virtutes. Priora sunt quodammodo *negativa*, hæc posteriora *positiva*, quia consistunt in posito actu, cujus 6. genera habentur, scilicet pugna, cautio, mortificatio, pœnitentia, observatio, & exercitatio.

184 1. *Pugna* assidua necessaria est ad repellendas, retundendas, & vincendas omnis generis tentationes, quamprimùm in animo obortæ fuerint. Et si quædam tentationes non superandæ credantur nisi fugâ, hæc tamen est motus positivus, & ad genus hic faciendorum pertinet. De hac pugna etiam in vincendis minimis satis egimus hoc Capite, a. 1.

2. *Cautio* studiosa & exquisita 185
in minimis periculis adhibenda est ei, qui naufragium evitare cupit. Si enim ipsi sæculares, ubi aliquod periculum imminet jacturæ in rebus temporalibus, vel quoad sani-

sanitatem corporis, vel quoad salutem animæ, non minimam gerunt cautelam, quomodo non magìs soliciti, & cauti sint Religiosi in minimis animæ periculis, & in virtutis, perfectionísque studio? hanc cautionem quoad minima S. Regulæ suæ præcepta servanda adhiberi jubet S. P. *quicumque viderit aliquid deesse, doleat de præterito, caveat de futuro,* ne subrepat ex negligentia peccatum, & hostis occasionem perdendi animam acquirat.

186 *3. Mortificatione* opus est ad subjugandas passiones rebelles, & quidem pullulantes hac falce sunt succidendæ, ne accrescentes altiores agant radices, sícque viribus nostris prævaleant. Videantur hac de re acta p. 1. c. 4. a. 11. & p. 2. c. 7.

Solùm hìc notandum censeo, nos non mortificationem passionum graviorum intelligere, sed tantùm leviorum, & quarundam non prohibitarum cupiditatum, amoris, propriæque voluntatis in rebus aliás licitis. Tales mortificationes recenset Antiquissimus Magister S. Dorotheus *serm. 1.* quæ apud omnes Religiosos locum planè merentur. Praxis exemplaris hæc est. *Obambulat quispiam, & aliquid fortè conspicatur; suadetur* (ecce tentationis fraudulenta ingestio) *astutum à cogitatione, ut illud advertat. At is, si sapit, cogitationi, & suasioni illi repugnat, séque avertit, & dicit: certè non advertam, neque id penitus considerabo,* atque sic mortificabo sensum visûs, ne mors per hanc fenestram intret. *Rursus offendit quis aliquos nugis, & variis rumoribus occupatos, & ait illi cogitatio cordis sui: dic & tu verbum aliquod; immisce te huic turbæ. At ille negat id se acturum, & voluntatem suam abrumpit prorsus,* sícque cautè avertit periculum, ne verbo proximum lædat, vel otiosum proferat, ut perfectioni in silentio magìs studeat juxta illud *Jacobi Apost. 3. Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir. Iterum dicit ei cogitatio: adi coquum & interroga, quid paret obsonii. At ille non adit, nec voluntati illi suæ obtemperat. Item cernit fortasse quidpiam, suadet illi cogitatio, ut interroget, quisnam illud attulerit, at ille negat, & voluntati suæ repugnat, appetitum comprimit, nec percontatur omnino.* S. Dorotheum imitatus fuit S. Romualdus, de quo S. Petrus Domiani *in ejus vita c. 52.* refert. *Si quando eum ex aliquo esculentiori cibo gulæ vitium titillaret, mox accuratè illum præparari præcipiens, ori & naribus apponebat, & solum captans odorem, dicebat: O gula, gula! quàm dulcis, quàm suavis modò tibi saperet iste cibus! sed væ tibi! ex eo nunquam gustabis. Et sic intactum ad cellarium remittebat.* Hanc quoque mortificationum minimarum viam regiam suis ostendit S. Franciscus Salesius, & S. Carolus Boromæus, qui in minimis sensus mortificavit suos, quid enim mi-

esse posset, quàm aspectus è suo cubiculo in hortum? Et tamen ab hoc prohibuit oculos. Atque cùm ejusmodi millenæ offerantur occasiones, se, sensúsque vincendi suos, non minimum planè referet fructum, & ingentem accumulabit mercedem apud Deum, si has occasiones elabi non sinat. Imò plùs fortè Deo placent hæ minores sui victoriæ, quàm alia plura magna opera. Quapropter Venerabilis Ludovicus Blosius insigne Ord. S. P. Benedicti Decus in *stim. spirit.* c. 2. asserere non formidavit, quòd, *quando quis propter Deum sensualitati, voluntatíque propriæ etiam NB. in rebus minimis reluctatur, ac se mortificat, rem ipsi Deo magis gratam faciat, quàm si multos mortuos ad vitam revocaret.*

287 4. *Pœnitentia* rectè opponitur peccatis, licèt minimis: sicut enim gravis noxa magnis operibus, ita levis culpa, & imperfectio pœnitentiæ lacrimâ deletur. Ita mandat in fine suæ Regulæ S. P. N. qui aliquam constitutionem ejus transgressus fuerit: *doleat de præterito. &c.* Ita S. Cæsarius suos discipulos Lerinenses de minimis defectibus compunctionem docet, *cùm certum sit (ait hom. 9. ad Monachos) nos sicut de bonis minimis augeri, ita de minimis negligentiis debere compungi.* Documentum hoc innumeris non caret exemplis S. P. N. *furtum pomorum* in puerili ætate commissum amarè deflevit, cùm jam sanctus esset Episcopus *l. 2. confess. c. 4.* quin ultima ægritudine detentus ob levissimas culpas, vel imperfectiones lacrimas fudit copiosas, nec sine pœnitentia è vivis abire voluit.

S. Dominicus cùm sub finem vitæ suos hortaretur sodales ad castitatem, quam illibatam ipse conservaverat, tantâ mox pœnitentiâ ductus fuit, quòd suam virtutem jactasset, ut dictum hoc confessus fuerit, accusans sese tanquam *gravissima culpa. Ferdin. Cast. p. 1. hist. l. 1. c. 56.*

S. Paula *ita levia peccata plangebat, ut illam gravissimorum criminum crederes ream.* Ità de ea testatur S. Hieronymus. *Epist. 27. ad Eustoch.* De Agnete Imperatrice refert S. Petrus Damiani *Epist.* 129. quòd levia & minuta peccata, vanas cogitationes, superfluos sermones *per lugubres gemitus, & amara suspiria* confessa sit. S. Maria Oegniacensis Regularis Canonissa *levissimas culpas, & verba puerilia cum lacrimis* confiteri consuevit, uti testatur Jacobus Vitriacus ejus quondam confessarius postea Eminentissimus Cardinalis.

V. Petrus Forerius levissimos defectus tanquam gravissima scelera inter uberes lacrimas confessus est, uti habetur in *illius vita l. 2. c. 20.* Hæc pro mille sufficiant.

Notandum hic venit, quòd per *pœnitentiam minimorum* non intelligatur Sacramentum pœnitentiæ, quan-

quantumvis pro minimis etiam defectibus & noxis venialibus remedium sit efficacissimum, sed solùm aliquis dolor internus admissi levis defectus cum proposito illum in posterum *cautè declinandi*, cui si adjungatur in compensationem culpæ opus pœnitentiæ, *pœnitentia minimorum* verè à nobis dicitur. Sacra sit praxis. Incautè aspexisti fœminam, mox ut advertis, doles, & proponis tibi, quòd illa hora, illo die non solùm fœminam deliberatè nolis aspicere, sed oculos etiam à licito horti vel pratorum aspectu coercere velis.

Lapsus es in verbo, otiosum audisti colloquium, offendisti famam vel charitatem proximi leviter, statim, ubi te recolligis, doles, manum, aliis non advertentibus, pectori admoves, tunsionem tacitam imprimis, siles, discedis à loco, vel læsionis verba corrigis, aut alium irâ incitatum emollire studes, quia *mollis responsio frangit iram. Proverb. 15.* Deniq; ad cubiculum tuum reversus, in genua provolveris, à Crucifixo JEsu veniam exoras, gratiam pro læsis, & lædentibus impetrare ardentibus precibus laboras &c. Hisce *pœnitentiam minimorum* exerces, & si ita procedas in aliis quibusvis culpis, & defectibus levibus, ac levissimis, præcipuè tempore examinis particularis, *minimorum pœnitentiam* agis. Scio laudabilissimum morem in quibusdam Canonicorum nostrorum Collegiis vigere, ut, si aliquis in choro erret, & fortè in lectione aut in psalmo, vel responsorio levem committat culpam, mox lectione finitâ, vel statim minimæ hujus culpæ pœnitentiam agat, inclinando se, & in humo digito crucem formando. Hæc de pœnitentia minimorum.

§. 5. Genus minimorum ample- 188
ctendorum est *observatio*, quæ directè contrariatur transgressioni regularum. Etsi enim Regula S. Augustini suos milites non adstringat ad ejusdem observantiam sub peccato extra materiam votorum, uti cùm S. Thoma tenent communiter D.D. velitque S. P. ut sui Clerici sint *non sicut servi sub lege, sed sicut liberi sub gratia constituti*, c. 12. Expresiè tamen omnium præceptorum observationem mandat, ad eam obligat omnes Prælatum & subditos, nullúmque in ullo capite excipit. 1. c. post mandata maxima charitatis Dei & proximi leguntur mandata Regulæ: *Hæc sunt, quæ ut observetis; præcipimus &c.* & c. 12. *Donet Dominus, ut observetis hæc omnia &c. Et ne per oblivionem aliquid negligatis*, en! quantam cautionem observationis suarum constitutionum habeat, *semel in septimana vobis legatur &c.* Si igitur ad omnium præceptorum observationem obligantur Aurelianæ Regulæ professores, non invenitur ullo jure minimorum exceptio, consequenter minimæ transgressio

gressio regulæ S. Legislatori displicet, & minimæ observatio placet.

Notandum porro sub titulo *observationis* etiam venire observationes minimas Canonum Ecclesiasticorum in Breviario, & Missali præscriptorum, in quibus minutissima veneranda & observanda sunt, quia ab Ecclesia ex traditione Apostolica, Decretis Pontificum, & Auctoritate SS. PP. ad nos devenerunt, pertinéntque ad ritum Ecclesiæ, ac Sacrosancti Sacrificii, quibus ritè observatis pietas Christianæ plebis nutritur, sicut à contrario, si negligantur, & à quibusdam Sacerdotibus in tremendo Missæ Sacrificio turpiter violentur, propter Scandalum suffocatur.

189 6. *Exercitatio* in minimis virtutum actibus adeò necessaria est, ut sine hac nullum vitium expellatur. Dein homo ad hunc finem creatus est, ut Deo serviat, & fidelis in operando existat; sed inter media ad hunc finem sunt quædam magna, alia parva, alia minima, quæ pari fide observari cupit Creator. Nam servum fidelem, quia in paucis fuit fidelis, supra multa constituit, *Matt. 25.* Planè virtus justitiæ versatur circa maxima, & minima: proin qui se in minimis exercet operibus ad Dei gloriam, justitiæ fructu haud carebit. Quod observat S. P. N. *L. 4, de doct. Christ.* c. 18. Ubi super Lucæ c. 16. versum 10. ita commentatur: *Neque parva est justitia, quam profectò & in parva pecunia custodire debemus, dicente Domino: qui in minimis fidelis est, & in magno fidelis est. Quod ergo minimum est, minimum est: sed in minimo fidelem esse, magnum est. Nam sicut ratio rotunditatis est, ut à puncto medio omnes lineæ pares in extrema ducantur; eadem est & in magno disco, quæ in nummulo exiguo: ita ubi parva justè geruntur, non minuitur justitiæ magnitudo.*

Ad genus *exercitationis* in minimis referendæ sunt, non quidem ex Regula, & Superiorum imperio mandatæ, sed aliàs receptæ, & usu servatæ consuetudines in sumendo cibo, petendo lecto, serviendis sacris, temporis distributione exactâ, & propositorum privatorum constantiâ.

2. Consuetudines bonæ, piæ, delectæ, & hucusque servatæ in multis, privatis, & quotidianis actibus, quos nec Superior jubet, nec prohibet, ii tamen ad ingentia Spiritûs & virtutis augendæ lucra conducunt. Tales sunt observationes illæ, quas quis surgens è lecto, quas orationem inchoans, quas examen ingrediens, quas studia aggrediens, quas horas Canonicas dicturus, sacrum facturus, confessiones auditurus, quásque domo egressurus facere solebat, dum adhuc aderat spiritûs fervor, aut facere posset, si vellet perfectiorem instituere vitam.

3. Circumstantiæ in quotidianis operibus minutæ, dum hæc solùm ex usu, vel ex metu pœnæ, non

non verò ex amore Dei, ex Spiritu perfectionis, & zelo disciplinæ fiunt.

4. Sicut neglectus immissarum à Deo inspirationum ad vitiorum fugam, & virtutum exercitationem excitantium summè nocet; ita earum solicita & prompta executio ingentium est causa meritorum.

5. Minimarum culparum, & imperfectionum evitatio summopere perfectionem promovet, v.g. ad pulsum campanæ, relictâ litterâ imperfectâ, facere salutationem Angelicam B. Virgini, servare silentium, accedere chorum, refectorium, examen, promptissimè obedire, in cubiculo res compositas, mundásque servare, in incessu, statu & aliis motibus corporis tenere modestiam &c.

6. Ad exercitationem in minimis vel maximè pertinet sitis humiliandi se, patienti aliquid pro Deo, & bono Religionis, charitatem aliis, etiam discolis confratribus, exhibendi, se se mortificandi, curiositatem sensuum, judicii proprii, voluntatis & amoris proprii supprimendi, alios non censurandi, sine causa nō loquendi &c. in quibus ritè observatis cœlestis planè inest vis ad perfectionem pertingendi, & quibus non observatis sensim sine sensu in deteriora fit lapsus.

7. Paritas & æqualitas affectuum erga personas, dum non aspicitur forma, statura vestis, gradus, & externa qualitas sensibilis, sed quælibet amatur propter Deum, mirè perfectionem promovet. Hinc sicut imperfecti ad certas personas, & confratres magis, vel minùs pro affectu sensibili majori vel minori, ita perfectioni studentes æqualiter feruntur, virtutem, & spiritualem profectum in uno distinquentes, in alio vitium odio habentes, non personam.

Atque hæc minutissima studiosè observata magnum cordi afferunt lumen in via perfectionis, ut de die in diem religiosa anima mirabilem consequatur effectum, majorémque profectum. Huc quoque spectant ea, quæ tradita sunt p. 1. c. 6. a. 5. *De bene faciendis iis, quæ placent Deo*

§. IV.
Cura minimorum probatur auctoritate ratione, & exemplis.

190 NE autem de cura minimorum, & eorum neglectu hucusque asserta gratis dixisse arguat nos minimorum contemptor, rationes jungimus satis convincentes, Et quidem.

Primò. Minimorum curam Deus jubet, S. Scriptura docet, & mi-

nimorum contemptum condemnat. Deus jubet apud *Matth.* 23. nè discipuli se vocent magistros, cùm tamen jam priùs electi fuissent prædicatores Evangelii, & Apostoli. Item *Joan.* 6. jussit, ut discipuli colligerent, *quæ superaverunt, fragmenta* panis. Rursus *Matt.* 10. præcipit portare *non peram in via, neque virgam &c.* & apud eundem c. 5. v. 18. affirmat: *Amen dico vobis, donec transeat cælum & terra t jota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* & c. 12. v. 36. *Dico autem vobis, quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii &c.* Sed minima planè sunt verbum otiosum, jota, apex virga, fragmentum panis, titulus magistri, & tamen hæc non contemni, sed observari præcepit Deus. Hinc ponderans hæc minima S. P. N. *L. de salut. docum. c.* 34. *Ne quæso,* ait, *permittamus in nobis cogitationes pravas, neque tanquam minima negligamus, quia qui minima spernit, paulatim defluit.*

191 Probatur 2. auctoritate SS. PP. S. Gregorius gnomen illam *Eccles.* 19. *qui spernit modica, paulatim decidet,* perpendens curam minimorum necessariam esse clarè asserit, nisi in deteriora labi velimus. *Si curare parva negligimus,* inquit, *l.* 2. *moral. c.* 9. *vel* 14. *insensibiliter seducti audenter etiam majora perpetramus.* Idem confirmat, *p.* 3. *cura past. c.* 34, *qui peccata minima flere ac devitare negligit, à statu justitiæ non quidem repentè, sed partibus totus cadit.*

S. Augustinus *L.* 1. *de moribus Eccles. Cath. c.* 24. sententiam Christi de modico fermento totam massam corrumpente ponderans, ita discurrit, minimorum curam & diligentiam comendans: *quid autem proferri manifestius de veteri Testamento contrà istam dormitationem animi* (dormitationē hic vocat negligentiam & socordiam in curandis minutis) *potest, per quam fit, ut non sentiamus, quasi minutatim serpentem perniciem, quàm illud, quod à Propheta dictum est? qui spernit modica, paulatim decidet. De qua sententia, si opportunum esset festinantibus, copiosissimè disputarem, atque id, si à nobis nunc susceptum munus flagitaret, fortasse demonstraremus, quàm sint alta mysteria, quæ imperitissimi, & sacrilegi homines deridendo* negligunt. Et in *Psal.* 39. *v.* 17. *multiplicata sunt super capillos capitis mei* &c. ita in rem nostram perorat: *quis numerat capillos capitis mei? multò minus peccata, quæ excedunt numerum capillorum. Minuta videntur, sed multa sunt. Præcavisti magna; jam non facis adulterium, jam non facis homicidium, non rapis res alienas, non blasphemas, non dicis falsum testimonium: moles ista sunt peccatorum, magna præcavisti; de minutis quid agis? an non times minuta? projecisti molem; vide ne arena obruaris.* &c.

S. Ambrosius minima quæque à Sacerdotibus curanda esse *Epist.* 25. *ad Vercell. Ecclesiam* insinuat: *Neque*

que enim (ſunt verba S. Doctoris) *mediocris virtus Sacerdotalis eſt, cui cavendum, non ſolùm ne gravioribus flagitiis ſit affinis, ſed ne minimis quidem.* S. Hieronymus Celantiam minimorum curam ſeriò docens *Epiſt.* 14. ita concludit: *neque verò eorum te ſeducat error, qui ex arbitrio ſuo eligunt, quæ potiſſimùm Dei mandata faciant; quavè quaſi vilia & parva deſpiciant: nec metuunt, ne ſecundùm divinam ſententiam minima contemnendo paulatim decidant.*

Quatuor hiſce Eccleſiæ Luminibus Angelicum jungamus Sidus, cujus doctrina 1. 2. *Q. 88. a.* 3. cum Eccleſ. 19. clara eſt: *qui ſpernit minima, paulatim defluit, ſed ille, qui peccat venialiter, videtur minima ſpernere: ergo paulatim diſponitur ad hoc, quòd totaliter defluat per peccatum mortale.*

In noſtram Sententiam concedunt alii SS. PP. innumeri, S. S. Baſilius, Chriſoſtomus, Hilarius, Cyprianus, Iſidorus Hiſpalenſis, Cæſarius, Cyrillus Alexandrinus, Clemens, Caſſianus, Dorotheus, Climacus, Bernardus Claravallenſis, Petrus Damiani, Bonaventura, M. Hugo, & Richardus de S. Victore, Laurentius Juſtinianus &c. aliique doctrinâ, ſcientiâ, & ſanctitate eminentes Patres paſſim ab auctoribus Neotericis, qui de hac materia minimorum tractant, allegati apud P. Lancicium, & Nigronum.

193 Probatur 3. ratione, Ubicunque ſunt certi gradus ſuperandi, ab infimo ad ſupremum gradatim aſcenſionem fieri neceſſe eſt; atqui in omni virtute, & diſciplina ſive ſacra ſive profana ſunt certi gradus ſuperandi: ergo in omni virtute, & diſciplina ſive ſacra ſive prophana ab infimo inchoare, & paulatim aſcendere ad ſupremum neceſſe eſt. Atqui infimi gradus ſunt minimi actus virtutum: ergo à minimis inchoandum eſt, ſine quibus altior non ſubſiſtit virtus. M. eſt certa ab inductione, nec enim aſſurgit domus ſine lapidibus, quibus etiam arenulæ cœmentum conſtituentes miſcentur. Scala non aſcenditur, niſi ſuperatis inferioribus gradibus.. Herbæ & arbores non creſcunt, nec ad nativam perveniunt magnitudinem, ſi minimum ſementis ſuffocatur & deſtruitur Scientia non acquiritur, niſi prima elementa literarum addiſcantur, nec Rhetor eſſe poteſt, qui non ſit Grammaticus. Nullum opus artis perfectum redditur, ſi ab infimo non ducitur initium. m. eſt clara, nam in omnibus virtutibus ſunt certi gradus, uti ex c. 3. hujus tractatûs conſtat. Subſumptum æquè conſtat vel enim in quibusdam minima curata, ſunt jam actus inchoatæ virtutis, utut leviſſimi, vel ſunt diſpoſitiones ad eam: utrumque vel ad virtutis perfectionem, vel ad ejus formam eſt neceſſarium.

Egregiè illuſtrat aſſertionem no-

ſtram Doctor Mediolanenſis à paritate germinum, & ſeminum herbarum ac lignorum. Sic enim *l. 2. de vocat. gent. c.* 3. loquitur: *plenum decorem non ſtatim, ut eduntur, accipiunt; ſed certis, & ordinatis provehuntur augmentis, donec ad perfectam ſui habitûs quantitatem per ſuccedentia ſibi incrementa perveniant: ita & ſemina chariſmatum, plantæque virtutum non in omni agro cordis humani, totum hoc pariter, quod ſunt futura, naſcuntur; nec facilè reperitur in exordio maturitas, & in inchoatione perfectio.* Et in *Pſal. 1. §. Beati immaculati* proſequitur ſuam doctrinam, confirmátque priora alia ſimilitudine. *Hic ordo eſt diſciplinæ & cujuslibet virtutis, ut ab inferioribus ad profectiora contendas, nec terrearis mole majorum, qui leviorum exordio debeas provocari. Scalarum enim ſimilem eſſe ſcriptura nos docet pietatis aſcenſum, per quas vidit Angelos Domini aſcendentes, & deſcendentes S. Jacob, vir exercitationis, qui nobis propoſitus eſt, ut per illum cognoſceremus gradum virtutis paulatim nos proferre debere, & ita poſſe ab infimis ad ſumma contendere, ſi per proceſſus gradiamur exiguos ad ea, quæ videntur humana altiora natura &c.*

Confirmatur à contrario. Quia nemo derepentè fit peſſimus, quin aliquos gradus malitiæ transgreſſus fuerit: ergo etiam nullus inſtantaneè fit optimus. *Sicut paulatim homo à minimis vitiis in maxima proruit; ita à modicis virtutibus gradatim ad ea, quæ ſunt excelſa contendit.* Ut *S. Iſidorus* advertit *l. 2. ſent. c. 36.* Conſpirat in eandem Sententiam *Richardus de S. Victore l. 1. de erudit. c. 23*, ubi habet: *puto, quia nemo repentè fit turpiſſimus, & ſicut quibusdam profectuum gradibus ad alta conſcenditur, ſic rurſum gradatim ad ima deſcenditur.*

Confirmatur à paritate. Diſciplinarum practicarum, & officiorum politicorum, ubi gradatim ad honores aſcenditur, & leviora committuntur alicui munia, ut in iis ritè exercitatus ad majora inſtruatur.

In arte nautica primùm in manus traduntur remi, dein ad proram applicatur, ac tandem poſt diuturnam remigationem ac ventorum obſervationem gubernacula committuntur. In re militari à minimis ad maxima fit tranſgreſſio. Primùm eſt miles, deinde centurio, tum bellidux. Ipſa natura à minimis ad maxima tranſit. Ab exiguo fonte maximus oritur fluvius. Teſte *Æliano l. 9. anim. c. 58.* tria maxima animalia ex minimis prodeunt, in aqua crocodilus, in aëre ſtruthio, in terra Elephas.

Probatur 4. ab exemplis quo- 193
rundam defectuum minimorum graviter à dæmone accuſatorum & reprehenſorum. Refert *S. Odo Cluniacenſis l. 3. coll. c. 21.* dæmonem apparuiſſe moniali in mortis articulo, & vehementer eam terruiſſe, quòd acum ſine licentia Superiorum detineret. *S. Petrus Da-*

miani

miani in vita S. Romualdi c. 38. narrat, moribundum quendam Monachum magna Æthiopum multitudine fuisse circumvallatum, quod scopas accipere à Priore, cùm jussus fuisset, neglexisset. In monasterio Gigniacensi Monachus quidam micas panis è mensa cadere ac perire sinebat violans illum morem probatum, ex charitate ac paupertatis spiritu introductum: huic dæmon moribundo saculum micarum plenum ostentans, ac eum in judicio graviter accusans in desperationem pænè abduxisset, nisi fratrum preces opportuno fuissent auxilio. Omissis antiquis recentius minimorum castigatorum referimus; prout ex literis *Ubaldi Mayr* tunc Decani, pòst Præpositi Garsensis ad suum Præpositum *Petrum Mittman* exaratis, & à *Reverendissimo Grueber Theatro virtutum* insertis ita describitur. *Casparus Grozius* ibidem Canonicus 5. Junii Anno 1636. antequam supremam iniisset luctam, insolita quadam lætitia perfusus circumstantibus narravit; suavissimum concentum, cui simile nihil ante hac audivisset unquam, se percepisse; persuasum sibi firmiter hærere animo, interfuisse se cælitum choris, prælibasséque delitias illas, quas plenis postliminio torrentibus speraret se hausturum, atque adeò mirum sibi videri, quod nulli adstantium audita fuisset musica tam sonora. Postea subjunxit, se à Tutelari genio per omnes monasterii angulos, in quibus vel minimam culpam, aut leves negligentias commiserat, fuisse deductum, & demum ad illum locum, in quo permanendum sibi foret, quoad usque pro commissis delictis divinæ satisfecisset Nemesi: Nunc verò etiam hinc se avocari, postquam acribus quidem verberibus exceptus à dæmonibus, vindicem tamen eundem tutelarem habuisset. Quibus fidem aliquam fecit præmissa in habita extasi invocatio triplex, quâ Custodem suum Angelum ter repetitis clamoribus imploraverat in hæc verba: *Angele Dei, qui Custos es mei, succurre mihi!*

Jacuit deinde in eodem emotæ mentis statu, toto die mortem præcedente, ad noctem usque, quo visus est intervallo ad suscipienda Christiano ritu suprema Sacramenta incapax, donec sub noctis ultimæ initium sibi denuo redditus dixit, iminentis horæ lethalis prodromos non obscurè se præsentiscere. Ubi ab adstantibus monitus, num sacro viatico ad supremum iter cuperet muniri, non tantùm hoc, præmissâ exomologesi, sed & Sacræ Unctionis Sacramentum sibi in votis esse liberè, promptéque respondit, & utroque quidem religiosè munitus mansit deinceps sibi compos ad medium usque noctis, quod temporis reliquum in iis virtutum variarum exercitationibus transegit, quibus

seipsum indesinenter ad supremam animavit luctam, ut præsentibus omnibus admirationem, dulcissimámque moverit voluptatem. Prolixior in eo erat, ut ab omnibus suis sodalibus erratorum, quibus humanitùs deliquisse recordari poterat, veniam exquisitissimis verbis expeteret. Cùm præsertim ad Superiorem tunc absentem deflecteret summum referebat dolorem, & infimis precibus dimmissionem efflagitabat eorum, quibus offensæ, tristitiæque causam aliquando præbuit. Morti interea in momenta propinquior cùm omnibus valedixisset, atq; pro se funerales preces erogâsset, laqueum collo injici postulavit, trahíque in locum profanum, indignum se ratus ob animi demissionem, qui inter homines christianos sepeliretur, & ita virtutum inter & mortis certamina placidissimè discessit è statione vivorum A. 1636. *Ex theat. virt Rmò. Grueber, & cit. literis.*

Colliges ex his, Religiose Lector, si diabolus minima curat, minima errata colligere non negligit, de minimis actis homines apud Deum, justissimum accusat Judicem, minimis nocendi occasionibus intentus est, atque minimis ad ruinam animæ procurandam sedulò studet; quid tibi agendum *in minimorum cura*, ut technis infernalibus contravenias, minimas subvertas machinas, & laqueos in minimorum negligentia expansos tempestivè, cautéque evadas. Diabolicas fraudes considerans S. Hieronymus, minimas noxas, & minimas etiam imperfectiones declinandas à nobis esse, ostendit, quia *diabolus non pugnat cito contra aliquem per grandia vitia, sed per parva, ut possit quomodocunque intrare, & dominari homini, & postea eum in majora vitia impellat. Non per fornicationem, non per avaritiam, sed per minora vitia* per curiosum aspectum, per clandestinam comestionem pomi, per potum extra mensam, per colloquium tempore silentii, per vanam evagationem mentis, per quæsitionem commoditatum corporalium, per negligentem præparationem ad spiritualia exercitia, & meditationem, per fugam alicujus mortificationis fortuitò oblatæ, & facilè vincibilis, per abjectionem alicujus divinæ inspirationis ad aliquod occultum donum Dei disponentis, per negligentem executionem alicujus operis licèt vilis ex mandato tamen injuncti vel voluntate Superioris illud libenter peractum videntis, & sic per sexcenta levia vitia *ingreditur*. Ita S. Doctor *in Ps.* 140. Diabolicas has fraudes etiam detexit Richardus noster de S. Victore, considerans, quòd, qui in minimis suggestionibus à fraudulento hoste vincitur, continuò ad majores vincendas infirmior evadat, cùm, sicut animus, & vires cres-

crescunt in generoso milite quotidie cum adversario confligente eúmque convincente ita deficiant cum animo vires in illo, qui à minimo & debili inimico prosternitur. Verba Richardi *in Cant.c.21.* sunt: *quantum parvis suggestionibus inimici succumbit, tanto hunc contra se robustum facit. Sicut Job in persona talis dicit: irruit in me quasi gigas, ut ei jam resistere non valeat, cui cedendo frequenter contra eum vires dabat. Quantum enim à voluntate propria, vel delectatione, vel consolatione carnali etiam in minimis vincitur, tantum à robore deficit, & mente infirmus fit. A quo enim quis superatur, & ejus servus efficitur, & quantum superatur, tantum ad hanc servitutem perducitur.*

Esto jam, sit servitus hæc tantùm in levibus, sit servitus diabolica in minimis, an non injuriâ afficit Christum Dominum Religiosus minimorum contemptor, qui se servum Christi & in sortem Domini electũ profitetur? quemadmodum autẽ si in minimo nos vincat dæmon, gloriatur, & magni æstimat parvam victoriam; ita pariter, si à nobis in parvis vincatur, dolet, & propter augmentum divinæ gratiæ, quod ex tali victoria nobis accrescit, non levi mærore, ac livore torquetur, prout B. Maria Oegniacensis aliquando vidit dæmones pudore suffusos & mærentes recedere ab aliqua religiosa muliere, quam pridie sacrorum cineralium variè & vehementer oppugnatam, expugnare nequaquam potuerunt. *L. 2. c. 7. vita per Jac. Vitriacum conscripta.* Planè vincere se desperat in magnis, qui in minimis toties profligatur.

§. V.

Deum singularibus gratiis minimorum curam compensare ostenditur 5. motivis.

194 PRobatur 5. minima sunt curanda, quia Deus singularibus gratiis præmiat curantem, cujus assertionis rationes afferuntur sequentes.

1. Deus est justissimus Judex omniũ vivorũ, & mortuorũ qui juxta sententiam S. Cæsarii *hom. 5. ad mon. novit remunerare merita, novit punire delicta*: ergò nullum opus ex amore ipsius factum licèt minimum sine remuneratione abire permittet in hac, vel altera vita: sed in hac vita apud eos, qui in statu gratiæ talia operantur, communiter istud præmium est gratia singularis nova, aut augmentum jam habitæ: ergo &c. Hoc subsumptum ex dicendis constabit, consequentia declaratur. Justitia Divina, quæ longè liberalior est in præmiando, quàm condemnando juxta

S.

S. S. P. P. ac Theologos, minima quæque opera ad Dei gloriam non relata, quin *verbum otiosum* exquisitâ lance pensat; ergò etiam minima opera ex ejus amore peracta eâdem, & liberaliori lance pensabit, compensabítque. Consequens ostenditur ex S. Literis. *Exodi 25.* grata sibi fore munera, dicit Dominus, & præcipit sibi offerri *pilos caprarum*, quorum certè aliqui non magnum adeò numerum offerre potuerint, &tamen aliquorum oblatio mercede non caruit. Vidua paupercula misit æra minuta duo in gazophylacium, &testante ipso Christo, *hæc pauper plus, quàm omnes misit. Lucæ. 21.* Unde conjicitur, minutorum oblationem fuisse Deo charam, acceptámque in antiquo testamento, dummodo ex bona provenerint mente ea quæ fuerant oblata. Nam affirmante S. Greg. Naz. *orat. 9. n. 22 nihil eorum, quæ Deo offeruntur, tam parum est, quamvis etiam minimi momenti sit, quamvis longe infra ipsius dignitatem, quod non omnino accipiat, gratúmque habeat.* Huic doctrinæ Gregorii calculum addit S. P. N. *l. 4. de doct. Chr. c.* 18. nullum virtutis actum rem vilem ac minimam æstimans, *cui neque vilem, neque minimam Dominus mercedem promittit.* Quin si *quicunque potum dederit uni ex minimis istis calicem aquæ frigidæ tantùm in nomine discipuli: Amen* (ecce! verbum confirmationis præmittitur, ut magnum, quod sequatur, agnoscas,) *dico vobis, non perdet mercedem suam. Matth.* 10. *v.* 42. Minima hisce indicantur opera, mercede divina non caritura; sed in comparatione ad alia majora sunt hæc planè minima: minima ergo à Deo præmiabuntur, quin & acta subinde, nullo obstaculo posito, remunerantur. Concludit hic Auctor Commentarii imperfecti in Matthæum: *Verè justus Judex! qui enim & pro verbo otioso constituit pœnam, justum erat, ut pro aqua frigida daret mercedem.* Plures expositiones hac super re vide apud. *Cornel. Lanc. Nigr. opus. cit.* Quòd autem Deus tam liberaliter minima opera nostra ipsius amore facta remunerare velit,

2. Voluntas ipsius divina causa est, quæ omnia disponit suaviter, & regit sapienter. Planè rectæ rationi congruit, ut infinita sapientia etiam se se extendat ad minima, in quibus reperitur perfectio. *Nam,* ut bene animadvertit S. P. N. *serm. 6. de Verbis Dom. si Deus contemneret minima, nec crearet: Nam & capillos nostros ipse utique creavit, & numeratos habet.* Si igitur quæras, cur Deus creaverit minima, cur ea conservet, cur minimo grano sinapis regnum cœlorum comparaverit? rectè, prudentérque respondebimus, quia voluntati divinæ placuit Universum creare perfectum, conservare integrum, cujus etiam minima quæque corpora & animalcula sunt partes. Miratur quis cum S.

S. P. N. *tract.* 80. *in Joan unde tanta vis aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat?* Cur ad affusionem aquæ elementaris, & pauculorum prolationem verborum in Sacramento baptismatis tanta efficacia ad producendam invisibilem supernaturalem gratiam? rectè & sanctè cum S. Matre Ecclesia respondemus; quia Deus ita instituit; ut commune omnibus elementum pro materia, & *instrumento*, ut ait S. Thomas *3. p. q. 62. a. 5. in c. separato* ad supernaturalem effectum serviret: tandem quia voluit minima elevare ad suprema, sic ejus pro ratione voluntas. Quæris, cur Christus pauperrimè natus, vilissimè educatus, contemptibiles rudésque piscatores elegerit discipulos, & totius mundi magistros, cur tanta opprobria, & mortem turpissimam passus sit? rectè, & sapienter cum *Isaia c. 53. v. 7.* respondemus: *Oblatus est, quia ipse voluit.*

Miraris id, *quòd in præsenti est momentaneum, & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operetur in nobis?* *2. ad Corint. 4. v. 17.* Mirari desines, si divinam adoraveris liberalitatem, etiam momenta præsentis vitæ, leves exantlatos labores pro ipsius gloria, & minimas tribulationes seu mortificationes non levi solatio, non momentaneo honore, sed *æterno gloriæ pondere* præmiantem. Cessa jam quærere, querulose, cur aliis tuis sodalibus Deus tantas largiatur gratias, quas vides tibi denegatas? Te inspice, videsis, num, sicut illi, tu quoque minima cures, in minutis te mortifices, in minimis sis obediens &c. Sententiam tibi tunc proferas ex ore Christi: *Quia super pauca non es fidelis, super multa non constitueris. Matth. 25.* Nam non meretur majora, qui negligit minora. Sed qua de causa? quia ita divinæ placet voluntati, quæ semper à minori agit ad majus, nec primo momento cælestes infundit gratias summè intensas, sed adjuncto nostro conatu illas ad incrementum perduci vult. *Doct. Angel.* 2. 2. q. 24.

3. Fidelitas servorum in minimis præstita Deo adeò grata est, ut eam non nisi magnis præmiet donis. Eapropter *servum fidelem beatum* vocat multoties in S. Scripturis *Matth. 24. & 25. Et super pauca fidelem, super multa constituit.* Nam, uti bene notat Magnus Pontifex *hom. 11. in Evang.* Quando Deus videt servos suos curare minima, & fideliter custodire exiguam partem suorum thesaurorum sibi concreditorum, clarè agnoscit eos pluris facturos majores thesauros majorum donorum, ideóque eos iis tradit, quandoque prorsus omnes, tanquam valde fidelibus. Certè qui in minimis est fidelis, in majoribus magis fidelis est. Fidelitatem tanti ipse Deus facit, ut voca- 196

cari voluerit *fidelis & verax. Apocal.* 19. & *fidelis Pontifex. Hebræ.* 2. S. Mater Ecclesia speciali hoc titulo honorat Deiparam Mariam in lytaniis: *Virgo fidelis.* Patriarcha Abraham cum suis posteris tot gratiis, quot numerantur in cælo stellæ, remuneratus est à Deo propter fidelitatem; *in tentatione* enim *inventus est fidelis, & reputatum est ei ad justitiam. Mach.* 2. 25. Fidelitas Moysis laudatur, & copiosè præmiatur à Deo, ita ut prærogativas præ aliis prophetis speciales acceperit; iis enim *apparebat Dominus & per somnium loquebatur ad illos*, at Moysi *ore ad os locutus* est. Causam tanti favoris si quæras, ipsum tibi respondet Numen: quia *Moyses in omni domo mea fidelissimus est. Num.* 12. Sicut in omni virtute continentur, ita etiam præmiatur fidelitas, & coronatur: *esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. apoc.* 2. 10. Principes terreni, Reges, & Imperatores aulicos, & ministros suos hoc speciali titulo honorare solent: *fidelis &c.* Ut ostendant, quàm grata ipsis sit fidelitas, cujus *actus* sunt, custodire minima, & *effectus*, minima jussa exequi, imò & nutus. Quando igitur Superiorum *dicta*, id est, mandata *fiunt, fides*, sive fidelitas exercetur ex doctrina Doctoris nostri *l. de mend. c.* 10. *nam fides dicitur ex hoc, quod fiunt dicta.* Unde D. Angelicus 2. 2. *q.* 88. *a.* 3. *in c.* jungit cœlo acceptum dogma: *Maximè autem debet homo Deo fidelitatem tum ratione dominii, tum etiam ratione beneficii suscepti. Et ideo maximè obligatur homo ad hoc, quòd impleat vota Deo facta, hoc enim pertinet ad fidelitatem, quam homo debet Deo.* Placet jam juxta hanc doctrinam ita in forma asceticè argumentari. *Ad fidelitatem hominis pertinet, ut solvat id, quod promisit:* ergo curare minima pertinet ad fidelitatem, consequenter quivis Religiosus minima curare debet. Ant. est S. Thomæ. Cons. ita probatur. Solvere Deo promissum, est actus fidelitatis, seu *pertinet ad fidelitatem*; sed curare minima, est solvere Deo promissum: ergò curare minima, est actus fidelitatis. &c. M. ex S. D. constat m. probatur. Tendere ad perfectionem, est solvere Deo promissum (promissum enim est à quovis Religioso in S. Professione, quòd per tria vota jurata velit perfectioni, suo statui congruenti, studere, ut clarum est) at curare minima, est tendere ad perfectionem: ergo curare minima est solvere Deo promissum. M. patet. m. iterum ostenditur. Sedulò indagare, & studere perfectioni assequendæ in omnibus, in quibus est perfectio spiritualis, (est autem in minimis actibus juxta omnium S. S. P. P. & Theologorum dogma) est tendere ad perfectionem, omnium D. D. judicio; sed curare minima, est sedulo indagare, & studere perfectioni assequendæ in omnibus

etiam

etiam minimis: ergò curare minima est tendere ad perfectionem. m. eruitur ex n. 175. data definitione: Conclusio est in forma, cui formaliter contradicit Religiosus negligens, & minimorum contemptor. Hic, quia suæ obligationi tendendi ad perfectionem non satisfacit, dum minima non curat, in minimis non curatis ex S. Thomæ doctrina *quandam infidelitatis speciem* committit. Quid ergò mirimum, si à divina largitate gratiarum munera singularia minimorum contemptori religioso denegentur? *Displicet enim ei infidelis promissio*, seu negligens executio. *Eccles. 5.*

197 4. Movet Deum ad singulares gratias dandas curanti minima, ingens fervor, sine quo moraliter impossibile est, cuncta & minima observare. Quot enim sunt difficultates in ipso virtutum exercitio? quot respectus humani se ingerunt, quibus bona proposita ad aliud tempus rejiciuntur, actus interni impediuntur, externi corrumpuntur? Talia certò non superantur facilè, nisi quis sit fervens spiritu, qualis est ex ascesi S. Basilii *in Reg. brev. 259. Qui cum ardenti studio, & inexplebili cupiditate, & assidua diligentia voluntatem Dei facit, in charitate Christi JEsu Domini nostri, convenienter illi, quod scriptum est: in mandatis ejus volet nimis.* Certum est insuper, qui minùs amat, amatum minùs prosequitur. Qui ferventiùs diligit, majori ardore ad dilectum tendit. Hinc. S. Bernardus *ser. 23. in Cant. scribit: anima, quæ amat ardentiùs, currit velociùs, & citiùs pervenit.* Nam sicut igni sunt pro pedibus alæ, quibus in altum fertur; ita minima spiritualia curanti fervor ille spiritualis in anima est instar pennarum, quibus ad sublimem perfectionis gradum ascendere valet. Hujus veritatis testimonium perhibet S. Theresia, quæ dicere solebat seraphico inflammata ardore: *ii, qui minima curant in profectu virtutum, sine alis & pennis volant. in vita c. 23.*

Ad fervorem istum pertinent frequentes actus interni, intentiones sublimes in minimarum virtutum exercitio elicitæ, liberales suimet oblationes ad quævis placita pro Dei voluntate & honore perfectissimo, quo fieri potest, modo executioni danda. Per ejusmodi intentionem enim, seu ordinationem minimarum rerum ad subliniorem finem non ampliùs manent res minimæ, sed fiunt sublimes, Deóque ex intentione summopere placentes; utpote ab omni imperfectione depuratæ. Causa hujus est, quòd major charitas fit, & augeatur, ubi major est fervor agendi etiam minima, uti S. Th. 2:2. q. 24. a. 4. docet, quia *in hac vita tanto magis procedimus, quanto Deo magis appropinquamus, cui non appropinquatur passibus corporis, sed affectibus mentis. Hanc*

autem propinquitatem facit charitas, quæ à minimis ad maxima solet procedere. Atque hinc meritò vocatur ab Apostolo *via*, 1. Cor. 12. *Excellentiorem viam vobis demonstro.*

Hanc viam qui ingreditur, continuò passibus æquis perget de minore virtute ad majorem, & à minimis ad maximas, quia crescente fervore charitatis crescunt cum proportione virtutes reliquæ omnes, docente eodem Angelico Magistro. A contrario, quia *in infusione charitatis requiritur motus liberi arbitrii*, q. cit. a. 10. ad 3. ubi quis minùs cooperatur divinæ gratiæ, minoresque adhibet conatus proficiendi, minùs infundetur ei à Deo charitatis, minoresque manebunt virtutes ex uno nonnunquam actu remisso, qui si ferventior fuisset, uti charitatem, ita & reliquas auxisset virtutes. Unde argumentum universale struitur ex S. Thomæ doctrina. *Illud, quod diminuit intensionem liberi arbitrii, dispositivè operatur ad hoc, quòd charitas infundenda sit minor*; Atqui neglectus minimorum *diminuit intensionem liberi arbitrii*, cum iis non intendat, multò minùs cum fervore incumbat de quibus nullam habet curam, sed potiùs turpi oblivioni tradit: ergò neglectus minimorum *dispositivè operatur ad hoc, quòd charitas infundenda sit minor.* Sequitur, quòd, ubi minor minimorum cura, minor sit fervor, minor charitas, minores virtutes; vicissim ubi major minimorum cura, major fervor, major charitas, majores sint virtutes, quod ipsum est magis magisque tendere ad perfectionem. Sententiam nostram confirmat S. Cæsarius *hom.* 3. *ad Mon.* dum ex magno in virtutibus exercendis, & minimis pro Deo ritè faciendis fervore Dei beneficia, & cælestia charismata derivata in nos perpendens, *ubi*, inquit, *viderit Deus devotionem animi, ardentiorem insinuabit affectum, & quantum nos addiderimus ad studium* in minimis fugiendis, si noceant, vel amplectendis, si prosint, *tantum ille apponet ad adjutorium: quantum nos apposuerimus ad diligentiam, tantum ille addet ad gloriam*, quam velut mercedem magnam, nimis accipient illi, qui viam minimorum solicitè investigaverint, qui in stadio virtutum sedulò se exercuerint, qui in minimo hostem profligaverint, nec ullum ei victoriæ locum aut pugnæ trophæum reliquerint.

5. Ingens desiderium majoris 198
in dies, immò & maximæ perfectionis indipiscendæ, quod in animis minima curantibus viget, movet quodammodo Deum ad dandas iis singulares prorsùs gratias. Hinc perfectionis adeò studiosos, & virtutum æmulatores Christus ipse appellavit *beatos, qui esuriunt, & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Matt.* 5. Hæc autem esuries & sitis justitiæ, quæ generaliter accepta complectitur *collectionem*

nem

nem virtutum, & *distributivè* singulas virtutes, non est aliud quid, quàm ardor inextinquibilis, appetitus inexplebilis, & desiderium vehemens majoris in omnibus perfectionis. Ita allegata apud S. Evangelistam Divini Magistri verba explicat S. Bernardus *Ser. 1. de omn. Sanct.* simúlque sitientem ad sitim ampliorem, & esurientem ad famem acriorem excitat, dicens: *qui esurit, esuriat ampliùs; & qui desiderat, abundantiùs adhuc desideret; quoniam quantumcunque desiderare poterit, tantum est accepturus. Immo non secundùm perfectionẽ, modúmve desiderii, sed mensuram accepturus est bonã, & confertam, & cogitatam, & supereffluentem.*

Causam verò tantorum beneficiorum si inquiras, aliam non invenies, quàm desiderium, quòd ex amore ingenti in Deum nascitur: amor autem Dei est *fine modo & fine* juxta eundem Doctorem *tr. de dilig. Deo. c. 30.* Unde etiam desiderium serviendi Deo est *sine modo, & fine*: non excludit minimum punctum, non tempus, non actionem, non rem minutissimam ad Dei gloriam; atque ita est *desiderium infinitum*, quod exigit, & exigere potest à nobis Deus. Huic ergò ex parte Dei etiam correspondet liberalitas *sine modo, & fine, & infinita, 104. dial. S. Cath. Senens.* Ex S. Laur. Justin. *de dis. & pers. Mo. Con. c. 6.* ita commendat esuriem, sitímque justitiæ: „Quis hujus S. Desiderii „valet profectus explicare? animo „quippe vires subministrat, & pœ„nam exhibet leviorem, perseve„rantiam præbet, sanctitatem ad„ducit, coæquat Martyribus, & „cœlesti patria dignum suum effi„cit professorem. Opera namque „eò fiunt superno Judici gratiora, „quò ardentiori fuerint facta cha„ritate. Non qui plus operatur, „sed qui plus diligit, magis comen„datur à Christo. Amor enim „desideriis nutritur, desideria au„tem ab amore tanquam calor ab „igne prodeunt. Quare absque „magna remunerationis mercede „esse non poterit, quis quis ardore „patiendi accensus extiterit. Parum „quippe operatur, quamvis multa „agit, qui non amplius agit affectu, „quàm actu. Nõ meruit secreta scire „cælestia propheta Daniel, quia je„junavit, sed quia concupivit, di„cente Angelo: *Ego autem veni, ut* „*indicarem tibi, quia vir desideriorum* „*es. Dan. 9.* Et quis potest verbis „propalare Sanctorum desideria? „soli experti norunt amantium af„fectus, quàm sæpe desiderio pa„tiuntur, dilaniantur, uruntur, oc„cumbunt. Quod si liceret, non „segniùs sustinerent actu, quàm „desideriis concupiscant. &c. Adeò sunt grata Numini sinceri cordis desideria, ut iis gratiam negare non velit, & quodammodo non possit. *Exultavit Abraham*, sive juxta aliorum interpretationem, concupivit, desideravit, *ut videret diem* Domini: & Sanctum hoc Abrahæ

votum impletum est; quia *vidit, & gavisus est. Joan. 8. 56.* Petiit Sapiens Rex à Deo scientiam regendi populum; rogavit sibi *cor docile*; desideravit sibi à Deo dari, ut *judicare posset, & discernere inter bonum & malum*: & sanctum hoc Regis votum ultra vota impletum est; quia mox dedit Deus *cor sapiens & intelligens in tantum, ut nullus ante illum similis fuerit, sed & divitias*, regiámque *gloriam* addidit. 3. *Reg.* 3. Precatus est Daniel Deum, ut arcana revelaret; & pro desiderio exauditus est; quia Angelus *volans tetigit eum in tempore sacrificii vespertini, & docuit eum. Dan. 9.* Benignissimus Salvator *desiderio desideravit* ultimum *pascha manducare, Luc. 22.* & votum humanæ redemptionis consummatum est.

Tam egenus in omnium hominum statu fuit nullus, cujus sacratum votum suo sit frustratum effectu, ubi honor Dei, animæ salus, proximi bonum prima extiterunt motiva: *desiderium pauperum exaudivit Dominus. Psal.* 10. Nam *valentiores voces apud secretissimas aures Dei non faciunt verba, sed desideria.* Teste M. Greg. *L. 22. Mor. c. 13.* Hæc sunt *veluti fistulæ aureæ, per quas à Deo dona attrahuntur, & quasi exsuguntur*, ex revelatione S. Gertrudi à Deo facta. Infinita denique præstant merita, quia peccatum, & pœnam peccatori debitam etiam infinitam delet desiderium. Cùm enim bonum infinitum, Deus per peccatum læsus, satisfactionem exigat infinitam; huic *ex anima ferventi desiderio satisfit, videlicet ex contritione vera: vera contritio tam culpæ, quàm pœnæ satisfacit; non quidem ex pœna finita, qua puniatur, sed ex infinito desiderio*, uti Deus Pater S. Cathar. Sen. *revelavit c. 3. dialog.* Dicitur *infinitum desiderium*, quia tam multum eo desideratur, ut nullus terminus ponatur rei desideratæ, ad dandam quàm maximam gloriam Deo infinito. Quin infinitâ pœnâ satisfacere cuperet pro admisso peccato, ut divina placaretur ira; læsus restitueretur honor; subjectio esset integra ex parte creaturæ, absolutum dominium ex parte Creatoris, & perfectum charitatis vinculum. Atque ideo *S. desiderium* à S. Bernardo *Ser. 48. in Cant.* meritò appellatur *primum in donis*, à Deo acceptis, *primum* apud justos, ut desiderent conservare gratiam, augere gratiam, ut, *qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc. Apoc. 22. Primum* apud peccatores, ut citò reverti à suis viis pessimis, & in gratiam cum Deo redire desiderent, & laborent. *Et ultimum in profectibus*, ultimum, quia perseverat ad ultimum usque halitum vitæ, ad ultimũ momentũ animæ cum corpore conjunctæ, ad ultimum actum hujus viæ, quocum desinit, ut feliciùs in patria æternitatem inchoet.

et. Tanta operatur desiderium in minimis proficiendi, quanta damna viceversâ affert neglectus hujus desiderii, ut mirari nemo non debeat, si hæc perpendat, humanam socordiam, turpem meritorum negligentiam, irreparabilem gratiarum obstructionem, & miserabilem animæ statum, à parvis, à minoribus, à minimis suum trahere principium, & nativam originem. Nam cùm nullus repentè fiat pessimus, successivè minoribus lapsibus in præcipitium agitur, prout hucusque & rationibus, & auctoritatibus demonstratum est. Ast quia minimorum contemptores suas opinantur habere rationes in contrarium, audiantur, ne inauditi condemnentur.

§. VI.
Objectiones dissolvuntur.

199 Opponunt ergo 1. Ex tradita doctrina sequitur nimium: ergò minimum curandum non est. Sequitur enim, Religiosum minima non curantem peccare graviter; quia sicut sub gravi culpa obligatur tendere ad perfectionem suo statui convenientem, ita pariter obligaretur ad curanda minima, cum juxta dicta n. 192, & 196. tendere ad perfectionem, sit curare minima ad perfectionem conducentia. At Religiosus potest tendere ad perfectionem, etsi minima non curet: potest servare regulam, etsi minimum punctum negligat: ergò &c.

R. n. a. ad probat. dico, neminem peccare graviter, qui aliquam regulam minimam, præciso contemptu, transgreditur hic & nunc, peccare verò graviter aliquem, qui hujus esset animi, quòd nullam vellet observare regulam minimam; stante enim isto animi decreto, transgrediendo minimam regulam, minimam Superioris jussionem negligendo toties peccabit mortaliter, quoties minimum transgreditur, vel negligit, quia absolutus tunc adest *contemptus*, aut positiva *negligentia* vel *libido* transgrediendi regulam. Ita cum S. Thoma 2. 2. Q. 186. a. 9. tenent D. D. omnes Scholæ Thomisticæ, cui omnino se conformant in hoc puncto Recentiores Suarez, Sanchez, Valentia, & reliqui nullo, quem sciam, excepto. Unde stat firmissimè factum argumentum; tendere ad perfectionem, est curare minima, & *contemnere minima*, sive per positivum animi decretum nolle observare passim & absolutè minuta & minima in Religione, *est contemnere perfectionem*, per minima, & in minutis assequendam.

Ad

Ad additum R. cum diſtinctione. Religioſus poteſt tendere ad perfectionem, etſi minima non curet tam ſignatè, quàm exercitè, negatur: poteſt tendere ad perfectionem, etſi minima non curet exercitè, conceditur. *Signatè*, ſive *in actu ſignato* curare minima eſt habere animum, & voluntatem ſimplicem, ea curandi occaſione data, eſto, quòd ex infirmitate deinde ea *in actu exercito* non obſervet, ſed tanquam minima negligat, ſecluſo contemptu legis, & legislatoris. Alii reſpondent: Religioſus poteſt tendere ad perfectionem *habitualiter*, non verò *actualiter*, ſi minima non curet quia per neglectum quarundam conſtitutionum non excluditur habitualis gratia, in qua conſtituitur *formalis perfectio ſpiritualis*, cui directè opponitur peccatum mortale, indirectè verò peccatum veniale, quod, dum indiſcriminatim & animo ad ſimilia levia, & regularum tranſgreſſiones committenda parato frequentatur, proximum efficit periculum committendi mortale, quo expellitur gratia & perfectio.

Ad ultimum R. qui minima negligit, poteſt adhuc ſervare regulam *perfectè*, & ſine periculo neg. *imperfectè*, & cum periculo in turpem laxitatem labendi Conc. Eoipſo enim quòd quis incurioſus ſit circa quaſdam levioris momenti regulas ſervandas, data occaſione, ſi Superior juberet, negliget illas, & ita obfirmabit animum, ut nolit ſe ſubiicere Superiori, juxta regulam mandanti, quo periculum ſubit formalis cōtemptûs, & mortalis culpæ.

Patet igitur, quòd is, qui minima negligit, & regulas ſub peccato nullo obligantes paſſim tranſgreditur, perfectionem, & *actualem* ſive *exercitam* tendentiam ad ſpiritualem perfectionem æquè minimè curet; proin viderit talis in ſua conſcientia, an non reſideat in animo ſuperbia, quæ ſubjectionem regulæ reſpuit, ſtudium perfectionis inerti otio commutare ſuadet, commoditates corporis animæ profectui anteponere jubet, & pejora è ſathanæ ſchola ſubminiſtrat principia, quibus amor proprius utitur ad inducendam laxitatem, & ſubvertendam Regularum, & ſtatutorum obſervantiam, quæ minimis etiam nititur, & minimis neglectis, dum rigor Religionis ſenſim enervatur, ruit.

Opponunt 2. Venialia pec- 200
cata (ſi non ſint ſibi ſubordinata, ut in furto &c.) quomodocunque multiplicata non adæquant malitiam unius peccati mortalis: ergo etiam tranſgreſſiones regularum minimarum, dum nulla earum extra materiam voti ſub veniali obligat, quomodocunque frequentes, & neglectæ non adæquant malitiam peccati venialis. Jam ſic. peccata venialia non auferunt tendentiam ad perfectionem, aliàs *juſtus ſepties in die cadens* non tenderet ad perfe-

ctionem: ergò multò minùs transgressiones minutæ regulæ facient, quo minùs, eas negligens ad perfectionem religiosam tendat.

R. 1. Loquendo de peccatis venialibus præcisè secundùm se consideratis, malitiam & culpam mortalem quomodocunque cumulata non adæquare, *quia peccatum mortale habet reatum pœnæ æternæ, peccatum autem veniale* (utut multiplicatum) *tantùm pœnæ temporalis*, uti docet S. Thomas *1. 2. Q. 88. a. 4. in C.* Idem secundùm se consideratæ transgressiones Regularum mererentur cum proportione judicium, si in illis non continerentur levis contemptus, & negligentia, vel si alia actio cum transgressione minimâ non conjuncta esset, quæ certò peccatum constituit veniale. Proinde

R. 2. C. a. n. conseq. Nam in singulis peccatis venialibus nec constituitur finis, nec ea referuntur ad mortale, sed sunt actus voluntatis morales numero, vel specie intra lineam & genus venialium distincti. Unde sicut idem numero actus voluntatis venialis immutabilis est; ita omnes veniales etiam collectivè sumpti immutabiles sunt, ut transeant in actum mortaliter peccaminosum. Hinc à sensu distributivo ad collectivum valet hæc argumentatio.

Hoc peccatum veniale non est mortale, nec illud, nec aliud, & in nullo veniali continetur malitia mortalis: ergo tota collectio venialium non constituit malitiam mortalis peccati, quia toti collectioni convenire non valet, quod nulli parti conveniebat, neque singulis applicari poterat. Contrarium longè accidit in transgressionibus Regularum, quia, licèt hujus vel alterius regulæ *transgressio*, unius vel alterius *omissio ex genere suo non obliget ad peccatum veniale, sed solùm ad pœnam taxatam sustinendam*, inter tot transgressiones tamen apud minimorum contemptorem, non moraliter, sed absolutè videtur impossibile, non contineri peccatum veniale. Explicari planè non potest, quomodo tot transgressiones minimæ regulæ indiscriminatim fiant, quin referantur ad peccatum veniale, & tunc eo ipso sunt peccata venialia, sicut peccatum veniale relatum ad peccatum mortale fit mortale. S. Th. c. Q. a. 4. Quin interveniat levis contemptus sive ipsius regulæ, quòd tam minuta præscribat, sive Superioris minuta, at ex justa ratione, & perfectioris disciplinæ zelo jubentis: Quin denique inveniatur in iis aliqua negligentia, utpote quòd talis transgressio non referatur ad Deum ultimum finem, & ex defectu intentionis sit actio otiosa, nec honestatem acquirat à voluntate Superioris, à dictamine rationis, à necessitate, ab utilitate, sed solùm stet pro ratione libertas, pro libertate libido &c. At-

que sic transgressores regularum *possunt venialiter, vel mortaliter peccare ex negligentia, vel libidine, seu contemptu* juxta doctrinam Angelici 2. 2. Q. 188. a. 9. ad 1.

Deinde certum est, ejusmodi regularum minimarum transgressiones esse pœna temporali dignas, Deo displicere, & ab eo severè quoque puniri. Thomas Cantipratanus *c. 16. apum* §. 5. refert, quòd vir Sanctus, & doctrinâ celeberrimus *Hugo de S. Victore* ob leves culpas, & *quia disciplinam in secreto, vel in Capitulo cum aliis pro quotidianis excessibus non acceperat*, à dæmonibus validis ictibus fuerit exceptus. *Durandus* Monachus postea Episcopus Tolosanus ab Abbate Hugone sæpe admonitus, ut à ridiculis abstineret, post mortem tumentibus oculis & spumoso ore apparuit. *Vincent. Bellovac. spec. hist. c. 5.* Nec ereptus fuit è pœnis purgantibus, donec 7. Monachi 7. continuis diebus accuratè servârunt pro eo silentium. *S. Geraldus Comes* fuit cæcitate ad tempus percussus, quia puellam oculo lasciviore intuitus erat, uti refert S. Odo Clun. *in vit. L. 1. c. 10.* *S. Elzearius Comes*, quòd in bello exposuisset se periculo amittendæ divinæ gratiæ, nec piaculum hoc pœnitentiâ delevisset, flagris à Christo fuit exceptus. *Surius ad 17. Sept. in vita ejus c. 31.* *Gebhardus* Monachus dum manum, à B. Wilhelmo Abbate priùs miraculo Sanatam, fratris Uxori, eum visitanti, & sanitatem gratulanti, osculandam præbuit, temeritatis pœnam illicò sensit, redeunte morbo. Junge istis superiùs narrata exempla, & acerbè à Deo punita fuisse minima peccata, intelliges.

Ad additum R. distinguendo tendentiam actualem ab habituali, in forma. Peccata venialia non auferunt tendentiam *habitualem* ad perfectionem, permittitur: non auferunt tendentiam *actualem*, negatur. Tendere enim ad perfectionem, est curare, ut Charitas habitualis non solùm in anima conservetur, sed per varia virtutum opera, & diligens studium augeatur: *peccatum autem veniale*, quia *est quædam inordinatio circa ea, quæ sunt ad finem*, nó circa ipsum finẽ charitatem non diminuit *directè*; ast etiam non augmentat, & sic *indirectè* diminuit actu. Nam *potest indirectè dici diminutio charitatis dispositio ad corruptionem ipsius, quæ fit NB. vel per peccata venialia, vel etiam per cessationem ab exercitio operum Charitatis.* *Ita S. Th. 2. 2. Q. 24. a. 10. in C.* Eadem fit responsio ad Conseq. quia minimæ transgressiones faciunt, quò minus quis *actu* ad perfectionem, id est, ad augmentum charitatis tendat, *quod enim amatur in peccato veniali*, & regularum transgressione, aut in minimorum negligentia, *propter Deum amatur habitu, etsi non actu*, ut ait S. D. L. c. ad 2. Quo sensu etiam ad Deum lo-

loquens S. P. N. dicit: *Minùs te amat, qui tecum aliquid amat.* Quibus docetur, transgressiones regularum præcisè ex se non esse peccata mortalia, neque gratiam expellere, neque perfectionem destruere, quia in illis transgressionibus aliquid amatur propter Deum. Notent præterea minimorum contemptores ultima Angelici Doctoris verba, quòd *charitatis diminutio fiat* dispositivè *per cessationem ab exercitio operum charitatis*: Sed quid est minimorum negligentia, quàm minorum actuum, minorum operum omissio, & cessatio à salutari studio, cessatio ab exercitio operum minimorum faciendorum ex ferventi in Deum charitate? Charitas continuis indiget alimentis, licèt hæc sint minima; non quiescit ignis instar, minimis nutritur ejus ardor; in magnis accenditur, & in majoribus pro Dei gloria flammas concipit maximas. Ubi autem operari cessat in magnis, tepescit fervor in parvis, deficit in minimis. Hinc quærit S. P. *in Ps. 31. Da mihi vacantem amorem, & nihil operantem?* Da vacantem in magnis & magna nan operantem? da vacantem in parvis, & parva non æstimantem? da vacantem in minimis, & minima fastidientem? & neque magnis, neque in parvis, neque in minimis invenies charitatem; quia ab opere *vacare non potest*, & pro suo fervore in minimis etiam operatur magna, dum majora non potest; agit affectu, ubi non valet effectu. Sed

§. VII.

Speciale adversariorum argumentum diluitur.

202 OPponunt 3. Qui habet propositum comittendi indiscriminatim quæcunque peccata venialia, non peccat mortaliter: ergo etiam qui sibi proponit quascunque regulas violare non peccabit venialiter. Consequentia ex eo patet, quia sicut se habent venialia peccata ad mortale; ita se habent violationes leves regulæ ad peccatum veniale; sed propositum committendi venialia non est mortale; ergò etiam propositum violandi leves regulas non erit veniale. *Anteced.* cum aliis Patronus est Palao *tr. 2. disp. 2. p. 9. §. 3.* breviter discurrens, & probans 1. quia peccata venialia proximè & moraliter non disponunt ad mortale, cùm talia committere proponens, alia adhuc charitatis opera exercere non respuat. 2. Si propositum faciendi venialia ratione periculi esset mortale, consisteret vel in omnibus venialibus simul sumptis, vel in aliquibus? Non in aliquibus tantùm: aliàs propositum committendi aliqua venialia in qui-

qualibet materia diceretur esse propositum committendi mortale; quod est plus, quàm falsum &c. Nec etiam consistere potest hoc periculum in omnibus simul sumptis, cùm nunquam dari possit casus, in quo venialia omnia committantur &c. 3. Ex opposita sententia sequeretur quemlibet obligatum esse sub gravi peccato vitare aliqua venialia, nam si omnia sunt occasio proxima mortale committendi, & quilibet tenetur non se exponere occasioni proximæ committendi mortale, efficitur, teneri peccata aliqua vitare &c. Sed quæ illa? Consequentis Patronus est Suarez *to. 4. de Relig. l.* 1. *c. 4.* cum aliis docens ex S. Thoma, Religiosum per se graviter non obligari ad plura, quàm ad sua vota, & præcepta graviter adstringentia &c. Cùm regula per se ad nullam culpam in conscientia obliget ex S. Thoma 2. 2. q. 86. a. 9. Ut quid ergò alligentur onera, & cura regularum servandarum tantis impensis inculcetur?

Confirmatur. Licèt passim violans regulas malam contrahat consuetudinem, tamen hæc non est mortalis, nam consuetudo eam inducit culpam, quam inducunt actus, ex quibus coalescit, quia ex actibus fit habitus; at actus, ex quibus supradicta consuetudo coalescit, nullam culpam habent, vel tantùm venialem, quia omnes illi actus sunt transgressiones regularum sub nullo peccato obligantium: ergo neque consuetudo, &c. Item consuetudinarius transgressor non habet propositum transgressionis alicujus obligationis sub mortali, cùm regulæ omnes illam non habeant. Neque talis subit periculum morale & proximum transgrediendi aliquam regulam obligantem sub mortali, siquidem compati potest cum illius observatione firma. Ita Suarez *to. 4. de Relig tr. 8. l. 1. c. 4. n. 10. & 18. &* Palao *tract. 16. disp. 4. p. 3. §. 5. & 6.*

R. Speciosa esse hæc argumenta, quibus autumant quidam socordiam suam palliari, & negligentiam in perfectionis studio defendi. At falluntur miseri, qui ita pugnant *Andabatarum* more, dum occæcati ruunt in foveam, quam adversariis foderunt. Trutinemus igitur argumentorum pondus, & examinemus rationum momenta. Respondetur in forma, distinquendo 1. antec. Qui habet propositum comittendi indiscriminatim quæcunque peccata venialia, *per se, & speculativè*, non peccat mortaliter, transmittitur *per accidens & practicè*, negatur. Ex quo sequentes antecedentis probationes suum acquirunt robur, manétque *per se* verum, si à tali voluntate, omnia sine discrimine venialia committendi, possit abesse proximum periculum mortaliter peccandi, hoc propositum non esse

203

esse *ex se, & speculativè* mortale. Neque negantur casus possibiles, in quibus etiam *practicè* locum habere possit hæc sententia; at raró, sicut ipsi fatentur fautores. Sæpe enim ista voluntas *in praxi* non potest stare sine periculo proximo peccati mortalis. Sic sciens se proclivem ad aliqua peccata mortalia committenda in certis locis, circumstantiis, & temporibus, etsi dispositiones sint valde leves, si tamen has universim admittendi voluntatem habeat, non ampliùs veniale propositum habere censendus est. Si scires ab experientiâ te, quoties curiosè aspexeris alterum sexum, consentire in desideria prava saltem à potiori, haberésque voluntatem absque discrimine omnia venialia committendi, inter quæ omnino essent curiosi illi fœminarum aspectus (licèt *ex se* tantùm venialiter peccaminosi) certò & *practicè* peccares mortaliter propter consensum in periculum proximum. Ita respondit ad hoc arg. Clarissimus P. Joan. Evangelista Rasler in publicis prælectionibus Ingolstadii *in Tract. de peccat. q. 4. §. 2. n. 123.*

Sed quia cum Oviedo, Moya, Sala &c. Palao hanc sententiam tuetur, videat quivis, quàm cautè addat iste Auctor *tr. 2. disp. 2. puncto 9. 3. §. 3. n 6. Fateor namque* (inquit) *propositum committendi venialia disponere ad mortalia, sicut & quodlibet aliud veniale disponit. Non enim dubium est, veniale ex indeliberatione ad mortale deliberatum disponere, & veniale ex parvitate materiæ ad grave ejusdem; furtum enim leve disponit ad furtum grave &c.* Igitur antecedens *per se, & speculativè* loquendo, suam habet probabilitatem, ut tamen *in praxi* rarò, aut nunquam sortiatur effectum, quia communiter *in praxi* tali proposito conjunctum est periculum proximum, vel contemptus, aut irritans animi passio &c. Atque hinc Tho. Sanchez *l. 1. in Decal. c. 5. n. 4.* & Bonacina *disp. 2. de peccat. q. 3. p. 5. n. 17.* cum aliis contrarium affirmant, docentes ex recepta S. Thomæ doctrina *1. 2. q. 88. a. 3.* propositum, omnia venialia committendi, esse mortale. Nam, ut bene notat Sanchez, *si quis ita venialia parvipendat, ut NB, nullum vitare proponat, propositum committendi omnia venialia, & sola mortalia vitandi, quamvis contemptus desit* formalis, *mortale peccatum est, quia propositi hujus objectum continet in se apertissimum peccandi mortaliter periculum, & adversatur præcepto servandæ charitatis.* Hinc transmissum est A. Transmisso juxta datam distinctionem *antecedente*, absolutè negatur *conseq.* quia juxta *prioris num.* dicta frequenter non potest fieri transgressio regulæ sine peccato veniali, quin ex sententia S. Thomæ 2. 2. *q.* 186. Suarez. *l. c.* Vasquez *l. 2. t. 2. disp. 258. c. 3. n. 18.* Sanchez *l. 6. sum. c. 4. n. 14.* Layman *l. 4. sum. tr. 8.*

n. 7. Palao. *tr.* 16. *disp.* 4. *p.* 3. *n.* 3. Regularis *in transgressione cujusvis regula regulariter*, id est, communiter *culpam venialem committit, tum quia non recto fine ducitur, sed ex otiositate, torpore, vel libidine, tum quia occasionem prabet religiosam disciplinam labefactandi.* Ita censent gravissimi illi Theologi apud Palao l. c. Si igitur in transgressionibus regularum communiter, & *regulariter* irregularitas, & peccatum veniale comittitur, quis propositum omnes violandi regulas absque peccato veniali judicabit? Amabo te, quis propositum omnia venialia comittendi, tam speculativè, quàm practicè mortale nondixerit, siintra peccata veniala vel unum peccatum mortale sivè determinatum, sive indeterminatum includatur?

204 Deinde etsi cum antedictis Theologis apud Palao ultimo cit. loco propositum quascunque regulas violandi *per se* tantùm esset peccatum veniale, cùm Religiosus non teneatur sub gravi culpa per minimarum regularum accuratam observantiam perfectionem procurare, dummodo observatione votorum & præceptorum Religionis illam procuret, uti docent allegati Theologi. Fatentur tamen illi ipsi, *per accidens* Religiosum ita *passim regulas violantem sape peccatum mortale committere, NB. nisi efficaciter proponat, & procuret illius prava consuetudinis correctionem: Contingit autem hoc peccatum, cùm Religiosus advertit ex suo licentioso, & irregulari modo operandi grave detrimentum & sibi, & Religioni fieri. Religioni tum in regulari observantia, eò quòd inde plures summant occasionem regulas passim violandi; tum in utilitate & fructu, quem ex illo Religioso sperabat percipere, qui suis pravis moribus se inutilem reddit: sibi verò, cùm credit se probabili periculo exponi formalis contemptûs regularum transgressionis votorum, aut praceptorum, quod apertum est. Vel denique cùm timet probabiliter ob eam causam à Religone esse expellendum, quia expulsio grave damnum est, séque ad eam vitandam professione obligavit: promisit enim se ita corrigere, & mores componere, ut dignus esset in catu Religiosorum vivere.* Hæc Palao c. l. & Sanchez. Addit P. Rasiler *tr. c. num.* 127. Etsi antecedens posset admitti de sæcularibus, non tamen verificaretur de Religiosis, proin multo minùs staret conseq. Ratio est, quia majus est scandalum videre Religiosum passim negligentem regulas suas, & adhuc majus, videre passim venialia aperta committentem, quàm sæcularem passim venialiter peccantem: ergo ex eo, quòd scandalum sæcularis ex commissione venialium peccatorum (cum firmo tali proposito) non ascendat ad gravitatem mortalem, non sequitur scandalum Religiosi eo usque non ascendere. Dein inter Religiosum & sæcularem est tanta statûs disparitas, ut inductio laxitatis in Religio-

gionem ex peccatis venialibus, & transgressionibus regularum orta majus sit malum, quàm, ejusdem inductio in sæcularem statum, qui propter quotidiana pericula, inter quæ versatur, ad peccata levia & facilè subrepentia evitanda graviter obligari *ex se* non posse videtur, sicut propter tria vota ad minuenda peccata venialia vi sui statûs obligati sunt Religiosi, ne statum perfectionis professi, opprobrio, & scandalo aliis sint, quibus virtutis exemplo præesse & prælucere debent. Si enim hi, *per quos condiendi sunt quodammodo populi*, defectum perfectionis palam faciant, qui erunt homines, per quos ab illis defectus auferatur? Unde S. Thomas *2. 2.* q. 186. a. *10.* Religiosorum peccata ex triplici capite graviora, quàm sæcularium probat, *quia plures ad ejus vitam respiciunt*.

205 Ad Confirmationem R. relicta M. distinquendo *m.* actus, ex quibus consuetudo coalescit, nullam culpam habent, vel tantùm venialem *per se, & absolutè* C. *m. per accidens, & comparativè* N. *m.* quamvis enim quivis actus ex sua natura sit levis momenti; levis culpa, *ingressus cubiculi alterius, fractio silentii, neglectus exequendi mandata Superioris, haustus extra mensam &c. per accidens* tamen propter scandalum aliorum, propter inconvenientias in S. Ordine ex tam frequentibus transgressionibus ortas, propter pericula formalis contemptûs, propter negligentiam positivam mediorum ad perfectionem conducentium, quis tot actus *ex se* leves tandem *comparativè* graves, & consuetudinem etiam graviori culpæ obnoxiam esse abneget? Casus sit obvius. Regula S. P. c. 3. commendat carnis mortificationem in refrænanda gula, simúlque prohibet extra horam prandii aliquid alimentorum sumere &c. Hanc regulan nihili ducens, quotidie transgrederis adeò, ut hora post prandium vix elapsa, clanculùm tibi haustû procures, quin etiam post cænam pro nocturno potu tibi vigiles. Jam sic. Primi isti actus transgressionis fortè nullum peccatum & veniale esse potuerunt, quia reverà sitis ad potum te adegit, ut Legislator hìc & nunc te obligare noluerit ad nihil sumendum. Ast aliquoties repetiti actus, cum fictione sitis, & levi regulæ contemptu conjuncti, sine levi peccato certò esse non possunt. Dum porro ita frequentes fiunt transgressiones tales, ut jam consuetudo ex iis nascatur, *ex se* ista consuetudo, ex actibus venialibus contracta, nondum videtur mortalis. Ubi autem animadvertis, alios quoque Sodales parvo suo exemplo offendi, & ad sequelam trahi, atque exinde disciplinam corrumpi regularem, ineptum te fieri ad salutaria studia & præcipuè ex nocturnis compota-

tationibus ægrè te surgere ad matutinas laudes, murmurationes institui à compotantibus contra Superiores id graviter ferentes, insuper illorum prohibitiones justissimas contemptui haberi, & mandata passim negligi, ac successivè damnosam introduci laxitatem &c. ab illo momento ubi hæc animadvertis, inquam, consuetudo extra ordinaria refectionis tempora compotandi lethalis esse incipit propter enumerata mala, & contemptum planè formalem aut interpretativum ipsius Regulæ, & Superioris, consequenter ab illo momento tales actus transgressionis propter accedentes circumstantias graves, gravia quoque peccata censenda sunt.

Atque hoc modo cum proportione de aliis transgressionibus regulæ discurrendum. Patet ex his responsio ad sequentia. Consuetudinarius transgressor non habet propositum transgressionis alicujus obligationis *ex se* sub mortali, Concedo; sub mortali *per accidens*, nego. Eoipso enim actus non ampliùs est levis, sed mortalis, quia damnum ex actu secutum est grave. Hinc negatur, quòd talis consuetudinarius non subeat periculum morale, & proximum transgrediendi regulam sub mortali obligantē, etsi enim Regula non obliget, obligat tamen sub mortali bonum Religionis, scandalum proximi, & periculum proximum ac morale contemptûs formalis.

§. 8.

Objectiones de formali contemptu minimorum enervantur.

266 OPponunt 1. Dum Cajus transgreditur regulam, non contemnit istam, sed tantùm ipsam rem minutam, ac levissimam, tanquam æstimatione & observatione indignam: ergò tunc non incurrit periculum proximum contemptûs formalis Sacræ Regulæ, consequenter non peccat graviter.

2. In transgressione mandati non contemnit Superiorem, ut Superiorem, sed ut hominem sibi infensum, vel ineptè præcipientem.

3. Dum ex odio, vel indignatione non executioni mandat ea, quæ jussa sunt, formaliter non contemnit: Enimvero ideo transgreditur mandatum, ne consolationem capiat Superior quæ in ejus animo oriretur, si in parvis obtemperaretur illi.

4. In his casibus autem præscinditur à persona Superioris, sed solùm est peccatum odii: ergo in tali transgressione non adest formalis contemptus, vel, si adesset contemptus, esset tantùm *contemptus secundùm quid*, proin solùm pec-

peccatum veniale, ut docent Cajetanus, & Sylvester V. *Contemptus* & Suarez. *l. 3. de leg. c.* 28. §. 22.

R. ad 1. Palao *tr. 16. d. 4. p. 3. n. 6.* Si *violes regulam tanquam inutilem, frivolam, & nullius considerationis, vel eam violes animo determinato ob illius transgressionem non te pœnæ subjiciendi sed Prælato resistendi*, non jam periculum contemptûs mortalis, sed ipsum formalem, & lethalem contemptum incurris: sed Cajus, dum transgreditur regulam, rem in regula expressam inutilem, frivolam, nullius considerationis, & levem, censet, & ita contemnit; ergò Cajus rem in regula expressam levem nulliúsque considerationis, inutilem ac frivolam censens & contemnens, ipsam quoque *regulam tanquam inutilem frivolam nulliúsque considerationis* censet, & consequenter formaliter contemnit, & graviter peccat, licèt non habeat *animum determinatum ob illius transgressionem Prælato resistendi &c.* Quia *disjunctivè* sufficit, *regulam inutilem & frivolam æstimare*, ad contemptum gravem, licèt resistentia non adsit, quæ si transgressioni & contemptui rei in regula expressæ accedat, novam addit malitiam contra votum obedientiæ, & est rebellio, ac complementum Superbiæ.

Alii ita respondent cum distinctione. Dum Cajus transgreditur regulam, non contemnit istam *expressè* & *explicitè*, transeat, *tacitè* & *implicitè* negant. Eoipso enim, quòd *expressè*, & *explicitè* rem in regula præceptam tanquam ulla consideratione indignam nihili ducat, & tanquam materiam frivolam judicet, contemnátque *tacitè* & *implicitè* Legislatorem imprudentiæ arguit, ejus legem contemptu dignam reputat, & velut *inutilem, frivolam, & nullius considerationis* contemnit. Nam inter rem præceptam, & ipsum præceptum datur relatio, ut unum sine altero non subsistat; hinc si rem *formaliter* contemnis, præceptum æquè *formaliter* contempsisse censeris. *Unde dicere verbum otiosum ex contemptu* (quid leviùs *ex se* esse posset?) *est mortale peccatum. Imò nolle sequi consilia Christi* (*puta nolle ingredi Religionem ex contemptu consilii Christi*) *est peccatum mortale*; *hoc enim nihil aliud est, quàm nolle subjici Christi consiliis, ut consiliis quod tamen est de necessitate salutis, quamvis admittere consilia Christi sit non necessitatis, sed perfectionis.* Ita Cajetanus *in sum V. contemptus.* Hæc tamen omnia intelligenda sunt de *contemptu formali* scilicet, ut rem præceptam non facias, quia in regula præcepta est; ut consilium regulæ spernas, quia regula illud, tanquam medium ad perfectionem valde conducens, suis præscribit. Si verò regulæ consilium, & mandatum transgrediaris, quia consilium sequi, & mandatum regulæ observare, sub mortali non obligaris, talis transgressio

non est peccatum grave, quia contempus est tantùm *materialis*, sive *secundùm quid*.

207 Notandum autem hic, quòd contemptus sit *denegatio honoris debiti Superiori, aut Legislatori*, ut colligitur ex Cajetano, Sylvestro, Suarez, Palao &c. Atque contemptus ita generaliter acceptus est duplex, materialis, & formalis. *Materialis* est, dum Superiori, aut Legislatori denegatur quidem honor aliquis debitus, non tamen *directè*, & *expressè* intenditur hæc denegatio, sed aliud quid, à parte rei cum honoris denegatione conjunctum v. g. non intendis Regulæ, & Legislatori S. P. Augustino auferre & denegare honorem debitum, dum aliquis extra refectionis tempus tibi propinat haustum, & bibis in illius sanitatem. *Formalis* est, dum *directè*, & *expressè* intendis defraudationem honoris, sive fiat ex odio alterius, dum ejus tanquam inimici depressionem, velut aliquod illius malum, amas, sive ex superbia, quatenus alterius depressio tibi servit ad majorem tui æstimationem. *Materialis* est lata, & continetur in omni transgressione legum, ast nisi lex gravi sub culpa obliget, transgressio materialis non est peccatum grave. *Formalis* verò semper est peccatum mortale, nisi imperfectio actus, indeliberatio, vel materiæ levitas interveniant. Jam ex hoc notando

R. ad 2. vel maximè dubium esse, an transgressor talis non contemnat Superiorem *ut Superiorem*? 208
Verum quidem est, absque peccato mortali nonnunquam posse Superiorem contemni quà hominem passionibus suis captum, imprudenter aliqua jubentem, & malè gubernantem: quia absque scrupulo etiam veniali viri timorati talem Superiorem aliqualiter contemnunt dicentes: hic homo malè fungitur suo offiicio, necessitates suorum non curat, in spiritualibus non prospicit, temporalia solùm sectatur &c. At iste contemptus non est *propriè talis*, quia non est denegatio aut ablatio honoris debiti injusta, sed subinde apud subditos religiosos magni mæroris interni, & querelæ justæ causa est mala Superioris administratio, & prædominans passio. Superiorem tamen *ut Superiorem* contemnere est de se peccatum grave, & gravius, quàm si contemneretur regula aut lex, quia cum hac mitiùs agitur, quàm cum legis ministro, juxta monitum Christi *Luca 10. Qui vos spernit, me spernit. &c.* Et talis contemptor ultra mortale puniri ut hæreticus debet, si Superior, quem spernit, sit S. Pontifex, ut patet ex jure. *Sylvester. l. c.* notanda hæc addit verba, quæ Religiosorum animos penetrent, & ita inSuperiore præsc ndere volentium aures tinnire faciant: *Et talis contemptus est laqueus*

mag-

magnus religiosis dissolutis, & indevotis, & multùm se æstimantibus. Ratio verò hujus redditur à Cajetano; quòd Superiorem *ut Superiorem* contemnere sit grave peccatum, quia ita contemnere est nolle subjici cui oportet subjici, quod est contra rectam rationem, & contra *dilectionem Dei*, utpote cujus præcepta, & mandata (inter quæ illud: *qui vos audit, me audit Luc.* 10.) atque consilia vilipenduntur, cùm iis nolit subjici, quibus tamen oportet. Contra *dilectionem proximi* quoque est, nolle ei hoc debitum exhibere, quod est subjici illi, qui legitimè est constitutus, ut aliis præsit. Quàm periculosum autem sit, Superioris potestati se se opponere, mox graviora audiemus judicia. Discat interim Religiosus subditus ab istis præcisionibus objectivis in contemptu Superioris cavere; Neque facilè credat, adeò Superiorem sibi infensum, ut bonum spirituale ipsius non procuret, & vigilando amet, nec opinetur, ineptè præcipere, quia rationes præcepti non cadunt sub præcepto, & plerumque absconduntur, ut voluntatis simpliciter obedientis meritum evadat majus, uti ex prodigio divino constat, dum baculum aridum quotidie liberali aquâ irrigare jussus, ad nativum virorem redegit, Deo in præmium simplicis obedientiæ incrementum dante. Atque ex his iterum eruitur.

R. ad 3. quòd ille, qui ex odio & 209
indignatione Superioris jussa contemnit, in maximo sit periculo *contemptûs formalis*, si non ipso facto talem exerceat. Enimverò quis credat, eo ipso tempore, quo mentem odium, indignatio, & perturbatio sensuum occupant, & rebellis voluntas contra rationem rectam tumultuatur, tam subtilem præcisionem in eodem actu reperiri posse, ut perturbata ratio metaphysicam distinctionem faciat inter potestatem Superioris, & ipsius personam, ac inter rem præceptam? Vix etenim tranquillatis sensibus, & sedato animo ratio bene docta in Superiore dignitatem sive potestatẽ præscinditâ personâ. Dein magna difficultas est, in eadẽ actione, sive *in actu exercito* separare contemptum rei præceptæ à contemptu præcepti, quia in eodem momento transgressionis regulæ repræsentatur ab intellectu potestas legislativa, quam contemnere grande est nefas, repræsentatur simul eadem res prohibita, circa quam operaris, accedat jam odium, aversio, indignatio erga Superiorem *legis ministrum*, ita ut talis aversio, odium &c. Causa facilitans, promovens sit transgressionis, & vilipensionis illius personæ, quis distinctionem & *præcisionem metaphysicam* in tali actu morali tam facilè admittet, ut jactat objectio? Hæc sapienter prævidens Suarez *l.* 1. *de leg. c.* 28. *n.* 14.

dum antea transgressionem ex odio, vel aversione erga personam Superioris, contemptûs solùm *secundùm quid*, & peccati venialis arguit, adjungit formalia hæc: *Cavendum est autem, ne talis amaritudo*, aversio, & indignatio, *erga personam* Superioris *redundet in contemptum potestatis NB. etiam circa minima, quia tunc jam erit contemptus formalis Prælati, & peccatum mortale. Et quia hoc valde contingens; & periculosum est, ideo talis modus resistendi præcepto Superioris ex indignatione aliqua, vel interiore despectu personæ illius diligentissimè cavendus est. Si circa minima* cavendum est, ne ea contemptui habeantur propter redundantiam in contemptum potestatis, & propter periculum *resistendi præcepto Superioris ex indignatione*; quid censendum est Religioso circa ea, quæ paulò majoris sunt considerationis, expresè prohibita, & evidenter in destructionem regularis disciplinæ vergentia? Si S. Hieronymus, Ecclesiæ Doctor, non satis discernere valet, & nescit, *an possimus leve aliquod peccatum dicere, quod in Dei contemptum admittitur E. ad Cel. 14.* Si S. Bernardus ascetico-scholasticè concludit, *risum interdictum, silentium indictum, nec sine offensa negligi, nec contemni sine crimine* posse, *tanquam injuncta ab his duntaxat, quibus propriè dicitur Lucæ 10. 16. Qui vos audit, me audit: qui vos spernit, me spernit. l. de præcepto, & dispens. c. 11. & c. 12.* Si S. Isidoro Hispalensi Canonici Ordinis in Hispania lucidissimo Sideri *primum genus superbiæ est eorum, qui per transgressionem culpæ contemptui habent D. præcepta. l. 1. diff. c. ult.* Si S. Doctor Seraphicus Bonaventura eum; *qui ex contemptu sciens, & deliberans sponte in verba proruperit, & ruperit silentii legem; prævaricatorem constituit & criminaliter. l. 2. in phar. c. 14.* Quis ex contemptu minimam transgredi regulam ex odio, aspernatione, aut indignatione erga Superiorem agere justè non reformidet? Idem est judicium de neglectu mandati, vel transgressione facta, ut Superior consolationem non capiat. Nequitia palliata hæc est, & fraus diabolica, quæ tendit in ruinam disciplinæ, & scandalum parit aliis. Dicunt enim Theologi, & Jurisconsulti, quòd talis transgressor legis habeat legis contemptum *interpretativum*, sive *præsumptum*, quem alii in aliquo videntes & observantes offenduntur, atque Superior, ejusque potestas ludibrio exponitur. Est autem *contemptus interpretativus*, sive Juristis *præsumptus* ille, qui non pervenit ad formalem ex defectu alicujus actûs interni, ut si quis in animo Superiorem adhuc veneratur, & obedire paratus est, exteriùs verò in præsentia aliorum illius jussa parvipendit, & negligit. Talis jam *formalis* externè videtur, & præsumitur, cùm apparet inobedientia, indig-

dignatio, contentio, repugnantia, irreverentia adversùs Superiorem, ejúsque potestatis vilipensio, atque præprimis transgressionum consuetudo. Hæc cùm ab aliis videntur, & audiuntur, non solùm non ædificant, quia mala sunt, sed destruunt, & scandalum obiiciunt confratribus, & maximè junioribus, qui Superioris personam adeò contemptui, & ludibrio expositam sensim venerari desinunt, ipsíque pessimo inducti exemplo cum lupis majoribus ululare addiscunt. Sed quantum inde detrimentum Religioni accedit! quantam animæ ruinam, & fructuum spiritualium damna capiunt malo exemplo corrupti juvenes! ut meritò Christus dixerit: *væ homini illi, per quem scandalum venit! expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* *Matth.* 18.

210 R. ad 4. negando, in iis casibus tantùm esse peccatum odii. Quamvis enim contemptus Superioris *originaliter* possit dici species odii, vel superbiæ, si consideretur ejus motivum formale, à quo oritur, sive *ex parte actus imperantis*: odium enim ad contemptum excitat, & superbia subiici renuit, contemnítque potestatem, cui subiici oporteret.

Formaliter tamen contemptus in casibus illis & *ex parte actus imperati* est injustitia, seu defraudatio honoris debiti. Atque hæc defraudatio tunc semper est peccatum mortale, quoties in contemptum Dei,, vilipensionem dignitatis legitimi Superioris, notabile Religionis damnum, & aliorum scandalum vergit.

Ad ultimum R. in transgressione rei levis præceptæ, si absit scandalum proximi, periculum contemptûs formalis, grave odium erga Superiorem &c. posse esse solum contemptum *secundum quid*, proin tantùm peccatum veniale. Ast bene notandum ex Cajetano l. c. quid sit contemptus *secundum quid*, & *simpliciter* talis.

Sic qui, dicente Prælato: *claude ostium* &c. paratus absolutè etiam obedire in hoc minimo, omittit claudere ostium, non peccat mortaliter, quia non contemnit simpliciter, sed *secundùm quid* mandatum Prælati. Hoc est, quia non præterit illius mandatum, ut faciat contra illius mandatum absolutè, sed cum hac additione *in minimo*, minimum enim minuit rationem mandati, & per hoc rationem contemptûs. Is verò, qui *simpliciter*, & absolutè contemnit mandatum, non modificat illud ex minimo opere, sed voluntatem suam extendit ad omnia. Proinde si mandata prælati levia cuncta spernis, & eo ipso, quia præcepit, contra mandata absolutè facis, *simpliciter* contemnis, qualis *simplex* contemptus cum *formali* coincidere videtur, quia, nullo excepto, man-

mandata ideo transgreditur, quia prælatus mandavit, atque sic ideo spernit, ut spernat. Quare magna opus est cautela, ne contemptui *secundùm quid* jungatur aliqua circumstantia, aut accidens, ut formalis evadat, vel grave oriatur scandalum, aut præjudicium Religioni, uti monent DD. n. priori citati.

211 Opponunt 5. Adeò studiosè observare minima humana fragilitas planè non patitur: quis enim ita sibi compos est, ut ad singulos gressus, cogitationes, verba, & actiones, ne quid in iis observatu dignum desit, attendat?

2. Hæc cura infinitis scrupulis, conscientiæ anxietatibus, circumspectionibus, & difficultatibus plena est: ergo sicut contra scrupulos, ita contra eam agendum.

3. Ad perfectionem religiosam sufficit, observare essentialia, quibus religiosus status constituitur: ergo ad alia super erogatoria non debet Religiosus adstringi, in quibus subinde latet vana gloria, & hypocrisis.

4. Hæc doctrina tantùm ad novitios pertinet, non ad alios veteranos.

5. Commune est axioma: *De minimis non curat prætor.* Item, *parum pro nihilo reputatur.* At nihil non est reputandum, nec minimum curandum &c.

R. breviter ad 1. Tandem apertè se prodit animi tepor, & socordia sub humana fragilitate personata apparet: magna est lapsi hominis imbellicitas, & *insufficientia, ex se, & propriis viribus* (ut fatentur omnes Catholici D. D.) ad opera supernaturalia producenda; ast major est gratia divina, quæ volentem adjuvat, & operantem elevat. Proin cum hac gratia satis compos erit, minima observandi in cunctis actionibus, qui diligentem curam, & studium providum adhibuerit.

Ad 2. Ampliùs se prodit philautia, & delicatus genius carnis manifestum se facit. Scrupulos vocat religiosos labores; curam refrænandi morum laxitatem, appellat conscientiæ anxietatem; sensuum mortificationem judicat insuperabilem difficultatem.

Sed amabo, cur sæculo renuntiasti, si *carnis curam* in S. Religione *facere* tantum studes? cur sub vexillo Christi Sacramentum dixisti, si contra juratos Crucis hostes militare detrectas? cur stadium virtutum ingressus es, si cum generosis athletis currere ad metam nolis? cur statum perfectionis professus es, si ad eam tendere renuis? At tendere ad perfectionem, est in stadio virtutum currere, sub vexillo Christi contra fatales inimicos pugnare, curam carnis negligere, difficultates non horrere, ad subliores virtutum gradus ardenter anhelare, altiorem finem, & perfectiorem modum singulis operibus

bus præfigere, quod ipſum eſt *curare minima*, ut notum eſt ex terminis. Confirmantur hæc ex Cap. VI. p. 1. art. 4. 5. & 7. cæterùm inter ſcrupulum, & minimorum curam magna eſt diverſitas, niſi *ſcrupuloſum* velis vocitare eum, qui leves culpas tanquam magnas deteſtatur, declinat, & fugit, quia impedimenta ſunt perfectionis. Si ita minima curantem *ſcrupuloſum* dixeris, potiori jure te minima negligentem *laxum*, *perfectionis contemptorem*, & *in periculoſo ſtatu verſantem* omnes aſceſeos Magiſtri compellabunt. Cujus jam tituli honorem affectes magìs, penes te ſtat. Si porro ex nimia ſolicitudine oriantur ſcrupuli, ex documentis hucuſque traditis art. 2. hujus c. remedia applicare poterit Religioſus Tyro non immemor regulæ n. 35. c. 1. p. 1. & n. 77. c. 2.

212 R. ad 3. P. Nigr. negando a. quia ſicut ſubſtantia non reperitur in rerum natura ſine accidentibus, quibus conſervatur in eſſe, à contrariis defenditur, adjuvatur, præmunitur, & ſuis diſpoſitionibus perſeverat: & quibus ablatis, ac deſtructis illa quoque deſtruitur, & perit. Ita ſubſtantialia Religionis vota non ſunt ſine ſuis accidentibus, illa munientibus, fulcientibus, & conſervantibus. Hæc munimenta, fulcra, & conſervativa accidentia ſunt à SS. PP. conſcriptæ Regulæ, Monita, conſtitutiones, ſtatuta, quibus minuta planè jubentur, ſine peccato jubentur, & tamen jubentur ſub pœna regulari ideo, quia ſunt mandata præſervativa ſubſtantialium votorum. Tolle iſta accidentia, & brevì corruptâ videbis votorum ſubſtantiâ.

Non ſufficit ad perfectionem tria ſervare vota obiter, & ad tempus, ſed requiritur, ut integra conſerventur, certis adminiculis fulciantur, ne facilè ad quemvis impetum infringantur, ſed conſtanter defendantur, & quibuſdam quaſi munimentis circumvallentur. Paucis. Perfecta votorum ſubſtantialium obſervatio dependet à regularum minutarum obſervatione, à minimorum cura.

Ad additum R. nimium probari, conſequenter nihil; ſequeretur enim, propter vanam gloriam quælibet opera bona eſſe omittenda: quia *ſuperbia etiam bonis operibus inſidiatur, ut pereant*, ex monitu S. P. N. *in Reg. c. 1.* Et *de ſerm. D. in mon. c. 12.* Animadvertens, *etiam in ipſis ſordibus luctuoſis eſſe poſſe jactantiam, eò periculoſiorem, quò ſub nomine ſervitutis Dei decipit*, contra hypocritas concludit, hortatúrque populum Chriſtianum, ne ideo à virtutibus abſtineant, quia alii in ipſis virtutibus vanam hominum laudem appetunt, ſicut *illa oves non debent pelles ſuas deponere, ſi aliquando eis lupi ſe contegant.* Cæterùm quia ubique virtutem ſequitur vana gloria, ſicut corpus umbra, ſimplex intentio omnia ad Deum re-

ſe-

ferendi, & propter ipsum faciendi satis illam reprimet, utì & ea, quæ de humilitate sunt tradita, & hinc inde in parte 1, contra superbiam militant.

Ast bene observant Ascetæ, minus longè periculum esse hypocrisis, & vanæ gloriæ in minimis, quàm in magnis operibus. Nam quò majores sunt res gestæ, quò spectabiliora sunt opera virtutum, quò præclariores reportati ab hoste triumphi, eò major animum titillat delectatio, illustrior aliorum applausus, heroicæ virtutis meritum resonans in ore hominum laus aures Athletæ generosi demulcent. Sanctitatis opinio multos Sanctitatis culmine dejecit, hypocrisin excitavit, inanem gloriam accersivit. Dum interea minimorũ cultor in minutis, utpote ab aliorum opinione & æstimatione remotis, tutus egit, ingentia comparavit merita sine aliorum laude, sine invidia, sine inani gloriola.

213 Ad 4. R. Qui hæc obiicit, peregrinum sese declarat in religiosa vita, & spiritualis professionis obliviosum, & dogmatum perfectionis imperitum. Nonne omnes, utut laxitatis amantes, peroptant, novitios etiam in minimis esse observantissimos; displicet iis, si ad ictum oculi non statim jussa persolvunt tyrones? Inculcatur novellis, perfectionem non consistere in peragendis maximis, utpote quorum occasio non se offert, sed in quibusvis operibus etiam minimis cum debito fervore, intentione, ac perfectione præstandis. Traduntur illis talia dogmata, quæ altiùs in pectore figant, & post tyrocinium ita conservent, ut in occursu cujusvis tentationis ea valeant applicare, vitiis resistere, ac virtutes altiores exercere. Talia dogmata sunt, cum S. Bernardo quotidie à se inquirere: *Bernarde ad quid venisti? ad quid venisti in Religionem?* Quotidie sibi dicere cum S. Davide: *Nunc cœpi.* Quotidie se adhortari cum S. Paulo: *reposita est mihi corona justitiæ. Me non arbitror comprehendisse*: Quotidie cogitare illud S. P. Augustini: *qui non proficit in vita, remanet in via.* Quotidie perpendere: si nunc cælestis Paterfamilias rationem vilicationis à me exigeret, quid mecum fieret? Si nunc moriendum, quid fecisse me optarem? an Deus non meretur hæc minora à me obsequia? an cælum minimis non comparandum? an Religionis perfectio minimis non promovenda? Deinde Novitii post professionem quidem tyrones esse desierunt, at religiosi esse inchoårunt, majorique obligatione ex vi facti juramenti obstricti sunt ad perfectionem, ad quam nondum in conscientia obligabantur novitii. Ergo turpissima est objectio: *minimorum cura pertinet ad novitios, non ad veteranos.* Imò distinctio ista inaudita est in schola spirituali, nec unquam audi-

audiretur, si tepidi in Religione non audirent. Hi tamen adeò sunt delicatuli, ut ab aliis suos defectus portari maximè desiderent; sublevari in choro, adjuvari in incommodis, in refectorio lautiùs tractari, præ aliis honoribus affici, speciosis officiis præfici, patientissiméque tolerari summè exoptant. Ast quis morosum genium sodalis tepidi patienter feret, quis onera alterius æquanimiter portabit? quis ad dididcteria acuta silebit? quis honorē deferet religioso irreligioso? quis denique antipaticam aliorum naturam benignè sustinebit, si in minimis charitatis, humilitatis, mortificationis, patientiæ, aliarúmque virtutum actibus deficit?

Quòd autem minimorū cura magis ad veteranos spectet, præter hucusq; dicta est triplex satis efficax ratio. 1. *Professio*, vi cujus sub gravi tenetur ad perfectionis tendentiam, quæ cum cura minimorum connectitur. 2. *Exemplum*, quo junioribus prælucere debent: si enim hi minores regulæ observantias à senioribus contemni viderint, contemnent & ipsi ad destructionem totius communitatis religiosæ. Istud autem damnum seniores & veterani sub gravi præcavere tenentur, ut concors est D. D. sententia. 3. *Levia peccata, & nævi*, veteranis quotidie obrepentia: cùm enim leviores noxæ etiam à viris sanctis in hac vita vitari omnes omnino non valeant citra specialissimum privilegium, tenentur & ipsi levibus eradicandis vitiis, eluendis nævis, & abstergendis maculis operam dare, nisi iis velint insordescere, & exinde in graviora labi. Cùm itaque Veterani à levioribus culpis prorsus vacui non sint, religionis ruinam spiritualem avertere teneantur, nec fas sit in eo statu consistere, quis neget illos oportere operam dare minimis regulæ observantiis, minimis mortificationibus, minimis eluendis culpis, parvis tentationibus repellendis, ne ab inchoato perfectionis cursu pedem referentes retrò relabantur, in deterius ruant, & æternùm pereant? vide p. 1. c. 6. a. 7.

Ad 5. R. Axiomata illa univer- 214
saliter non esse accipienda sine limitatione. Nam illud: *De minimis non curat prætor.* Intelligitur ex *l. scio. ff. de in integrum restit.* De eo, qui postulat restitutionem in integrum, ut non audiatur à judice propter rem levissimam, quæ majori summæ præjudicet. 2. Intelligitur propriè magis de judice, quàm subdito, cui minimos legis politicæ apices observare non injungitur. Proin etiam in puniendo, & juredicundo quoad minima gravem se Prætor non exhibeat, ne *summum jus* evadat *summa injuria*: sed potiùs justitiæ rigorem emolliat juxta sapientis viri arbitrium. Quod æquè de Superioribus regularibus intelligendum juxta S. Do-

rothei monitum *Serm. 17.* Præposito datum: *noli in parvis erratis, minimísque delictis nimius exactor, & severus indagator existere.*

Ast dum rigor nimius in Superiore damnatur, vigor requiritur, & laudatur. Subditus rigoris, quàm languoris amantior amatur, atque vigoris & rigoris in regularum observantia amator minimorum quoque curator est. Neque Superior ita rigorem emollire debet, ut minima semper negligat, quia ex hoc contraheret languorem damnabilem, & successivè ad destructionem disciplinæ suâ conniventiâ cooperaretur. Unde refert P. Nigronus tr. 10. p. 7. n. 85. Nicolaum Auriam Carmelitarum discalceatorum in Hispania Rectorem Generalem interrogatum, quæ causa esset recessûs religiosorum Ordinum à primævo Sanctitatis statu, respondisse sapienter, *id evenire, quòd in familiis religiosis potiùs hemicrania, quàm podagra laboretur*: id est, culpam in capite (quod hemicraniæ morbo vexatur) in Superiore scilicet potiùs hærere, quàm in pedibus (qui podagra obsidentur) nempe subditis. Superiores enim languidi, humanis respectibus corrupti, ob discretionem disciplinæ suorum amorem amantes, levibus, at multiplicatis defectibus conniventes, neque obsistentes principiis malorum, quæ parva sunt, dum ea sinunt invalescere, & minima neglecta increbrescere, sensim sine sensu regularis vigor enervatur, & regularis observantia paulatim defluit, unde sequitur necessariò disciplinæ relaxatio, statúsque primævi mutatio. Unus Superior laxitate introductâ tanta in Religionem damna nonnunquam induxit, quæ duo vel tres Successores suo rigore, labore, vigore, vigilantia restaurare non potuêre. Nam subditi & præcipuè juniores ad laxiorem vivendi modum aliàs magis proni, quàm ad disciplinæ rigorem, non modicas Superiori reformationem facienti ingerunt difficultates. Intestina oriuntur bella, dum quidam pro observantia Ordinis pugnant, alii pro laxitate decertant, consuetudinem malam pro lege obiicientes parmæ locò. *Ob id*, Superiores admonet S. Chrysostomus, *Gal. 1. majora scelera subjerunt, quòd minoribus debita correctio non adhibetur.*

Altera axiomatis interpretatio etiam à Jurisconsultis audiatur, qui docent, *de minimis esse curandum pratori*, si minimum requiratur ad integrandum totum, & si sit de substantia & forma alicujus actûs. *Menoch. de arbitra. Judicum Sent. casu 390. Baldus. l. quamdiu. C de destr. pign. Bartolus in l. scio. de rest. in integ.* Expressa quoque verba de minimis observandis habet: *In his, quæ conceduntur secundum jus commune, curatur de minimis: secus in his, quæ contra jus commune, ex speciali privilegio*

vilegio permittuntur. Universim de minimo debet curare prætor, si parum pro toto, & defectus in minimo maximum damnum reputatur. Sic Ant. Corsetus *tr. de min.* observavit, pro uno ovo dari actionem furti, levissimam culpam in incendio ad pœnam & damnum resarciendum obligare incendiarium. &c. vid. Menoch. l. c. Dicam nunc, Superiorem curare debere minima, si defectus leves multiplicantur, & ex minimo neglecto sequitur Religionis damnum. hoc autem sequitur ex ruina disciplinæ; ergo &c. Pariformiter in conscientia ad id tenentur subditi religiosi, etsi non ex justitia, sicut Superiores, ut hucusque probatum est.

Idem sit judicium de altero axiomate, quod ab Aristotele desumptum est, qui *L.* 3. *Physic. c.* 56. de bona, maláque fortuna disputans, illum fortunatum, aut infortunatum appellat, si parum absit à mala, bonáve fortuna, hinc ait: *quod enim parum, tanquam nihil distare videtur.* Sic fortunatum dicimus, qui emensus est sylvam, in qua transeuntes centum ante illum à latronibus sunt occisi, quia parum distabat à periculo vitæ. Sic fortunatum quoque Ascetæ vocitare possunt Religiosum, minima negligentem, & tamen in deteriora non ruentem, cùm centum labuntur. Cæterùm quia omnes scientiæ, & artes sibi propria, & diversa habent axiomata, quibus scientiarum, artiúmque principia innituntur, *Mystica scientia*, sive *religiosa Ascesi*, quæ sicut nobiliorem habet finem à S. professione, ita præstantioribus indiget documentis, sequentia attribuuntur. Primum sit pro quotidiana praxi

MINUS, PLUS.

215 SEntis, Religiose, *minus* etiamnum te habere virtutis, ita argumentare tibi ad hominem: ergo *plùs* laborandum tibi est, ut non unam, aut plures acquiras virtutes, sed ad sublimiorem gradum eas promoveas, perficiásque magis in dies. *Minus* perfectionis spiritualis adhuc in te consideras, *minus* boni operis in anima circumspicis: ergo *plùs* insudandum, ut charitas stabiliatur, augeatur, inflammetur, ne unquam minuatur fervor, aut decrescat in actibus. Proinde nullam, etsi minimam, elabi tibi permittas occasionem, charitatis opera exercendi. *Minùs* obediens hucusq; fuisti, *minùs* pauper, *minùs* castus, *minùs* mortificatus: ergo *plùs* agendum tibi, *plus* jam sit in te promptitudinis exequendi Superiorum mandata; *plus* abnega-

tionis in defectu rerum etiam necessariarum ; *plus* solicitudinis in custodiendis sensibus ; domanda carne , enecando amore proprio , aliisque , subjugandis inordinatis passionibus. *Minùs* sapit in mensa cibus ; *plus* gulositati tuæ subtrahe. *Minùs* te delectat religiosum silentium ; *plùs pone ori tuo custodiam, & ostium circumstantiæ labiis, ut non declinet, cor tuum in verba malitiæ. Psal.* 140. *Minùs* placet disciplinæ rigor ; *plus* age pro Dei gloria, Religionis incremento, vocationis merito. *Minùs* grata tibi videtur irrogata injuria, *minùs* jucunda sunt, quæ mentem premunt, adversa ; *plus* adde fortitudinis, & patientiæ. *Minùs* arrident aliorum dicteria, pungunt animum aculeata verba : *plus* charitatis erga tuos adversarios demonstra. *Minùs* æstimantur tua facta , etiam laude digna , *minúsque* honoraris : *plùs* te humilia, & contemptores tuos *plùs* honora , *plùs ama nesciri, & pro nihilo reputari.* Quin etiam in ipsius exercitio virtutis *minus* devotionis, affectûs, & spiritualis gustûs dulcedinis ; *plus* econtra experiris difficultatis, tentationis, afflictionis, & miseræ ariditatis : noli animum despondere , fiduciam abiicere, ab opere inchoato noli cessare ; *plùs* orationi insiste , *plùs* clama in cælum, usque dum *det tibi Deus petitiones cordis tui. Psal.* 36. *Minùs* in omnibus operibus te egisse crede pro honore Dei, pro compensando illi creationis munere, pro fidei dono , pro vocationis gratia : *plùs* ergo conare in posterum operari. *Minora*, imò minima sedulò observa ; cura *minus*, ut efficias *plus*.

Alterum axioma objecto con- 216
trarium sit : *Parum pro nihilo : de minimis non curandum.* Considera , quidquid in bonis operibus, officiis religiosis, virtutúmque actionibus feceris, esse parum, proinde dicito tibi : *parum hoc pro nihilo reputandum*, acriùs pro cælo laborandum , quod solùm violenti rapiunt.

In examine conscientiæ notasti, horas Canonicas in Choro , parum devotè te persolvisse, meditationis, orationis, lectionis spiritualis, vigiliæ, jejunii regulam præscriptam non explevisse, reprehende te ipse dicens : supple, quod defuit, nec te pigeat laboris, quia *parum pro nihilo reputatur.* Et si omnia bene feceris, legis, mandatorum, & consiliorum apices observaveris, considerans , quòd cum æternæ beatitudinis gloria proportionem nullam habeant , *quia non sunt condigna passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Rom.* 8. Statue apud te, majora agere, addere aliquid ad spirituales exercitationes , ad opera charitatis, ad regularum observantiam , ad sodalium curam , & fraternam dilectionem, quia *parum* hucusque præstitum *pro nihilo reputandum.* Sic S. Apostolus, *quæ retro*

tro

tro sunt, passiones, ærumnas labores, vigilias exantlatas, & opera pro conversione gentium ad Dei gloriam peracta tanquam parum & pro nihilo reputavit, *obliviscens*, *ad ea verò, quæ priora sunt, extendens seipsum ad* Philip. 3. in dies majora sustinere, & operari desiderabat. S. Fulgentius *parum putans omne, quod faciebat, de die in diem melior fieri gestiebat.* In vita c. 6. Sic alii Sancti præsentem diem cum hesterna conferentes, &, quæ pridie bene acta fuêre, tanquam *parum ac pro nihilo reputantes* ad majora facienda se se stimulârunt.

Porro leves proximi defectus, nec comunitati aut aliis nocivos, æquanimiter perferre, excusare, & sinistra judicia in se reprimere; Item in victu, vestitu, cubiculo, aliisque rebus necessariis ex amore religiosæ paupertatis defectum pati, nec statim Superiorem pro remedio adire: sine læsione tamen valetudinis &c. Insuper antipathicos Confratrum mores, punctiones verborum, jocos mordentes, vel Superiorum reprehensiones, correctiones, favorum denegationes patienti animo tolerare, non remurmurare, non remordere, sed vincere in bono malum, Religioso aliquid heroicum est, dicenti: *parum pro nihilo habendum, de minimis hisce non curandum est.* Et postquam hæc omnia feceris, omnia ritè observaveris, innumera accumulaveris, merita, *parum pro nihilo reputa*, quod tuis adscribendum sit viribus, & ex profundo tui nihili humilem exilitatem tuam, uti humilitatis Magister *Luc. 17.* clarè docuit, profitere dicens: *servus inutilis sum; quod debui facere, feci.*

217 Tertium sit: *A minimis inchoandum.* Ita S. Dorotheus *ser. 1. de obedientia* docuit, & S. Cyrillus Alexandrinus *L. 2. de ador. in Spir.* probavit. Rationem verò S. Greg. M. *hom. 15. in Ez.* reddit, *quia nemo repentè fit summus, sed in bona conversatione à minimis quisque inchoat, ut ad magna perveniat.* S. Hieronymus confirmat in proœmio Epistolæ ad Ephesios scribens: *ad summa non scandimus, nisi per ima gradiamur.* Magnos Ecclesiæ Doctores magno numero sequuntur S.S. Patres Isidorus, Petrus Damiani, Bernardus, Richardus, Bonaventura, Laurentius Justinianus &c. E. g. Vitium gulæ superare, & ad magnum temperantiæ gradum pervenire desideras, *à minimo inchoa, paulatim te restringe de die in diem minùs bibendo*, ut docet S. Vincentius *de vita Spirit. c. 7.* Et ita cum proportione quamlibet virtutem *à minimo* gradu inchoa, ut ad sublimitatem pertingas.

218 Quartum sit: *Nihil parvum, aut leve æstimandum est.* Quodvis enim peccatum, & si levissimum, contemni non debet; *Nullum omnino sit erratum, quod parvi pendas*, ut monet S. Basilius & Greg. Naz. cujus

 ratio-

rationem notatu dignam S. Chrysostomus *hom. 87. in Matth.* affert conceptis verbis: *Solet mihi nonnunquam non tanto studio magna videri peccata esse evitanda, quanto parva & vilia. Nam illa, ut aversemur, ipsa peccati natura efficit; hac autem hac ipsa re, quia parva sunt, desides reddunt, & dum NB. contemnuntur, non potest ad expulsionem eorum animus generosè insurgere. Unde citò ex parvis maxima fiunt negligentiâ nostrâ.* Concordat huic doctrinæ illa S. P. N. *l. de decem chordis c. 11.* Ubi levia non esse contemnenda, disertè asserit: *Quotidiana sunt ista, quæ dico, sed tamen peccata sunt, & non sunt levia, quia plura. Quia verò quotidiana & plurima, timenda est ruina multitudinis, etsi non magnitudinis.* Hinc nihil parvum aut leve habendum, quod Divino & summo bono contrarium est, sed potiùs *minima pro maximis æstimanda sunt, & cavenda*, uti S. Hieronymus *ep. 14.* Celantiam admonet.

219 Quintum tradidit S. Pachomius, uti Metaphrastes notavit in ejus vita c. 79. *Pro minimis non parvum imminet periculum negligentibus.* Sic minimus aspectus formosæ puellæ maximum non raro creavit periculum consensûs in turpem delectationem, & sæpe turpissimi lapsûs causa extitit; nam, ut rectè advertit Sapiens Ecclesiasticus c. 9. *Propter speciem mulieris multi perierunt; & ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.* Unde axioma asceticum suam traxit originem à re levissima, quæ maximo nonnunquam conjungitur periculo, quod initio quidem non statim magnum, sed successu temporis, & morâ majus evadit, ut ad lapsum urgeat, disponátque. Ratio hujus est, quia, qui parvâ suâ negligentiâ aliquam amittit gratiam, á Deo, si opus aliquod non neglectum, aut cum majori fervore peractum fuisset, certò datam, minores jam habet vires ad resistendum fortiori tentationi, quam hic & nunc vinceret omnino, si priùs leviter se insinuanti restitisset. Sed cùm prior negligentia facilè cum posteriori conjungatur, gravius sequitur periculum, & paulatim debilitatis animæ viribus spiritualis ruina promovetur, ut verum sit: *A minimis neglectis periculum est in maxima prolabendi.*

Quod Axioma tantam habet veritatem, ut auctoritate S. S. P.P. inductione exemplorum; & experientia quotidiana in mundo comprobetur. Certè si quivis in se examinet, unde in majora lapsus originem traxerit, probè advertet, à minimis evenisse. Hinc S. Isidorus Hispalensis suis Clericis; populisque normam vivendi præscribere volens, minimorum curam suasit & ita c. 6. conclusit: *minora itaque devita, & ad majora non devenies.* Hoc probè agnoscens S. Chrysostomus *hom. 87. in Matt. 27.* expressit prædictum axioma au-

aureâ suâ doctrinæ, *Consideremus*, inquiens, *si nimiùm quidam, ac importunè risit, reprehensus à quoppiam est; respondet alius, nihil esse id mali, quid enim est risus, aut quid unquam è risu male sequetur? Orta tamen ex imoderato risu paulisper scurrilitas, à scurrilitate turpiloquiū, à turpiloquio operatio turpis profecta est.* Nam verum est, quod Ecclesiasticus sapienter monet. 11. *à scintilla una augetur ignis.* Unde ex isto axiomate aliud oritur, quod ascetæ sic exprimunt: *Omnia fere manga mala ex minimis principiis paulatim proveniunt*, sive ut Philosophi dicunt: *Parvus error in principio, in fine fit maximus.* Ex his rursus spiritualis parœmia nascitur; *Res minima damna multa, non parva inserunt, eas negligentibus.* Quæ singula ex hucusque allatis probari & exponi possunt.

Neque desunt exempla sanctorum, qui ad tantum perfectionis culmen pertigerunt observatis minimis, ut Sanctorum celebriorum gloriâ sublimari per publicam fuerint promeriti apotheosin, qualis hoc ævo nostro, Anno scilicet 1712. à Summo Pon ifice & Sanctissimo D.D. Clemente XI. facta fuit inter publicos Ecclesiæ applausus, & solemnissimas Urbis Festivitates S. S. Pio V. Adreæ Avellino, Felici de Cantalitio, & Catharinæ Bononiensi. Paginæ istæ nomina non caperent, si ponerentur Cælites tum aliorū S.S. Ordinum, tum & nostri, quibus minimorum cura scala fuit ad insignem sanctitatem. Dum plurima innumeráque reticeo, unum appono in Illustrissimo Claudio Sanctesio Episcopo Ebroicensi Canonici Ordinis, & Gallicanæ Ecclesiæ ævo suo sidere sanctitatis famâ corruscante, & in quibusvis etiam minimis exactissimo Præsule, cujus vitam germanis communicatam hic afferendam duxi. Igitur Carnuti in gallia Anno *1525.* ex nobilibus parentibus ortum habuit Claudius, à quibus probè educatus, à matre præsertim in omni virtutum genere egregiè excultus, ipsius indole suapte in pietatem propensa, ab anno teneræ ætatis nono curæ Canonicorum Regularium Abbatiæ S. Cerauni propè Carnutum concreditus fuit. Habitu clericali vestitus non alteri rei magis studuit, quàm ut functiones Clericales pro viribus ritè obiret. Verùm executioni obstabat naturalis linguæ defectus, quo ad cantum exactè perdiscendum impediebatur; hinc ni respectus in R. P. Joannem de Sainctes ejus patruum qui loci Prior erat, obstitisset denuo à Capitulo Canonicorum domum remissus fuisset.

Longè tamen aliter divina providentia disposuit, cujus ordinatio Claudium in ordine reservavit, futurum illustrissimum Ecclesiæ sidus, ingens Ordinis nostri ornamentum, & eximium hujus ab-

ba-

batiæ decus. Ergo decimum quintum ætatis annum, qui tunc temporis ante Concilium Tridentinum sufficiebat, ingressus, curante patruo suo loci Priore ad professionem per illustrissimum Partholomæum Simonem ejusdem Cænobii Abbatem, nec non Sebastensem Episcopum Anno 1540. die 20. Augusti receptus fuit. Ordini itaque nostro aggregatus, seriò precum, ac studiorum exercitiis se applicuit, primò tamen adeo novercam expertus est genio suo naturam, ut vix quidquam, quod doceretur, capere posset, unde illud evenit, ut quemadmodum olim Doctor Angelicus, & Albertus Magnus, sic ipse quoque suis consodalibus ludibrio esset, & tametsi plurimùm laboris impenderet, nihil tamen aliud ex eo consecutus est, quàm quod molestum juxta, ac periculosum morbum contraxerit; cùm enim persæpe majorem noctis partem sæviente licet asperrimo hyemis frigore pervigil hauriendæ è traditis à magistro scriptis doctrinæ insumeret, defluentibus humoribus frigore congelati pedes quandam contraxere putredinem. Accesit huic malo febris continua tamque vehemens ut licèt ab ea ad extrema redactus esset, mira tamen patientia, & integra in divinam voluntatem resignatione dolores omnes sustinuerit. Incolumitati restitutus intermissum aliquamdiu litterarum cursum reassumpsit, quamquam non modicè etiamnum perplexus: una enim ex parte ingenti discendi desiderio flagrabat, cui ingenii tarditatem indispositio objecit, quò minùs sibi plenè satisfacere posset. Ex altera verò parte angebatur, ne desiderium suum secutus, denuo iis, quibus antea morbis conflictari cogeretur. Hac proin inquietudine agitatus ad orationem confugit, seséque ad Bmam Deiparam, in qua spem omnem collocarat, convertit, quam obsecrabat instantissime ut ingenio tam malè disposito medelam afferet, illudque ad scientiarum consecutionem redderet aptum, non alteri quam Filii ipsius, atque Orthodoxæ Ecclesiæ obsequiis mancipandum. Nec irritæ fuere preces, nam cùm aliquamdiu misericordiæ Matrem instantiùs rogasset, ex concepto animi mærore obdormiscenti illa apparuit virginea manu aures & oculos claudii contrectans, quo ata ctatu mox spiritus intimè penetrari, & omnibus difficultatibus in momento cedentibus intellectus illius mirum in modum illustrari sensit. Ab eo tempore tam immodico litterarum amore exarsit, tantósque in iisdem egit progressus, ut consodales alios longo post se reliquerit intervallo. Quare cùm Abbatis & Capituli, tum consanguineorum consilio Parisios aman-

mandatus philosophicis ac theologicis disciplinis egregiam adeo navavit operam, ut emenso utriúsque curriculo supremam promeritus lauream, atque solemnes inter applausus in Collegio Navarræo Doctor creatus fuerit. Annum 24. agens Sacerdotio initiatus, postquam ad aram primam & incruentam litavit hostiam, beneficio, ut ajunt, curato, Binvillæ præfectus, commendatum sibi gregem optimis exemplis & doctrinis pavit, & aliquot annis omnes Pastoris vigilantis partes implevit. Inter hæc dum Calvini hæresis latiùs indies grassari per galliam, toxicum nocentissimum Parisiis etiam diffundere antiqua Orthodoxæ Ecclesiæ dogmata invertere divina & humana conculcare, Binvillâ ad theologiam in Collegio Navarræo publicè docendam revocatus, zelum, doctrinam & eloquentiam suam in præcipuis hujus urbis cathedris palam ostendit, tum vel maximè, quando colloquium cum hæreticis instituendum erat: primus enim semper in acie stetit, ac hæreticorum objectiones tam egregiè dissolvit, ut facilè cognosceretur in hoc errorum & iniquitatum sæculo à Deo datum fuisse Claudium pro defensione Ecclesiæ, fideíque puritatis. Ejus scripta, atque colloquia publicè instituta multos in fide Catholica confirmavit, constantésque reddidit, plures vacillantes erexit, collapsos ab erroribus ad veritatem divinam revocavit. Post tot palmas à refractaria hæresi reportatas alteram honoris scenam Claudio aperuêre virtutes. Increvit jam fama Doctoris Navarræi per scholas & provincias, ut mereretur Anno 1558. è pulvere scholastico ad aulam evehi, & inter familiares Eminentissimi Cardinalis Lothatingii adscribi, qui, ut virtutem & doctrinam altius collocaret Abbatiam tunc vacantem Can. Reg. Lunævillæ in Lotharingia contulit, & Claudium nunquam à suo latere abesse voluit ut ejus consiliis in obviis quibusque casibus peroportunè uti valeret, sed & Coadjutorem adversus Calvinistas constituit. Quam Ecclesiæ propugnandæ, suique Domini defendendi occasionem Claudius nequidquam negligendum ratus, varia opuscula contra Sectarios scripsit. In celebri quoque colloquio illo Possiaci 16. Septemb. Anno 1561. Cum Hugonottis ad eorumdem instantiam instituto, Bezam illorum Coriphæum, Circumcisionem veteris testamenti cum babtismo novæ legis confundentem insigniter confutavit, ita ut omnium, qui præsentes aderant, risui, & contemptui fuerint Bezæ errores, quin etiam de novatorum illorum pervicacia adeo triumphavit, ut ipsamet Catharina de Medices Regina publicè tunc dixerit,

xerit, *neminem adeo formidari, quàm parvum illum presbyterum*, Claudium Sanctesium intelligens.

Anno 1562. cùm hæretici omnia in galliis subverterent, sacra profanis premiscerent, Ecclesias subruerent, & extremam rabiem in presbyteros, ac Religiosos exercerent, Claudius noster in S. Cerauni Abbatiam secessit, velut alter quidam Jeremias desolationem Jerosolymæ, destructionem templorum, persecutionem ministrorum, virginúmque Sacrarum profanationem deploraturus, ubi etiam insignem scripsit librum, munificentissimóque suo Mecænati Cardinali Lotharingiæ dicavit. Eodem Anno Claudius delectus fuit à Carolo IX. Galliæ Rege, ut inter alios celeberrimos Doctores ipse quoque tridentum ad generale Concilium se conferret, ubi cum Cardinali suo 23. Novemb. appulit. Locus ipsi fuit assignatus inter Abbates tanquam Abbati Lunæ villano. Patribus Concilii præsentibus ob subtilitatem suarum decisionum, & exemplarem vitam, nec non ob depositionem omnis sinistri affectus, quippe cui solummodo justitia & veritas in hoc tanti momenti negotio scopus erat, haud exiguæ admirationi fuit.

Anno 1563. Cardinalis Lotharingiæ Romam profectus secum Claudium comitem sumpsit, cúmque Pio IV. Pontifici præsentavit, à quò perhumaniter acceptus fuit, palam, quam de ipso existimationem haberet, contestatus, eique grates retulit ob servitia Ecclesiæ tam in Concilio, quàm contra hæreticos præstita, ubi etiam in notitiam S. Caroli Borromæi nepotis, Papæ, nec non aliorum devenit apud quos jam ante illius nomen propter insignia merita celebrabatur.

Porro finito Concilio in Franciam initio Anni 1564. cum suo Cardinali cui ubique tam in aula, quàm Rhemis sive alibi adhæserat, regressus est, nec tamen interea à verbi Dei prædicatione, hæreticorúmque conversione, ubi ubi se occasio offerebat, destitit, cúmque in hunc mundum missus crederetur, ut eorum esset flagellum, eos continuè nunc lingua è pulpito, nunc calamo in scriptis suis infestabat. Composuit tum temporis etiam præclarissimum de S. S. Eucharistia opus, quo Calvini Bezæque cænam examini subjecit. Apologeticum quoque scripsit, in quo Bezæ calumniis, quibus is Claudium, quin ipsummet Cardinalem Lotharingiæ omni verecundia seposita impetiverat, cordatè respondit, ejúsque infames turpitudines orbi palam faciendas, propriam tueri, & perditam potiùs quærere, quàm alienam arrodere famam jussit. Anno dein 1568. alium adversus hæresiarchas doctrinæ Calvinianæ,

&

& Bezanæ contra prima Christianitatis fundamenta detexit, probavítque Calvinistas veros atheos esse. Fuit hoc volumen quædam anatomia primi & tertii Calvini Institutionum libri, in cujus operis omni doctrina & eruditione refertissimi fine brevem de prædestinatione, & reprobatione tractationem adjecit, ut tertium Confessionis fidei à Calvinianis ministris Possiaci Regis consignatæ articulum destrueret. Henrici III. cùm adhuc Dux Andegavensis esset, eleemosinarius constitutus, prælio Moncenturiensi Anno 1569. cum ipso interfuit; eidem quoque sua manu pridie ejus conflictus sacram synaxin porrexit, & priusquam certaminis initium fieret, ad Principem accessit, eúmque monuit, ut aliquo voto Deo se obstringeret, Cùm verò dux sciscitatus fuisset, qualenam sibi consuleret, ipse respondit, hoc Spiritus Sancti inspirationi, ejúsque conscientiæ relinquendum esse, ad se autem, quod spectaret, vovere se Deo, si regiam suam Celsitudinem incolumem conservaret, valedicturum se aulæ, ut, reliquum suæ vitæ divino manciparet obsequio, nec non S. S. Eucharistiæ mysterio tum elucidando, tum defendendo sese penitus addiceret. Deinde Ordines militares circumivit, eosdem animaturus, ut gloriosè pro Deo, & pro Ecclesia dimicarent, cúmque insolentiorum nonnulli dixissent, facilè illi esse alios adhortari, cùm extra aleam consisteret, quando ipsi vitam suam periculo exponerent, is reposuit, se in majore, quàm illi, versari discrimine, quippe quòd illi arma gererent, quêis se defenderent, & equos haberent, quêis fuga saluti suæ consulere possent, se autem, pugnantibus illis, manus ad cœlum levaturum, ut in eorumdem favorem succursum obtineret: quòd si deteriùs eventurum esset, nihil sibi superesse, quo se vel defenderet, vel quo fugeret, & in hoc casu se gloriosè cum ipsis pro fide, & Religione vitam positurum. Cùm jam confligendum esset, ipse cum aliis non nullis in modicum quemdam collem secessit, ut prælium spectaret, sique contremisceret, id non ex mortis formidine, sed incertitudine victoriæ fiebat. Dimicavit quidem cum aliis, sed non nisi precibus & lacrymis, Deúmque oravit, ut inimicorum suorum arrogantiam retunderet, &, quoniam inter Turones & Pictavos confligebatur, oculos suos nunc in illius urbis Patronum S. Martinum, nunc in hujus, S. Hilarium continuò convertit, eorúmque præpotens imploravit auxilium, nec non apud eosdem institit, ut injuriam utriúsque tumulo, sacrísque cineribus ab impia hæresi illatam vindicarent. Nec irritas fuisse preces

exitus certaminis palam fecit, dum à Catholicis victoria reportata fuit, plùs quàm sedecim hæreticorum millibus contrucidatis.

Postero manè cùm Sainctesius inter alios ad Ducem se se contulisset, ut eidem victoriam obtentam ex animo gratularetur, ab eodem ipse præventus audiit Sacerdotis sui (Claudium intendens) jam esse qui æterno Numini pro tam gloriosa victoria debitas referret grates, ad aram nunc secundùm hanc intentionem sacra perageret; postea è suggestu Catholicos adhortaretur milites, omnésque, qui ingenti numero confluxerant, populos, nobiles, & belliduces, excitaret ad pares gratiarum actiones Deo agendas, inflamarétque singulorum animos ad fortiter propugnandam Orthodoxam fidem, tuendásque antiquas leges, cæterùm tam præclaram victoriam non sibi, sed illi adscriberent, pro cujus causâ dimicârunt. Paruit paratissimo affectu Serenissimo Principi, & devotissimè dicta sacra Missa cathedram conscendit, illúdque ex Psalmo 113. *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam: ne quando dicant gentes, ubi est Deus eorum &c.* thematis locò assumpsit. Cúmque pro ingenti in Religionem fervore, & solita facundiâ demonstrâsset victoriam hanc non eorum viribus, sed divinæ in acceptis referendam esse largitati, pariter subjunxit, eosdem Dei miserentis bonitate fuisse in vita conservatos, ut pro veritate Eucharistiæ arma ulteriùs vibrarent, nec illis auxilium è cælo unquam defuturum, cùm sola veritas hujus Sacramenti inimicos prosterneret.

Post plurimos labores pro Deo, & Ecclesia generosè ac laudabiliter exantlatos Claudius interventu sui Cardinalis Ebroicensium Episcopus Anno 1574. creatus, nec non à Gregorio XIII. confirmatus, gregi suo non minus exemplo quàm doctrina præfuit. Habitum suum, tametsi id Canones Canonicis Regularibus permittant, nunquam dimisit, eam etiam in illo modestiam observavit, ut voti paupertatis quondam emissi nunquam non memor, nihil superflui admiserit, rochetta & superpellicea ipsius denticulatis carebant limbis, serico nunquam vestitus erat, quin & astrictoriis quoque ligulis abstinuit dicens, unum assem, quô ejusmodi ligula constaret, sufficientem esse, ut exinde pauper per unum diem nutriatur, atque adeò à morte præservatur, unicam duntaxat togam habebat, síque, à suis rogaretur, ut aliam adhuc in seposito teneret, quid? ajebat, nunquid vultis ut tineis, ac verminibus in ista nutrimentum subministrem, dum interea pauperes emoriuntur fame? refertur etiam, eum consarcinatas vestes minimè erubuisse.

Si quando ejus consanguinei aliquid ab eo flagitarent, audacter illis denegabat sub ea ratione, quòd damnationis ipsius causa forent, cùm Ecclesiæ bona non sui juris essent, ut cum eisdem pro libitu in eorundem favorem disponere posset. Universa ejus familia quatuor famulis constabat, nec unquam plures sæculares in comitatum suum admittebat, scilicet, ut tali modo plures Ecclesiasticos alere posset.

Illius mensa admodùm frugalis erat, omnibúsque suæ Diœcesis Clericis aperta. Semper etiam paratos habebat cibos pro Presbyteris, & Religiosis transeuntibus, sique isti deficerent, eorundem demensum pauperibus ministrari curabat. Si porrò nobiles cum presbyteris conjungebantur, his priorem assignabat locum, quòd nobilitas cælestis terrestri præferenda esset. Jejunio quadragesimali, quod, non obstante senio, laborúmque multiplicitate, rigidè obibat, etiam adventuale adiiciebat.

Plurimùm temporis litteris, & orationi vacabat, suísque prohibebat, ne precibus operam danti impedimento forent, quas magna cum spiritûs recollectione statis frequentabat horis.

Hæreticos continuò insectabatur & undique, ceu Oraculum consultabatur ad enodandas gravissimas difficultates. Nec minor de ejus virtute habebatur existimatio, quàm de doctrina, & utraque Romæ tanti fiebat, ut de eo in Cardinalium Collegium cooptando tractatum fuerit. Multum etiam adlaborabat, ut Concilium Tridentinum in Gallia reciperetur. Studebat quoque reformandæ in melius Clericorum vitæ, in eúmque finem seminarium pro 18. juvenibus, quos suos subinde Ephebos nominabat, in litteris, ac rebus ad disciplinam Ecclesiasticam spectantibus instituendis fundabat. Protensos Ecclesiasticorum capillos præsecari curabat, atque ad omnem illos modestiam, ac decentiam vestiri volebat, videbatúrque brevì totius Diœceseos immutari facies dum populus etiam optima Sacerdotũ exempla sequebatur, â quibus certa ad virtutem semita præmonstrabatur.

Verùm Sanctus iste Prælatus non solùm pascendis gregis sui animabus se impendit, charitas ipsius ulteriùs se extendit, in pauperes, scilicet, ínque illos omnes, qui aliqua necessitate premebantur, ternis per hebdomadem diebus eleemosynam illis distribui curavit, nullo penitus excluso, & semel in Anno in arce sua Condæa generalem distribuit, ubi subinde ad duo personarum millia se præsentabant, quibus pannos, ut se vestire possent, distribuebat. Evenit aliquando, ut ejus domestici cuidam

fæminæ denegarint stipem, eâ persuasi ratione, quod vitam satis scandalosam duceret. Verùm Claudius illos reprehendit, dicens, hanc ipsam ob causam eleemosynam ipsi dandam esse, ut se converteret, ac porrò â malo impediretur: hinc denuò advocari eam jussit, cúmque admonuisset illam, ut vitam commutaret in melius, summam considerabilem eidem obtulit.

Anno 1587. plures emoriebantur fame, mercatores cùm intellexissent Episcopum Ebroicensem maximam frumenti copiam possidere, ad eum accesserunt, ut nonnihil ab eo coemerent, ipse verò jussit, tempore prandii redirent, redeuntibus verò atrium pauperibus plenum ostendit, dicens, istos esse mercatores, quibus frumentum etiam cum usura divenderet, si ipsis etiam placeret, idem exhibere pro parata pecunia, se omninò empturum: atque hac ratione plurimùm ædificatos ob suam charitatem â se dimisit.

Durante hoc tempore stipem suismet largiebatur manibus, subinde plùs quàm quingentis hominibus, síque rogaretur, ut hoc charitatis officio absisteret, ne morbo quopiam afficeretur, ob fætidum odorem, nec non acrem infectum, qui à corporibus illis fame, & inopia propè enectis prodibat, respondebat ipse, membra hæc esse JEsu Christi, suíque esse officii, ut ipsemet iis deserviret. Quin charitas Claudii in egenos tam grandis erat, ut Diœceseos Ebroicensis limites egressa, exteros etiam amplexata fuerit, dum scilicet ex arce sua Condæa eodem Anno xenodochium effecit, in quo peregrinos externos exciperet, & nutriret, nec non suismet expensis infirmitatibus oppressos curaret. Si porrò pecuniæ defectum subiret, paratus erat etiam pedum suum pastorale oppignorare, nimirum ut pauperibus meliùs succurrere valeret.

Zelus in Religionem Catholicam, & odium in hæresin Claudium nostrum plus quàm politica, sed summa prudentia præditum exigebant, & ligæ Catholicorum implicabant: hinc factum, ut & libertate, & vita tandem illum privârint. Siquidem turbulenta illa tempestate, hoc est, quando Henricus IV. adhuc hæreticus regni Galliæ possessionem adire voluit, cùm omnia susque deque verterentur, & nullibi non classicum insonaret, ac hæreseos furia ubique immaniter grassaretur Claudius aliorum persuasionibus arce sua Condæa excedens in aliud Diœceseos suæ oppidum, ligæ etiam Catholicorum addictum se contulit, nunquam quippe, utcunque amici contrarium consulerent, Diœcesin suam deserturus. Verùm non multum temporis intercessit, ut & illud oppidum in hostium potesta-

ſtatem proditoriè Sabbatho quatuor temporum poſt Pentecoſten cederet, ubi ſpoliatis Eccleſiis, aliiſque Eccleſiaſticis indigniſſimè habitis Ebroicenſis etiam Antiſtes, ornamentis Pontificalibus, quibus eodem ipſo die pro conferendis ordinibus uſus fuerat, à militibus privatus in arctiſſimam cuſtodiam abductus fuit.

Quatuor ampliùs menſes in eâ exegit, diſcretioni hæreticorum inimicorum ſuorum relictus, quibus ampla ſatis occaſio fuerat oblata ulciſcendi injurias, quas à Claudio ſibi illatas exiſtimabant. Itentidem eum ſolicitabant, ut palinodiam caneret omnium eorum, quæ adversùs errores, & horum fautores principales Calvinum, & Bezam ſcripſerat. Verùm cùm ſemper conſtans perſeveraret, ſecúmque decreviſſet, potiùs vitæ ſe jacturam facturum, quàm veritati contradicturum, conſilium inière de eo è medio tollendo, & certè fama fuit, venenum ipſi in jure fuiſſe ſubminiſtratum, ſumpto námque juſculo mortali infirmitate correptus tredecim integros dies loquela deſtitutus fuit, nihilominus triduo ante mortem ejus uſu recuperato, ſanctis de æternitate cogitationibus cum Eleemoſynario ſuo, poſtea Carthuſiano effecto, vacavit: itaque animam die 17. Octobris Anno 1591. Ætatis 66. Creatori ſuo reddidit.

Ejus corpus à nepote illius pretio redemptum Crepacordio Faleſiam, & exindè Vernolium delatum, ibi apertum unáque cum corde ad D. Magdalenæ interea depoſitum fuit, donec Ebroicam ſecurè deferri poſſet. Sexennio ibidem ſubſtitit non ſine magna populorum veneratione, nec etiam ſine difficultate ex eo loco transferri potuit in urbem Epiſcopalem, quòd eius meritis adſcriberent, quod illorum annorum ſpatio, contra quàm annis præcedentibus fieri ſolebat, à peſte immunes fuerint, & certè, ut illis ſatisfieret, eóque libentiùs cadaver dimitterent, cor ipſis relinquendum fuit, quod non ſine ſolemnitate propè majorem aram inhumatum fuit, adjuncto hoc præclaro Elogio.

Anno Domini 1591. bellis civilibus tumultuante Gallia, corpus Illuſtriſſimi, & Reverendiſſimi Domini Claudii des Sainctes Ebroicenſis Epiſcopi, Sanctitate, & doctrina celeberrimi, nuper in Caſtello de Creve-coeur non ſine ſuſpicione veneni propinati ab Hæreticis, quos miris ſcriptis exagitaverat, vita functi, inde aſportatum in hac Eccleſia per Annos ſex, & ampliùs integrum eſt aſſervatum, tandémque, ut in primaria ſepeliretur Ebroicenſi, delatum eſt, corde ſervato, quod hîc juxta plumbeo ſcriniolo honori-

norifice conditum est ad perpetuam hujus loci felicitatem, & gloriam.

Antequam corpus illius transferretur capulus apertus est, ut videretur, utrùm non aliquo modo fuerit immutatum, inventum illud fuit plane integrum, quod verò in spectatoribus ciebat admirationem, erat, quod barba, quam satis brevem semper habebat, ad quatuor digitorum longitudinem excreverit. Occluso dein capulo Ebroicam delatum cadaver, atque extra urbem â clero, populoque honorificè exceptum fuit, lachrymis ex omnium præsertim pauperum oculis ubertim manantibus suam deflentium orbitatem. Sepultum verò fuit proxime suis prædecessoribus, prout ante prædixerat cum hoc Epitaphio.

Siste!
Quisquis hanc ædem oraturus adis,
Hospes, sive Incola.
CLAUDIUS DES SAINCTES
Magnus ille Theologus
EBURONENSIS ANTISTES
hoc in angulo
pompa tenui situs est.
Sepulchrum
imagines nullæ, columnæve exornant.
Ne miràre:
sufficit
angustus prono corpori locus,
nec pompas mortuus optavit,
qui vivens
fastus, & sæculi risit ludibria.
Et quæ columna satis digna
potuit erigi illi,
qui columna fuit Ecclesiæ?
Imago non corporis (vanum)
sed ingenii,
mentisque divinæ
in illius scriptis admirandis cernitur.
Conciones
in conspectu Regum, populique frequentia
habitæ
sat nomen illustrant.
Si hæc nescis,
cæcus, & surdus es,
ista non sunt scripta tibi.
Vade, & ora.
Obiit Anno MDXCI.

Ex vita per R. Don. P. Claudium Molinetum nostrum Gallicè conscripta apud Reverendissimum Grueber in suo Theatro ad diem 17. Octobris.

CA-

CAPUT IX.
De indiciis ſpiritualis profectus.

QUamvis cuilibet ad majorem perfectionem tendendum ſit, ut ex Sententia S. P. N. in Pſal. 69. perfectionis apicem attigiſſe nunquam ſe credat: *quantumcúnque enim hic profecerimus, nemo dicat: ſufficit, juſtus ſum. Qui dixerit, remanſit in via, non novit pervenire ubi dixit, ſufficit, ibi hæſit.* Attamen quædam ſigna à SS. PP. & aſcetis annotantur, ex quibus conjicere eſt; an in virtutibus profecerit, aut defecerit, non ideo, ut iis animadverſis ad majorem gradum pervenire negligat, ſed ex indiciis dimetiatur, quouſque Spiritu aſcenderit. Hæc indicia hoc capite dabimus.

ARTICULUS I.
De primo ſigno ſpiritualis profectus in diminutione peccatorum ſito.

SUMMARIUM.

220. *Ut Religioſus ad perfectionem tendere dicatur, non ſufficit abſtinere à peccatis mortalibus, ſed etiam à venialibus.*

221. *Signa, unde dignoſcitur quis, venialia vitare, & minuere.*

222. *Remedia indicantur ex parte 1. c. 2. & 3.*

223. *Defectus in malo eſt profectus in bono.*

220 Cùm ex doctrina S. Baſil. in Pſal. *Principium eſt profectûs digreſſus à malo.* Et ex revelatione divina conſtat in Pſal. 36. *declina à malo, & fac bonum &c.* pronum eſt ex agro animæ peccatorum lolia ſentes & tribulos, evellenda, deſtruenda, & diſſipanda eſſe, priuſquam virtutis ſemen jaciatur. Peccata autem ſunt peſſimi fructus, quibus niſi de-

structis, impossibile est, virtutem radices agere posse. Religioso præcipuè non sufficiat à peccatis grandibus, & mortalibus abstinere, sed oportet etiam manum admovere ad levia & venialia eradicanda, sicut monet S. P. N. *de perf. just, c. 9. qui ad perfectionem irreprehensibiliter currit, carens criminibus damnabilibus, ipsa etiam peccata venialia non negligit emundare.* Quodsi verò non deceat homines Christianos, & sæculares evitare duntaxat peccata mortalia, non etiam venialia, quid sentiendum erit de Religioso, qui ex vi obligationis suæ, quam regularis status habet annexam, ad perfectionem charitatis tendere debet? Ut autem cognoscere valeat, num ad perfectionem tendat, sequentia in se consideret indicia, quibus peccatorum venialium diminutio inclarescit.

221 Signa igitur circa evulsionem peccatorum venialium sequentia sunt, ex quibus profectus dignosci queat. 1. Qui longo tempore cum plena deliberatione Deum nunquam offendit.

2. Qui nec leviter venialiter contra multas peccatorum species peccat, nam *sicut accidens*, dicit S. Th. 1. 2. Q. 88. *a. 3. ad 1. & alibi, potest esse dispositio ad formam substantialem, ita & peccatum veniale ad mortale,* præsertim in variis speciebus commissum: *sic enim, dum homines negligentes despiciunt, peccata sua, quia parva sunt, crescentibus minutis peccatis, adduntur etiam crimina, & cumulum faciunt, & demergunt*, ut loquitur S. P. N. *Serm. 88. de temp.*

3. Qui non sæpe contra paucas species venialium delinquit. Nec dicas: peccatum quidem est, sed parvum est &c. respondet enim S. P. *Ser. 244. de temp. nec nos dicimus, quia capitale est peccatum, sed tamen si frequentiùs exerceatur, & jejuniis, atque eleemosynis non redimatur, nimis immundam animam facit.* Similem doctrinam tradit S. Th. *3. p. Q. 87. a. 1. ad* 1. quia homo religiosus *debet habere propositum se præparandi ad peccata venialia minuenda; alioquin esset ei periculum deficiendi, cùm desereret appetitum proficiendi, seu tollendi impedimenta spiritualis profectûs, quæ sunt peccata venialia.* Qui verò committit ea in variis speciebus, aut in aliquibus tantùm, sed frequenter, concupiscentiam, & habitus pravos roborat, & spiritualem profectum veluti agonizare compellit.

4. Qui etiam abstinet à levibus, sed periculosis, qualia sunt ex mente antiquorum SS. PP. & doctrinâ modernorum cogitationes impuræ, aspectus curiosi fæminarum, & turpium picturarum, curiosæ lectiones rerum fædarum, à quibus progressus est facilis ad gravia. Sic legitur de S. Theresia, quod totâ vitâ suâ nullum peccatum etiam veniale commiserit contra castitatem.

5. Qui nunquam in Dei cultu venia-

venialiter peccat, scilicet in oratione, meditatione, officio divino, Sacrificio Missæ, & susceptione Sacramentorum, vel aliis functionibus Ecclesiasticis, sicut p. 1. n. 321. hujus documenta data sunt.

6. Qui in aliis quibusvis materiis nunquam peccata venialia committit, quæ Religiosum valde dedecent, uti sunt mendacia, vitium gulæ per excessum frequentem, detractiones, murmurationes &c. nam ut ait S. P. N. *l. de mend. c. 17. perfectorum præceptum est non mentiri, sed nec velle mentiri.*

7. Qui etiam in exterioribus moribus nullum veniale peccatum committit, nam teste S. Hieron. *ipse incessus apud Religiosum, & motus, vultus, sermo, silentium quandam decoris sacri præferant dignitatem.*

Pariter de exterioribus peccatis cautè præcavendis B. M. Virgo docuit S. Birgittam *L. 4. Rev. c.* 74. *omnis justus* inquit *primo sit justus sibi ipsi, cavendo scilicet, ne quid in locutione, seu operatione, aut exemplo appareat, quod proximum possit offendere, ne, quod ex justitia reprehendit, vel docet, in aliis destruat moribus inordinatis.*

8. Non leve indicium profectûs est, qui singulis saltem annis unum peccatum veniale extirpat, aut minuit. *Si omni anno*, inquit Ven. *Th. Kemp. l. 1. imit. c. 11. unum vitium extirparemus, citò viri perfecti efficeremur.* Quod ipsum B. Virgo docuit S. Birgittam l. cit.

9. Qui minimum peccatum veniale magni, & pluris, quàm antea facit, ut propterea commissum statim emendet, ac defleat. Sic, inquit *S. Isid. l. 2. Sent. c. 1. perfecti levia quaque delicta quasi gravissima lugent.*

10. Qui etiam materialia peccata non committit, & difficillimè etiam in aliquod peccatum, etsi quasi nolens, trahi potest. Indicium hujus perfectionis patefacit S. P. N. *l. de vera Relig. c. 16. cum anima menti ita copulatur, & velamento pudoris obnubitur, ut jam rectè vivere non cogatur, sed, etsi omnes concedant, peccare non libeat.* Ita etiam Apost. *Rom. 8.* fateri de se ausus est: *quia nulla creatura poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo JEsu Domino nostro.* Ad hunc pertinet gradum, etiam speciem & umbram peccati fugere, & inadvertenter commissum actibus contritionis delere.

11. Magnum indicium hujus perfectionis est, si quis non solùm ab ejusmodi peccatis & imperfectionibus se purgaverit, sed etiam alios ad similem perfectionem adducere studeat. Unde evenit, ut alienos defectus plena commiseratione aspiciat, patientérque toleret: *vera enim justitia*, ut scribit S. Greg. M. *hom. 34. compassionem habet, falsa verò dedignationem.* Et S. P. N. *l. de nat. & grat. c. ult.* asserit, *perfectam charitatem esse perfectam justitiam, ut scilicet defectus velut in proprio subjecto corrigantur, & major perfectio divinam gratiam introducat.*

222 Quod attinet modos diminuendi peccata, varii quidem præscribuntur ab antiquis Patribus, efficacissimus tamen ab omnibus modernis præscribitur examen particulare, quod accuratè factum facillimè ad extirpanda peccata etiam venialia quadrat. Remedia cæteroquin *p. 1. c. 2.* tradita ita observentur, ut successivè virtutum exercitia *ibidem c. 3.* exhibita, atque regulæ de mortificatione sensuum executioni tradantur; observatio enim illorum est dispositio sequentium, ut adeò non tam hic tradantur documenta acquirendi perfectionem, quàm signa, ex quibus post longum virtutum exercitium, & extirpationem vitiorum profectus dignoscatur. Proin de modo acquirendi perfectionem præfatam nullas hic præscribimus regulas, utpote quas per cursum Novitiatus nostri satis præscriptas fuisse credamus.

DEFECTUS PROFECTUS.

223 QUia peccatorum diminutio virtutum est incrementem, & primum spiritualis profectûs indicium, haud absque ratione *defectum profectum* appellamus. Defectus quippe unius contrarii profectus est alteriùs: deficientibus tenebris crescit lux, defectus vitiorum augmentum virtutum, defectus mali inductio boni, defectus carnis, ejúsque concupiscentiæ profectus est spiritûs. Qui deficit in malo, proficit in bono, & vice versa, qui proficit in malo, deficit in bono. Et licèt defectus magìs sit referendus ad malum, *non omnis* tamen *defectus vel culpa est putandus vel pœna, est etiam defectus laudabilis, vel optabilis*, utì pulchrè ostendit Doct. noster *in Ps. 118. ser.* 20. *Nam cùm sint inter se duo ista contraria, proficere & deficere, usitatiùs profectus in bono accipitur, defectus in malo, quando non additur, vel subintelligitur, in quid proficiatur, vel deficiatur: cùm verò additur, potest & malum esse, proficere, bonúmque deficere. Apertè quippe dixit Apostolus 1. Tim. 6. Profanas autem verborum novitates devita, multum enim proficiunt ad impietatem. Ait & de quibusdam 2. Tim. 3. proficient in pejus. Ita & defectus à bono in malum malus est, à malo in bonum bonus est. Bonus quippe defectus dictus est in Psal. 83. Desiderat & deficit anima mea in atria Domini.* In eundem sensum abit S. P. dum *profectum* ascensum, *defectum* vocitat casum: *Ascendit omnis, qui proficit, cadit omnis, qui deficit. Amando Deum ascendis, amando sæculum cadis. In Psal. 126.* Ita etiam S. Hieronymus in c. 1. v. 20. defectum vitiorum profectum esse virtutum clarè demonstrat, quia

quia *qui vitia destruunt*, inquit, *virtutes adificant.*

Hoc modo defectus à vitiis, à nævis, ab imperfectionibus, profectus in charitate, & sanctitate vitæ eximius fuit viris sanctis, qui eapropter à sæculo defecerunt, ut in S. Religione altioribus proficerent virtutibus.

Ita *Martinus Navarrus Azpiloneta* doctrinâ, & vitæ sanctimoniâ celebris deficere statuit, ut sanctiùs proficeret. Felici partu 13. Dec. Anno salutis 1493. editus, ab incunabulis futuræ virtutis specimina edidit. Adolescens Compluti Philosophiæ, & Tholosæ Juris Pontificii, ac Cæsarei Lauream adeptus, utrumque pòst in eadem Academia, atque Cathuri summo Auditorum encomio interpretatus est. In patriam reversus cohortante potissimùm Illustrissimo Francisco à Navarra Affine suo Archiepiscopo Valentino in Roncavallensi Collegio Canonicorum Regularium S. Augustini habitum suscepit. Salmanticæ quatuordecim annis, & Conimbricæ 16. an. Decretum, cæterosque Juris Canonici Libros omnium admiratione & applausu explicuit in publicis prælectionibus, Serenissimæ Joannæ Austriacæ, principiisque Familiæ à Sacris confessionibus existens. Jam Octogenarius Romam delatus, ut Illustrissimi Bartholomæi Caranzæ Archiepiscopi causam tueretur, quantocius ad Pœnitentiarii ministerium vocatus fuit, quo tempore S. Carolus Borromæus eo fungebatur adhuc munere. Hic ejus Doctrinæ tanta vis fuit & auctoritas, ut Navarri sententiæ certæ leges, domus curia, & prolata consilia urbis & orbis oracula haberentur, hoc illi encomium ferente Summo in terris Christi Vicario Gregorio XIII. *Doctoris Navarri inconcussam, sanctámque è juris penetralibus depromptam esse doctrinam non addubito, eóque nomine eum veneror, & amplector, præsertim cùm ea eruditione, sanctitate, vitaque integritate sit Navarrus, ut non nisi sancta, & pia eum scribere, certò in animum inducam, ac non modò scribere, verùm etiam, quæ scribit, vitâ, ac moribus exprimere, æqualem verbis vitam agere, optaréque, ut cæteri in sortem Domini vocati, se imitentur. &c.*

Et reverà scientiæ miram vitæ innocentiam & integritatem jungebat, quam à præstantia doctrinæ nunquam separandam esse duxit. Cùm tertium supra nonagesimum ætatis annum ageret, nulla senectutis prætensæ dispensatione usus Horas Canonicas devotissimè persolvit quotidie, ad aram litavit ferventissimè, indicta Ecclesiæ jejunia observavit diligentissimè. Juxta regulam aurelianam carnem domabat abstinentia escæ & potûs, plusquàm valetudo permittere videbatur. Horas quinque ad summum & nudo duntax-

at asseri incumbens, somno dabat, reliquum temporis tum S. contemplationibus, tum studiis tribuens.

Cultui Virginis Deiparæ summopere addictus plurimis titulis illi se obstrictum fatebatur cum, quòd in ejus Ecclesiâ sacro fonte ablutus, & puer in eam fixos oculos tenens, dum in fluvium lapsus, pro suffocato habebatur, sanus integérque non sinè miraculo extractus esset: tum, quòd in ejus Natali & S. Ordinis habitu indutus, & post annum solemnem professionem emisisset, ac primum Missæ sacrificium celebrâsset. Unde Sanctissimæ Matris psalterium singulis diebus absolvit, *quod orandi genus* vocavit *nunquam satis laudatum,* & novos quosdam adinvenit modos, ut post singulas S. Rosarii decades seraphico ardore intentionem cum cælitibus conjungeret, elevarétque sequentibus formulis.

1. Millies millies te, ô gloriosissima Virgo & Mater Maria, benedicant, & laudent omnes SS. Angeli, & Archangeli totúsque spirituum cœlestium exercitus, spero, te cum illis in cælis aliquando me visurum, & honoraturum. Amen.

2. Millies millies te, ô gloriosissima Virgo & Mater Maria benedicant & laudent omnes SS. Patriarchæ, Prophetæ, Innocentes, Joannes Baptista, omnésque electi veteris testamenti! spero, te cum illis in cælis aliquando me visurum, & honoraturum. Amen.

3. Millies millies te, ô glorios. V. & M. Maria benedicant & laudent omnes S. S. Apostoli, Evangelistæ, & Christi Discipuli, ac Martyrum chorus! spero, &c.

4. Millies millies te, ô glorios. V. & M. Maria benedicant & laudent omnes SS. Confessores Episcopi, Doctores, Monachi, & Eremitæ! spero &c.

5. Millies millies te, ô glorios. V. & M. Maria benedicant & laudent S. S. Mater tua Anna, Mariæ cognatæ, Magdalena, Martha, & omnes SS. Virgines, viduæ & conjuges! spero &c.

Atque hunc laudabilissimum precandi modum quoad vixit constanter retinuit, devotissimum Almæ Matris filium & clientem se se exhibens.

Quanta charitate in proximum Martinus flagraverit, Nosocomium D. Luciæ in suâ patriâ paternis sumptibus erectum, largísque proventibus dotatum testimonio est.

Sicut Romæ neminem ab se sine consilio, solatio, & ope abire immunem permisit; ita Conimbricæ ipsius domus pauperum fuit receptaculum, quibus propria etiam manu stipem copiosam elargiebatur. Tholosæ, ac Salmanticæ, cùm matutinis horis in Academia jus pontificiũ interpretaretur,

à

à prandio in xenodochiis visebatur, linteo præcinctus infimæ sortis ægrotis lectos, & mensas sternere, sordes detergere, cibos inferre, nullúmque officii genus, quantumvis abjectum, ac sordidum, alienum à se ducere. Societatis Patribus, qui eum maxima veneratione prosequebantur, piissima familiaritate affectus, præsago spiritu futuras calamitates denunciavit. Cùm enim Anno 1554. Salmanticæ Patres prædictos salutatum venisset, diceretque, *se debere obedientiam, quam toti societati detulisset, ei quoque deferre Collegio, piè omnes déque genu complexus, solicitè monuit inter alia, ut, cùm Ignatius Societatem contra Satanam instruxisset, ornassetque classem, magnas Societatis Collegiis, domibúsque tempestates non defuturas*, sicut notavit P. *Orlandinus l. 14. n.* 74.

Ne ulla in re *deficeret*, verùm in dies sanctiùs *proficeret*, in omnibus rebus Deum sibi præsentem stitit; hinc crebræ illius exclamationes audiebantur: *Deus nobiscum! Deus cuncta videt, & audit!* In ultima senectute cùm illum Magnates, aliíque intima eidem familiaritate juncti, viri etiam Religiosissimi, adhortarentur, ætati ut parceret, nec non aliquid cœptæ austeritatis remitteret, respondit in hæc notanda verba: *inconveniens planè foret, cursorem tunc, cùm meta immineret, ab inchoato cursu desistere velle.* In extremis constitutus cùm animam ageret, atque adessent, qui ad mortem fortiter obeundam eum animarent, variáque ex S. Literis prælegerent, pervenissentque in S. Passionis Dominicæ Historia ad illa verba: *Ego palam locutus sum mundo, & in occulto locutus sum nihil &c.* eadem ipse repetens voce, licèt fracta, illæso virginitatis flore animam exhalavit die vigesimo primo Junii Anno 1586. ætatis 94. *Ex Joan. Nic. Erythræo. in 1. p. Pinacoth. & aliis.* Illum P. Orland. Societatis Universæ Historicus insignis, & P. Lancicius ascetica doctrina clarissimus ejusdem Societatis *in opusc. spirit. op. 9. c. 2. celebrem doctrinâ, & vitæ sanctimoniâ*, alii DD. *in Jure Pontificio versatissimum* compellant.

Cùm Venerabilis Absalon ad S. Victorem Parisiis continuò ab imperfectionibus *deficeret*, rarioribúsque in virtutibus *proficeret*, ut regularis observantiæ, aliquantùm prolapsæ, defectum in Canonia Sprencheirbacensi suppleret, nullis ad infulam & regimen postulatus pepercit laboribus, quibus sub Archiantistitis Trevirensis protectione, cujus jurisdictioni subjecta erat Sprencheirbach. Canonia, Deus liberalissimus tantas contulit benedictiones, ut brevi pristino decori restituta, & innovata fuerit.

Refert celebris Historiarum Scriptor Cæsarius Heisterbacensis Cisterciensis S. Familiæ Asceta L.
4.

4. c. 89. illustr. Mirac. Antequam Absalon è S. Victore Parisiensi ad regendum Cœnobium Sprencheirbacense, in diœcesi Trevirensi situm, adventaret, quemdam ex Canonicis hujus loci visionem aliquam noctu vidisse, quasi candela ardens præfatum asceterium intraret, suóque lumine omnium Canonicorum extinctas candelas, quas manu tenebant, reaccenderet. Cujus ostenti explicatio illa fuit, advenire eum, qui disciplinam erigeret, imperfectionum tenebras dissiparet, laxitatem restringeret, & ex defectu proliceret profectum. Beatâ morte sublatus 28. Decemb. salutiferi Anni 1200. æternâ quiete pro exantlatis laboribus frui piè creditur. *Ex cit. Cæsar. & Hypol. Marracio in Biblioth. Mariana.*

Stephanus Berout ob eximias virtutes, & animi dotes in Ecclesia Cathedrali Laudunensi ad Decani dignitatem evectus pluribus annis munus egregiè gessit. Verùm honores mundi, utut Ecclesiasticos, tanquam vanos aspernatus, pro majori in virtutibus profectu acquirendo in Abbatia Parisiensi ad S. Genovefam vitam elegit humilem, & religiosam, ubi ex Decano Canonicorum sæcularium Novitius Regularium effectus, inter Sanctos Candidatos candidam immortalitatis stolam obtinuit. 17. *Junii Anno* 1550. *Ex documentis transmissis apud Rm. Grueber.*

Petrus Bonsignorius Bononiensis pietatem cum lacte instillatam ne amitteret in mundo, Congregationem Lateranensem adiit, ubi scientiâ & ascesi profecit plurimùm. Postquam 36. annos in Philosophia, & Theologia Placentiæ, Vercellis, ac Paduæ magno auditorum concursu & applausu docendâ exegerat, abnegationem, despicientiámque sui ita amavit, ut ætate & meritis confectus cubiculum propria manu scopis purgaret, lectum sterneret, aliáque exigua Ordinis officia strenuè obiret, somni, cibique parcissimus. Bononiæ in Canonica S. Joannis Abbas in absentia Professoris Ordinarii ipse Prædicamenta Aristotelis interpretari discipulis non fuit dedignatus. Anno 1606. Congregationis Præpositus & altera vice visitator Neapoli ad S. Petrum de Ara, dum visitationem instituit, octogenario major piissimè obiit 3. Decembris Anno 1608. *Ex Lyc. Later. Rosini l.* 14.

Quàm sanctè deficere sit proficere, exemplo suo docuit Rmus Philippus Vetterl Burghusii honestis parentibus A. 1593. natus, & ephebis vix egressus, in Ranshoviano ad Brunovium Bojariæ Collegio mox institutum Canonicum suscepit. Tantos in literarum, & religiosæ perfectionis studio progressus fecit, ut omnibus admirationi esset, nullúsque non haberet, quod in illo, si vellet, æmulari, & imitari posset. Eapropter adolescens virtutis irradiantis lumen

men

men supra candelabrum poni, & ad regimen prælaturæ eligi Philippum ætatis suæ Anno 27. Canonicorum suffragia postularunt; quam provinciam etiam adeò dextrè administravit, ut alter Cœnobii fundator audire mereretur. Siquidem Collegium, veteri diruto, à fundamentis tam splendidè erexit, ut illud Principis potiùs palatium, quàm Religiosorũ asceterium videretur. Templum S. Pancratii Martyris insignibus ornamentis magnificè locupletavit: Pontificalium usum ab Urbano VIII. impetravit, Tyronibus ipse Prælatus Magister varia dedit documenta religiosæ vitæ, & conciones ad populum habuit, Sanctis immortuus laboribus Anno 1634.

ARTICULUS II.

De aliis indiciis spiritualis profectus in refrænatione passionum, & victoria tentationum consistentibus.

SUMMARIUM.

224. *Alterum indicium spiritualis profectûs est passionum ordinatio, cujus signa referuntur.*
225. *Tertium est victoria tentationum, certis notata signis.*
226. *4. Præcipuis passionibus opponuntur virtutes cardinales: item humilitas gaudio, sui abnegatio tristitiæ, magnanimitas timori, & mundi contemptus spei. Hinc. armatura fortium.*

224 INsignis profectûs in spiritualibus indicium habetur, quando inordinatæ passiones temperantur, & ad ordinem rediguntur ea ratione, quam supra c. 7. & p. 1. c. 4. a. 9. docuimus, præcipuè verò paucis complectimur signa acquisiti dominii illarum, quæ sunt.

1. Si passiones naturales, etsi vehementes, ad offendendum Deum non ampliùs protrahant.

2. Si non ampliùs ita vehementes sunt, sicut antea fuerunt.

3. Si rariores, etiam non vehementes, sunt, & non inquietant, vel perturbant animam, sed quasi spe-

speculativè exurgunt sine culpa, & perturbatione animi.

4. Quando passiones, hominem adeò ad malum inclinantes, nunc semper disponunt ad bonum.

5. Si rectæ rationis ductu non merè affectûs naturalis impulsu ad res non malas, sed indifferentes feratur: v. g. non minùs quis instituit conversationem cum hoc, quàm cum illo, assumitur hæc vel illa occupatio.

6. Si exurgentibus contra rationem affectibus citiùs & generosiùs, quàm antea resistat; quia *non proficientium* est, tardè, & languidè resistere prout S. P. N. *hom. in Ezech.* & *l. 8. conf. c. 5.* de se conqueritur. Plura videantur L. cit. *de pass. dom.* explicata.

225 Tertium indicium profectûs spiritualis est generosa victoria tentationum, & quidem

1. si tentationes ad peccatum non ampliùs protrahant, contra quas quotidie oramus. *Et ne nos inducas in tentationem.*

2. Si nec periculum peccati proximum inducunt, nec perturbant vehementer & inquietant animum, licèt rejectæ fuerint.

3. Si tentationes non oriuntur ex nostra culpa recente vel incuria, sed ex Dei, nos probantis, permissione.

4. Si non excitantur à causa vel occasione vehementi & gravi, quæ hominem naturaliter movere potest.

5. Si tentationes, quæ invadebant hominem initio conversionis suæ nunc citiùs & faciliùs superantur, & similes iisdem minùs sentiuntur.

6. Si veteres tentationes minuuntur, vel ex toto cessant, sicut S. P. N. cùm dixisset *l. de dilig. Deo*, se tribus modis à peccato conservatum, *scilicet occasionis subtractione, resistendi data virtute, affectionis sanitate.* Subjunxit: *à quibusdam peccatis tam longè me fecit tua miseratio, Domine, ut penitus abominer ea, & ne ulla quidem eorum tentatio molestaret.* Quod quidem duobus modis suis Deus conferre solet. 1. *Via ordinaria* in præmium heroici operis priùs perpetrati. 2. *Via extraordinaria* sine præviis actibus virtutum, prout S. Patrem nostrũ tanta beneficentia affecisse Deus post conversionem piè & doctè creditur.

7. S novæ, quæ in aliis occasionibus iisdem vel paucioribus exurgebant, etiam nunc non sentiuntur. Quod coincidit fere cum priori, sed tantùm minorem sensum addit.

8. Si animus nunc magìs abhorret à tentationibus perducentibus ad peccatum, quàm antea, atque hinc majorem sensuum, mentísque custodiam adhibet, ex cujus neglectu multæ tentationes aliàs exurgebant ex mente S. Hieronymi *l. 2. in Joan. c. 4. quia sunt quinque sensus quasi quadam fenestræ,* per

per quas vitiorum ad animam introitus est. Hac de re vide Cap. VIII. A. 1. ubi plura.

226. Duo ista indicia haud vulgaria spiritualis profectus sunt, *passionum* etenim *edomatio*, & in ordinem redactio virtutum altiorum habitus supponit: unde *victoria tentationum* gloriosa consequitur. Nemo enim continuos hostis infernalis assultus superat, nec carnis illecebras supprimit, vel fraudes, technas, mundique fallacis laqueos evadit, qui sui adhuc impotens, seipsum vincere nequit. Ea propter S. Hieronymus in c. 1. *Zachariæ Prophetæ vers. 19. cornua, quæ ventilaverunt Judam, & Israel, & Jerusalem* animæ passiones interpretatur, utpote *quæ singulos domum Dei spiritualem ædificare volentes impetunt.* Earum præcipuæ sunt *gaudium, tristitia, metus, spes,* sive *cupiditas.* His oponuntur quatuor virtutes cardinales, quæ hasce passiones edomant, nimirum *prudentia, justitia, fortitudo,* & *temperantia.* Porro illis quatuor ascetica principia contrariantur.

1. *Humilitas & pænitentia*, quæ sternit *gaudium.*

2. *Abnegatio sui*, & *resignatio* in voluntatem Dei, quæ interimit *tristitiam.*

3. *Magnanimitas & confidentia* in Deum, quæ profligat *timorem.*

4. *Contemptus mundi*, qui supprimit. *spem.* Qui enim cum Magdalena deflet sua peccata, hic spernit omnia mundi gaudia, totusque mundus ei amarescit. Qui abnegat se, suaque commoda, ac se resignat in voluntatem Dei; hic de nulla re tristatur, sed omnia æquo animo suscipit de manu Dei, qui *diligentibus se facit omnia cooperari in bonum.* Qui magnanimus est Deóque confidit, nihil metuit. Qui contemnit omnia, quæ in mundo sunt, eáque ut vana, vilia, brevia, & exilia despicit hic nihil in mundo sperat. Proin hæc duo indicia spiritualis profectus in refrænatione passionum, & victoria tentationum consistentia non inconcinnè sensu allegorico, & tropologico Ascetis obveniunt, & sunt

ARMATURA FORTIUM.

Rectè omnium armorum panoplia sunt virtutes contra vitia, & passiones edomitæ *armatura fortium.* Turris quippe David teste S. Gregorio apud Cornel. *in c. 4. cant.* collum S. Ecclesiæ dicitur, *quia sancti prædicatores procul venientes hostes S. Ecclesiæ speculantur, & fortiter resistunt, si quid in Ecclesia lædere conantur, & liberè terrena despicientes,* ce-

cælestia contemplantur. Mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. *Cum propugnaculis turris David ædificata dicitur, quia sancti prædicatores contra adversarios homines, si necesse sit, miraculis armantur. Contra vitia autem se clypeis muniunt, quia ne spiritualibus hostibus succumbant, virtutibus se se defendunt. In quibus omnis armatura fortium pendet; quia quisquis hostium cuneis fortiter resistere vult, in eis exempla videt, quibus armatus, hostes strenuè valet superare. Mille autem hic pro perfectione ponitur, quia in millenario numero omnes numeri complentur.* Sic nempe milites Christi in *turre David*, in sacra scilicet Religione, & religioso Ordine, ubi etiam *mille clypei pendent, omnisque armatura fortium*, omnes sensus, omnes animæ potentias, omnes vires, & mentis dotes in aciem educant, seseque numerosissimis opponant hostibus, nec vel in uno irrefrænato sensu, aut inordinata animi passione irruptionem hostis patiantur; quia non est tantùm *colluctatio adversùs carnem & sanguinem, sed adversùs principes & potestates, adversùs mundi rectores tenebrarum harum contra spiritualia nequitia in cælestibus. Ephes. 6.* Ast tenebrarum rectores non vincuntur, nisi superna luce illustrati vigiliis, orationibus, meditationibus, spiritualibus lectionibus, & asceticis studiis incumbant Religiosi. Humilitate verò suffulti corpus assiduis laboribus, continuis mortificationibus, jejuniisque exerceant, qua ratione fortes fiunt, & invicti, adversarios superabunt, atque adversa omnia subiicient sibi, & ad divinum servitium sibi famulari cogent.

Ita Sancti Anachoretæ, Eremitæ, Ordinum Patriarchæ, insignes Clerici, & Pontifices, quin in omni Ordine Hierarchico Præsules gloriosè decertarunt *armaturam fortium* induentes. Lubet spectare ex millenis quosdam. S. Albinus Canonici Ordinis, & Andegavensis Ecclesiæ Illustrissimum sidus, in eo exercitationis quotidianæ processu suique mortificatione ita ultra se semper ascendens proficiebat, *ut meritis non solùm reliquos vinceret adhuc Tyro, sed edomito corpore, de se ipso potiùs triumpharet. In jejuniorum parcitate præcipuus, in vigiliarum delectatione propensus, in orationis assiduitate laudabilis, in miserationis opere singularis, ut & hostem, qui sibi repugnabat, extingueret, & unde se solus affligeret, cunctis spe maximâ subveniret. Erat enim ad obediendum parvulus, ad vitia calcanda maturus, ita ut in ipso juventutis tyrocinio jam senectutis esset exemplum. Non oculum voluptati, non aurem ludibrio, non animum accomodavit levitati, semper se regens anchorâ gravitatis. Talem se intra Monasterii septa tractavit, ut vel si quando processit in publicum, esset intra carcerem sui cordis semper inclusus: nec aliud extra se respiciendum prætulit, quàm Christum, quem in pectore fidelis portitor bajulavit.* Ob tanta virtutis merita in Præsulem

lem Andegavensem electus, stupendis refulsit prodigiis, dum ægritudines desperatas sanavit; cæcitates ab oculis absterfit; dæmones ab obsessis deturbavit; solóque S. Crucis signo triumphavit. Precibus etiam ferventibus, vitâ jam functos resuscitavit; & carcere detentos, per ingentis Saxi, manu divinâ avulsi à muro, foramen in libertatem asseruit. Tandem viginti annis, & 6, vel 7. mensibus *Pontificalem apicem Ecclesiasticâ regulariter censurâ gubernans, vita autem octogesimo Calendis Martii* post animam cælo transmissam Sanctorum albo inscriptus est Albinus. *Ex Godefrido Henschenio, Nicolao Belfortio Can. Reg. S. Joan. Baptista à Vineis juxta Suessionem, Ghinio, & Offic. Can. Reg.*

B. Fredericus emisso, *deinceps non secundùm proprium arbitrium, sed secundùm regulam B. Augustini vivendi*, voto, mox ut ab Episcopo Trajectensi *Godefrido de Renen*, habitu indutus est Canonico, Sanctioris vitæ exarsit desiderio. Dehinc ad vicinam Trajecto Domum B. V. Ordinis Præmonstratensis cum facultate Episcopi divertens, Sanctos mores, regularésque observantias sitibundo hausit pectore. Jam *tanquam novus Tyro, loricâ fidei indutus, incepit solito acriùs se affligere, ciborum ariditate, vestium asperitate, ac gladio lingua contra vitia mentis, & corporis.* Dein animarum lucro avidissimè inhians, exemplo & consilio juvabat omnes, quorum magnam partem præsertim divitum, & nobilium ad religiosum statum amplectendum adduxit: dicebat enim, *ideo instituta esse claustra, ut in iis includerentur peccatores ad tempus, ne postea à regno Dei excluderentur.* Paulò ante mortem suis piè mœrentibus plenum solatio, sed etiam minis non carens promissum dedit, *se nunquam eos desertum, si Ordinis mandata observarent, nec illis unquam de futura Dei beneficia, si boni æmulatores extiterint paternarum traditionum.* Mirabilis odoris fragrantia Frederici sanctitatem testata est post mortem, quam oppetiit Anno 1175. 3. Martii. Non miror, adeò suaveolentes è corpore B. Viri exhalationes, nàm, quoad vixit, solertissimus cultor in Horto Mariæ cælestis Reginæ (Monasterio hujus nominis à se erecto) eas attraxit, nec post exhalatam animam dimisit. *Ex cit. Henschenio, & aliis ibidem ad diem 3. Martii.*

Quòd ad debellandas inordinatas passiones divina Numinis præsentia, ante mentis oculos continuò præstituta, plurimùm contribuat, uti suprà c. 7. a. 6. patet, docuit etiam S. Patritius *Ecclesia Christi Summum decus, totius Hiberniæ splendidissimum sidus*, & Canonici Ordinis nostri perpetuum ornamentum, quando S. Winwaloëo hæc ipsa dogmata dedit.

Audiens enim hic S. Vir famam de miris prodigiis, rebus gestis, Sanctitate vitæ, disciplinæ obser-

vantia, Clericali institutione, & discipulorum numerositate S. Patritii, tanta ferebatur aviditate Sanctum Apostolum istum aspiciendi, ut terrâ, marique eum adeundi desiderium executioni dandum statuerit, pro acquirenda vivendi regula. At eo hæc cogitante, ecce! adest idem S. Patritius in visione (utpote mortalitatem jam egressus) vultu angelicus; caput aureo diademate coronatus & Winwaloëum compellans ita affatus est: *Ecce ego Patritius, quem adire es cupidus! ne ergo mei gratia tot maria transmeares, tot terrarum spatia casto labore peragrares, misit me communis omnium Deus, ut voti tui compos, & meo satieris aspectu, & perfruaris affatu.* Dein blando eum sermone consolans, & non se, sed Christum suis ubique præsentem, quasi præceptorem vitæ, amplecti persuadens, ipsum militiæ spiritualis ducem futurum prædixit, & ut ad hoc proficeret, salubri instruxit consilio.

Post acceptam sanctissimam institutionem à suo Magistro cum undecim sociis verè imitari cæpit S. Patritium, centies quippe de die, & totidem de nocte genua flectens psalterium decurrebat. Pro laneo, aut lineo indumento caprinis usus est pellibus: pro plumis arboreis incubuit corticibus. Panis hordeaceus æqui ponderis, piscis festivus cibus, frigida solidus potus, vinum verò venenum illi erat. Inter istas tamen corporis austeritates, horrendas inferni tentationes passus est; at sui generosus victor facile orci infestationes devicit. Ante & post mortem stupendis inclarescit prodigiis sæculo quinto & sexto, cujus festum agitur 3. Martii à PP. Benedictinis, qui, *postquam Ludovicus Imperator Anno DCCCXVIII. Monasterium S. Winwaloëi illis dederat, & S. Benedictum Abbatem Aniana, & Juda generali reformatione præposuerat, ut per omnia monasteria Monachorum, & Sanctimonialium his vivendi secundum regulam S. Benedicti incommutabilem morem traderet*, acquisitione veterum Monasteriorum suo Ordini, videntur simul obligationem accepisse venerandi priores Sanctos (licèt sui Ordinis antea non fuerint) qui in illis Monasteriis publicum habeant cultum. Hinc Wion in Martyrologio Monastico ista 3. Martii habet: *Gandavi in Cœnobio Blandiniensi S. Winwaloci Abbatis Britanni admiranda Sanctitatis.* Constantinus Ghinius hæc de eo tradit: *Claruit cum S. Patritio Hiberniæ Apostolo in suo Monasterio Tauraci sepultus S. Winualocus Abbas, inde verò Reliquiæ ejus Gandavum ad S. Petri Monasterium translatæ fuerunt. Ex laudatis actis Bollandi ad diem 3. Martii & variis ibidem auctoribus.*

Passionum suarum dominium etiam obtinuit Reverendissimus Fran-

Franciscus Boluart Gallus Abbas S. Genovefæ Parisiensis, & Congregationis Gallicanæ II. Generalis, vir tranquillitate animi, lenitate morum, vitæque innocentiâ conspicuus, Ecclesiasticæ, ac Regularis disciplinæ defensor acerrimus. Hic, postquam omnia ex ordine in celebri illa Congregatione munera Religionis dignè, & sanctè obierat, in Supremum electus Caput, sagacitatem & dexteritatem in rebus maximis gerendis comprobavit. Enituit ejus constantia, & animi æqualitas in prosperis & adversis, ut Magnatibus æquè, ac suis Canonicis exemplo, & admirationi esset. Cùm præclara adhuc pro Ordinis decore, & restauratione moliretur, improvisâ & assidua febre correptus, intra 5. dies extrema sensit, nullóque mortis metu affectus post suscepta Sacramenta placidissimè expiravit 9. Jan. An. 1667. ætatis 62. Professionis 45. *Ex Lit. Mortualibus. Cujus vita propediem per D. Claudium Molinetum edenda sperabatur jam tunc, at nondum ad nos pervenerat.*

Reverendissimus Udalricus Schirm Vir strenuus, & disciplinæ regularis observator studiosissimus, passionum suarum domitor egregius extitit. Hic Canonicus Ecclesiæ Undensis ob insignem doctrinam, in concionando facundiam, & in Spiritu alios regendi discretionem Canonissis Regularibus Inzkoviani Parthenonis præfectus spiritualis datus novellam hanc plantationem mellifluis exhortationibus pleniùs irrigavit, sanctiones sacras, sive statuta discretissima præscripsit, & asceterii clausuram introduxit. Ad clavum suæ Canoniæ revocatus, plurimum laboravit, ut eam tam in rebus corpori necessariis, quàm animarum profectui inservientibus optimè regeret. Hinc numerum etiam Canonicorum adauxit, ut res divina, quam maximè cordi habebat, majori apparatu ac decentia peragerecur. Suos parænesibus asceticis in vita religiosa solertissimè instruxit, consolidavítque. Ad plura Ordinis Collegia DD. Ordinariorum jussu in Bavaria & Suevia Visitator missus, Canonicam vitam ad regulæ normam instauravit. Tandem 8. regiminis Anno 1479. decessit 12. Martii. *Ex monumentis Undensibus.*

AR-

ARTICULUS III.

De reliquis tribus indiciis spiritualis profectûs in extirpatione pravorum habituum, & implantatione bonorum, atque in perfecto modo operandi sitis.

SUMMARIUM.

227. *Quartum indicium spiritualis profectûs in extirpatione pravorum habituum,*

228. *Quintum in acquisitione bonorum, &*

229. *Sextum in incremento virtutum consistere, ex hucusque traditis probatum, brevibus notis declaratur.*

230. *Afferuntur 7. alia virtutis solida signa.*

231. *Lapis lydius virtutum, & spiritualis profectûs: notanda S. Caroli Borromæi doctrina.*

227 QUartum indicium profectûs spiritualis desumitur ab extirpatione pravorum habituum, ex quibus nobiscum nascuntur quidam, alii ex lapsibus sequuntur ita S. P. N Serm. 45. de temp. docet: *cum aliquibus cupiditatibus nati sumus, alias consuetudine fecimus. Propter illas, cum quibus nati sumus, baptizantur infantes, & absolvuntur à reatu propaginis malæ, quam habuerunt: consuetudini* (veluti malis habitibus & vitiorum radicibus) *semper resistendum est.* Ut autem rectè resistatur malis inclinationibus, & pravis consuetudinibus, maximè opus est contrarios habitus bonos inducere, ut ea ratione contrarii actus desinant, & vitiosi habitus extirpentur, de quo supra

Profectus autem circa malorum habituum dimminutionem dignoscitur ex sequentibus signis.

1. Si modò minorem inclinationem sentiamus ad peccata priùs assueta.

2. Positivam insuper difficultatem ad ea, & affectus inordinatos animadvertendo in se.

3. Si majorem facilitatem habeamus ad resistendum pravis tentationibus negando consensum sine perturbatione, & molestia.

4. Si adsit nausea naturalis actuum

um pravorum & imperfectionum, ad quas per habitum priùs inclinabamur, & è contrario ardens desiderium, & affectus efficaces ad executionem boni statim, ac per simplicem nobis repræsentatur cogitatio boni vel mali.

5. Si sentiamus quandam *moralem quasi impossibilitatem* ad actus pravos, qualis fuit in Josepho à Domina sollicitato, quando *Gen.* 39. dixit: *quomodo possum hoc facere, & peccare in Deum meum.* Ita etiam Apost. *Rom.* 8. peccandi impossibilitatem moralem ostendit, *certus sum*, inquiens, *quia neque mors, neque vita, neque creatura aliqua poterit nos separare à charitate Christi.* Hanc perfectionem docuit S. Ambros. *in Psal.* 118. *Tanta enim est vis consummata emendationis, ut vias erroris ignoret, & crimen, etiamsi velit, non possit admittere.* Impossibilitatem istam, ajunt Theologi esse *consequentem ex antecedente* ad omnem virtutem *dispositione liberi arbitrii.* Ut verò profectus hujus signum in nobis exprimatur, omnes sensus, per quos tentatio, & suggestio diaboli intrare potest præcludendi sunt, & quidem ille magis obstruendus est, qui propter habitus vitiosos, & frequentiores actus videbitur debilior. Quodsi ad breve tempus non sentiantur inordinati alicujus vitii impetus, signum illico non est, iis nos carere, sed quando longo tempore in variis, & difficilibus occasionibus non erumpunt, vel leviter, aut minimè molestant, aut ad contrarium prorsus virtutis actum positivè inclinant, tunc insignis profectûs indicium est.

Quintum indicium, & gradus profectûs spiritualis est, post ablata, & dimminuta peccata acquisitio bonorum, & incrementum virtutum, quod ultima est perfectio. Nunc de acquisitione bonorum hic tractamus. 228

1. Si omnia ob finem supernaturalem ex bona, & perfecta in Deum charitate, non ex consuetudine fiant; Ita Beatissima Virgo *L. 4. revel. c. 74.* audiente S. Birgitta, quemdam docuit: *sicut de arbore multi procedunt palmites, sic de anima spirituali exercitatione, & operatione omnis procedit tua perfectio.*

Conditiones verò boni operis ipsa Bma Virgo posuit: non facere justitiam, seu justitiæ opera propter favorem humanum, seu cupiditate mundi, sed amore solius Dei. In hoc excelluit S. M. Magd. de Paz. ut c. 75. vitæ dicere sit ausa: *si crederem, me uno solo verbo dicto ob alium finem, quàm ob amorem Dei, etiamsi non esset ejus offensa, posse evadere Seraphinum, nunquam illud dicerem.*

2. Si fiant sine admixtione peccati corrumpentis meritum. Docet enim S. Thom. *2. 2. Q. 132. a. 3. ad 1.* quod *opus virtuosum amittat vim merendi vitam æter-*

nam si propter inanem gloriam fiat, etiamsi illa inanis gloria non sit peccatum mortale.

3. Si fiant sine admixtione peccati corrumpentis meritum, sed solùm quasi extrinsecè advenientis, uti voluntaria distractio corrumpit orationem &c. Et, si quis ore gratias ageret Deo pro beneficiis, de quibus tamen gloriaretur superbè &c. Quamvis enim subinde leve peccatum substantiam boni operis, pulchri, & meritorii non lædat, ejus nitorem tamen quodammodo obscurat. Quo sensu S. Bern. dixit *Epist. 149. displicere in pulchro corpore non solùm morbum* (peccatum) *sed etiam nævum*, id est, imperfectionem, bonum opus obscurantem.

4. Si adeò fiat accuratè, & solidè, ac si fieret coram spectante Deo, & Curia cælesti.

5. Si omnia fiant diligentiùs & perfectiùs, quàm antea, uti S. Ambros. docet *l. 1. exa. c. 7. imitatores sui nos esse Deus voluit, ut priùs faciamus aliqua, postea venustemus, & semper venustemus magìs ac magìs quasi de die in diem perfectiùs operantes.*

229 Sextum indicium, & gradus spiritualis profectûs est incrementum virtutum, seu habituum bonorum, in quibus consistit robur ad resistendum contrariis quibusvis inclinationibus, ut constat ex n. 69. Ita monet S. P. N. l. 1. *de nupt. & conjug. c. 75. ut cohibeas inclinationes pravas sive communes, sive proprias, iis te virtutibus exerceas, quæ illis maximè contraria sunt.* Quasi dicat S. Magister: habitus vitiis contrarios in animam introducito, & ita extirpabis inclinationes malas. Crescunt verò ex doctrina omnium Theologorum *habitus* tam *infusi*, quàm *acquisiti* per actus quosvis etiam remissos, si tamen frequentes sunt. Dignoscitur autem incrementum bonorum habituum 1. Si actus eliciti & imperati faciliùs fiant, quàm antea, ita, ut ex supererogatione promptiùs etiam fiant opera tum ordinaria, tum magìs etiam difficilia, & heroica habitibus malis contraria.

2. Si non tantum promptiùs fiant, sed cum minore repugnantia amoris proprii, vel naturæ vitiatæ, vel sine quadam violentia, & naturæ coactione, quam repugnantiam in bono abigit frequentatio bonorum operum, uti Christus Dominus docuit S. Birgittam *l. 1. revel. c. 15.*

3. Si fiant cum quodam gustu, & delectatione spirituali majori, quàm antea: ita profecit S. P. N. l. 9. *cnfess. c. 11.* dicens: *quam suave mihi subitò factum est carere suavitatibus nugarum, & quas admittere metus fuerat, jam dimittere gaudium erat. Eiiciebas enim eas à me tenera & summa suavitas, & intrabas pro eis omni suavitate dulcior.*

4. Si fiant cum majori fervore opera etiam minora, & cum majore intensione actuum, quàm antea.

tea. Hoc fervore spiritus elevatus S. P. N. sanctum amorem zelotypum, & semper ardenitorem suis actibus esse voluit, quando dixit: *Qui non zelat, non amat.*

5. Si non tantùm dictis modis fiant tempore spiritualis visitationis, sed etiam tempore adversitatum, & desolationum quæ ex sua naturâ virtutum gustû à nobis auferunt, & à bono avocant. Et hoc est ingens robur animæ in vita spirituali perfectæ, quod S. P. N. *l. de vera Relig. c.* 16. appellat *quartam ætatem interioris hominis, firmiùs, ordinatiùsque rectè viventem, & peccata vitantem, & emicantem in virum perfectum, atque aptam, & idoneam omnibus etiam persecutionibus, & mundi hujus tempestatibus, ac fluctibus sustinendis, atque frangendis.*

6. Si etiam faciliùs fiant statim, & celerrimè quasi ad primam apprehensionem ex quadam connaturalitate, sive unione ad divina, quæ quidem est per charitatem, ut docet S. Th. 2. 2. *q.* 45. *a.* 2.

7. Si quis sentiat, se vehementer dispositum ad præstanda quæque ex obedientia etiam difficillima, & humiliationem, confusionémque inducentia adeò, ut insuper quandam quasi impossibilitatem moralem in se experiatur ad contraria habitibus virtutum vitia.

8. Si quis in se non tantùm dicto modo profecerit, sed etiam similes suo studio, exemplis, & monitis alios effecerit. Talis enim meretur encomium illud Plinii, quod Trajano Imperatori dedit: *tantò laudabilior es, quod cùm ipse sis optimus, omnes circa te similes tui effecisti.*

9. Certissimum tamen, & maximum omnium signum est incrementi habituum bonorum avulsio affectûs ab omnibus rebus mundanis v. g. voluptatibus, divitiis, honoribus, amore commoditatum corporis, oblectatione sensuum, fuga laborum. &c. Ex qua avulsione nascitur amor & desiderium rerum contrariarum, ut magis appetat carnis macerationem, exactam paupertatem, vilem existimationem sui, famæ, honorum contemptum, fugam otii, & recreationum, assiduitatem laboris, viles occupationes, verbo *Crucem Christi.* Sequitur autem ista avulsio affectûs dominium suarum passionum: hinc victoria sui, & dominium propriarum passionum hunc gradum perfectum, & omnibus numeris absolutum constituunt.

Cæterum puritas cordis, lenitas, patientia & mansuetudo, humilitas in sui annihilatione fundata, linguæ refrænatio, & religiosi silentii studium omnino indicia, & profectûs spiritualis sunt nota argumenta.

Sicut indicavit S. P. N. *l. de spirit. & an. c.* 20. in hæc verba. *Ha-*

bet etiam anima virtutes, quibus proficit, & quibus Deo conjungitur, ut est humilitas, puritas, charitas. Humilitas eam Deo subjicit; puritas jungit; charitas unit.

230 Porro insignis Asceta P. Caspar Druzbicki S. J. septem solidæ virtutis signa consideratione 23. & ultima posuit, quæ hìc insinuare placuit. 1. Est difficultas imperfectè & malè agendi; vicissim verò facilitas quasi connaturalis (longo virtutis exercitio, & quotidiano acquisita usu) sanctè rectè, sublimiter agendi, & patiendi. Hac ratione facilis homo redditur ad obsequendum spiritui, & corpus virtutis instrumentum fit. In hoc verò signo passionum quies & subjectio, propensionum æquilibrium, & sensuum refrænatio continentur, ita ut ad solius rationis imperium, nutúmque citò moveantur, nec ultra sese proripiant, præcipiténtque. De quo supra n. 224. & 227.

2. Signum est puritas cordis à peccatis tam gravibus, quàm venialibus, voluntariis, etiam per negligentiam subrepentibus mundati. Ita ab omni fuligine vitiorum, passionum, concupiscentiæ, & phantasmatum depurata mens veluti sol in rationali cælo resplendet, intentione in Deum elevata, & jugi præsentiæ Divinæ conspectu fruens cogitationibus puris, sanctis, ac sublimibus occupatur. Huic puritati cordis accedit simplicitas tanta mentis, ut omnia intueatur & recipiat, prout sunt in se absque doli suspicione. Isthac simplicitate præditus homo neminem lædit, læsus malum pro malo non reddit; factam sibi injuriam non agnoscit, non elevat vel excusat, sed in hoc vindicat, quòd odium amore compenset, solúmque doleat de peccato adversarii, non adversitate sua.

3. Perpetua pax cordis, & conscientiæ tranquillitas, quæ ex puritate & simplicitate nascitur, & bene stat cum afflictionibus, sive corpus, ut sunt dolores, sive animam, ut sunt tentationes & ariditates, afficiant. Nullis eventibus insperatis turbatur, nullis prosperis extollitur, sed in bonis successibus, laudibus, conceptisque de se opinionibus, sicut adversitatibus immota stat divinæ inhærens voluntati.

4. Libertas amoris erga justitiam veritatem, & rectitudinem, quam ubique liberè sequatur, exerceat, nullíque indigenti deneget, licèt sibi gravia inde obveniant mala. Hæc libertas etiam in minutis observantiis regularibus exhibita, signum est solidæ virtutis: Non idola adorat oculorum humanorum, & sermonum & favorum. Quin mansuetudini conjuncta reprimit etiam procaces audacias, ut in sui conspectu peccare formident vel erubescant. Cum igitur mundanam politiam aversetur,

tur, & rectitudinem mentis præseferat, ad animos hominum flectendos, Deóque lucrandos magnam confert gratiam, ipsique homini adfert securitatem, atque soliditatem.

5. Stabilitas mentis in Deo, sive assidua hominis coram Deo præsentia, qua fit ut in omnibus conformatam cum divina gerat voluntatem: se se verò velut infans in ulnas nutricis penitus comittit, illi omnia relinquit, negotia, finem, circumstantias, media, & modum sine exceptione comendat. De hac divina præsentia p. 1. fol. 418. plura.

6. Fervor quotidie major, & quotidianus ex fervore profectus. Sicut enim vita corporalis continuo motu, cursu ac volatu constat, ita & spiritualis in actione, actu & motu perpetuo consistit. Actio externam executionem, actus internam mentis operationem, motus constantem ad ulteriora tendentiam exprimit. Sicut quies ab omni motu corpori morrem, ita cessatio ab operatione animæ causat spiritualem mortem. Ferveat ergo spiritus quotidie, ut vivacior sit vita animæ.

7. Sanctitas practica, & non merè speculativa solidæ est signum virtutis, quia virtus activa debet esse, & operativa, quia Deus totus actus est, & solùm delectatur actibus, quibus præmia promittit dicens in Apocalypsi S. Joannis c. 14. v. 13. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur &c. opera enim illorum sequuntur illos.* Unde patet, ex operibus beatitudinem, & ad mensuram operum bonorum, sive actionum consequi beatitudinem, nec sufficere speculativam beatitudinem ad perfectam beatitudinem, quæ practica est, & operationes practicas in perfecta regularum observantia præsupponit. *Non enim auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores legis justificabuntur. Rom. 2. v. 13.* Hinc jure merito à præcitato Auctore supra scripta indicia solidæ virtutis appellantur

LYDIUS LAPIS.

231 SCribit *Plinius l.* 33. *c.* 8. quòd *lapis lydius* auri, argentique naturam comitetur (quem *coticulam* appellant) quondam non solitus inveniri, nisi in flumine *Tmolo*, sive *Timolo*, qui *Lydia* montes alluit, aureas trahens arenas. Hoc lapide metallis, præcipuè auro, argentóque explorandis, utili certum experimentum fit, quantum argenti, vel æris contineatur in aliquo ad scrupularem differentiam. Unde profluxit adverbium, si quidquam artis, vel scientiæ, aut

 vir-

virtutis probare in aliquo velimus, ad artis, scientiæ, vel virtutis principia examen instituentes quasi ad *lapidem lydium* experimentum facimus. Quisquis igitur suam virtutem & in spiritu profectum dimetiri cupit, *ad lapidem lydium* revocet, sive ad dicta signa, & indicia præscripta sese reflectat, unde facilè experiri poterit, quantum profecerit, & quantum adhuc desit in quavis virtute. Hinc S. Carolus Borromæus ad probandam & perficiendam virtutem *lapidem lydium* perfectam tendentiam operum nostrorum in Deum esse voluit, nimirum ut omnes actiones & passiones incipiant, dirigantur, & desinant in Deum. *Si vis*, dicebat, *proficere in vita christiana, perfici in doctrina, virtute, & spiritu Christi, hac tria observa.* 1. *Quotidie incipere, & incboare te existima, ut scilicet eo fervore quotidie servias Deo, ac si eo die primùm ei servire inciperes.* 2. *In mente semper habeto Deum, & jugiter cogita te in ejus præsentia versari: spectaculum enim facti sumus mundo & angelis & hominibus.* 3. *Effice, ut omnia tua opera tendat ad Deum.* Ita Auctor vitæ l. 8. c. 18.

Nec credendum, ullum fuisse Sanctũ, vel ad perfectionis culmẽ quemcunque pervenisse, aut perventurum, qui virtutes suas ad *lapidem lydium* hunc non exactè probaverit. S. Prosper Episcopus Regiensis Lemovicis in Aquitania nobili familia natus ab adolescentia actiones suas in Deum direxit, ac virtutes imbibitas ad sublimiorem provexit finem, solidavítque. B. Augustini Hipponensis Episcopi doctrinæ acerrimus fuit defensor, cujus causâ multa contra illius impugnatores scripsit opuscula, & peregrinationem Romam ad Cælestinum I. Pontificem suscepit: ad hæc communis vitæ Clericorum cum ipso Augustino regulariter viventium studiosissimus æmulator fuit. Hic venditis, quas amplas habebat, facultatibus, & secundùm Evangelii consilium pauperibus erogatis secundò Romam profectus sub Leone I. inter Canonicos Lateranenses ascitus, mox ob summam prudentiam ab eodem Pontifice in Consiliarium suum assumptus, illum in conscribendis Epistolis, & evertendis erroribus Nestorii, Eutychetis, Dioscori, & aliorum hæreticorum tunc Ecclesiam infestantium sedulò adjuvit. Cùm verò in patriam redire animo volveret, ut remotus à negotiis, quod reliquum esset ætatis, in contemplatione rerum divinarum impenderet, Leo Pontifex divinitùs admonitus Prosperum Regiensi Ecclesiæ in Æmilia Elpidio Episcopo intra paucos dies ex hac vita migraturo substituit, & consecratum ad Regiensem Ecclesiam destinavit. Qui cùm civitati immineret, Elpidius ex hac vita migravit. Angebantur tunc cives, multúmque sollici-

ti

ti fuêre de alio Succeſſore eligendo. Verùm à pio quopiam Sacerdote edocti, quid Romæ à Summo Pontifice circa ſuum futurum Epiſcopum geſtum, quíque jamjam in via versùs ſuam civitatem conſtitutus eſſet, mirè ob hoc recreati obviàm ei ivêre, ac tanquam à Deo miſſum ſummo honore ſuſcepêre. Proſpero in ſede Epiſcopali conſtituto nihil magis curæ fuit, quàm commiſſum ſibi gregem cælesti doctrina paſcere, & ad ſanctè, piéque vivendum ſuo exemplo provocare. Studebat ipſe interim jugi orationi, labori parcebat nulli, ut cunctos Chriſto lucrifaceret, pauperes juvabat largis eleemoſinis, ſeipſum verò jejuniis ac vigiliis macerabat adeo, ut his pænè confectus animam exhalarit die 25. Junii Anno 466. Epiſcopatûs 22. miraculis clarus. *Ex officiis propriis Canon Reg. Conſtant. Ghinio in Natal SS. hoc die.*

Hercules Monaldinus 15. ætatis annum vix egreſſus die 23. Aug. labente Sæculo XV. Anno 56. Canonicum Ordinem in Congregatione Lateranenſi amplexus, tyro virtutibus adeo impendit operam, ut profeſſis perfectionis exemplar, & ſociis calcar videretur. Excellenti & liberali ingenii dono à natura inſtructus, & in Academia Patavienſi altioribus literis excultus, mox orator præſtantiſſimus celebrabatur. Ex tempore enim de qualibet re perorare locupletiſſime è ſuggeſtu noverat, nulli omnium ſecundus. Quod munus 40. annos per varia Italiæ, Siciliæ, Dalmatiæ præclariora templa ſive intra ſive extra S. Verni jejunii tempus exercuit incredibili animarum lucro, nec minori declamantis fructu. Romæ quippe integras hebræorum familias Chriſti ſtipendiis aſſociavit. Ex Republica Raguſina innumeros, ut ad ſacra urbis loca peregrinarentur, tranſmiſit magni jubilæi Anno 1575. concionator. Conventum Melitenſem Apoſtolica auctoritate viſitavit injungente id ei Clemente Pontifice, literáſque proprio motu expediente, dum ipſe ad pedum ejus oſcula provolutus benedictionem Apoſtolicam peteret, jam ad navigandum accinctus. Poſt plures præfecturas Abbas Portuenſis Ravennæ concionum quadrageſimalium tempore (ùt ſemper in votis habebat) piiſſimè deceſſit A. 1608. ætatis 67. Religionis 52. Verus, non fictus antiquorum Hercules, de quo illud Illuſtriſſimi Gabrielis Flammæ in ſuis Theorematibus diſtichon adducit vitæ Auctor in Lyceo Lateranenſi Celſus Roſinus.

Nam mores domuiſſe malos, firmaſſe beatos.
Plus eſt, quàm cunctas perdomuiſſe feras.

Exſtant ſcripta ingenii tanti monumenta *Lectiones centum in l. Job. l. 1. expoſitio in canticum Zachariæ l. 1.*

Quad-

Quadragesimale, Adventuale, Annuale, & alia *ex cit. auct.*

Eleutherius Leonicensis Vicentinus conspicuus pietate, ac eloquentiâ, virtutis solidæ signa quotidie in se notavit, ipsásque virtutes hoc *lapide lydio* probavit. Plures annos concionibus ad populum in diversis Italiæ civitatibus maxima cum laude, præconio auditorum, & proprio spirituali profectu exegit. Canonias, quas moderabatur, exemplo magis rexit, quàm imperio, virtutum splendore præfulgens. Theologiæ scholasticæ professuram sibi imponi jucundissimè sensit, ac postea plurium insignium opusculorum auctor fuit, insignis planè orator ac Poëta. Inter diros corporis cruciatus, sed chara spiritûs gaudia decessit Veronæ ad S. Leonardum Abbas Anno 1493. *Ex Lycæo Lateran. Abbatis Rosini.*

Joannes de Novenburgo Anglus juxta sylvam *Cueullinam* Canoniæ Novenburgensis Præpositus vir maximæ pietatis, prudentiæ ac eruditionis Henrico III. Angliæ Regi ea propter apprimè charus & ab intimis consiliis virtutem suam ad culmen sanctitatis evexit. Ob morum elegantiam, & in expediendis gravioribus negotiis dexteritatem ad Principes exteros non nunquam legatione functus est. Eum Canonicis *Carlelonensibus*, ut in suum Episcopum eligerent, Rex ipse plurimùm commendavit, sed morte repentina é vivis ereptum acerbè doluit, Magnum Virum se amisisse conquestus. Anno 1257. *Ex Mathæo Parisiensi ad annum* 1244.

Leonardus Huetter Canoniæ Subensis in Bavaria Præsul vigilantissimus pro immunitate suæ Ecclesiæ ingentes sustinuit labores, atque, ut à rapacibus vindicaret bona amissa, & Ecclesiastica jura, maximè insudavit. Cùm 19. annos in regimine exegisset, doctrina, religione & devotione ab omnibus laudatissimus Præsul inter lachrymas suorum Canonicorum supremum clausit diem 26. Junii Anno 1493. *Ex Metropoli Salisburgensi.*

Wolfardus Mathiæ Medenblicensis Hollandus virtutem suam abjectissimis officiis culinæ exercendis solidavit. Chorum statis horis frequentans, adeò corpus suum jejuniis, vigiliisque extenuare solitus est, ut etiam quadragesimali tempore nec pisces nec ova admiserit. A sua Congregatione ob insignes virtutes humilis, devotus, ac charitate ferventissimus Sacerdos audire, & in Chronica singulariter notari meruit post obitum die 16. Junii An 1401. *Ex Chronica Windesemensi Monast. B. V. in Nemore.*

AR-

ARTICULUS. IV.

De quibusdam indiciis defectûs in spiritualibus. &c.

SUMMARIUM.

232. Numerantur indicia defectûs spiritualis.

233. Religio depopulata ex defectibus præscriptis Religiosorum considerationi proponitur.

234. Religionis sanctæ descriptio, & notanda S. P. N. doctrina.

232. Sicut hucusque tyronibus tradita sunt documenta, atque certa indicia dignoscendi suum in spiritualibus profectum, ita æquè visum est hoc locô annotare quædam, ex quibus à contrario percipi potest defectus tam ipsius religiosi novitii, quàm etiam cujusvis veterani. Verum quidem est *affirmationem unius esse negationem alterius*, ut adeò ex assignatis de profectu spirituali indiciis contraria principia quivis facilè dimmetiri possit: specialia tamen ex ascetica doctrinâ hausta principia præscribenda veniunt, Novitiis præsertim altè imprimenda.

Signum igitur, an Religiosus in spiritu defervescat, vel jam penitus deficiendo spiritum amiserit, est

1. Quando sit tepidus in oratione, eámque sine devotione & præcedente intentione, & attentione, atque adeò sine gustu, & solùm ex consuetudine tepida peragit. Nam sine oratione ad Deum non potest esse verus spiritus, & gratiæ sine illa non influunt in animam, quam purgant, & disponunt ad cælestia dona, sine quibus nullus est profectus. Ita S. P. N. *l. 2. de serm. Dom. in mon. c. 3. ipsa orationis intentio cor nostrum serenat, & purgat, capaciúsque efficit ad excipienda divina munera, quæ spiritualiter nobis infunduntur.*

2. Si nimius adhuc in mente regnet affectus erga parentes, & amicos. Divinus enim amor non stat cum humano, cùm Deus Zelotypus sit, nec alium secum patiatur amatorem. Hinc à S. P. N. pronuntiatur *l. 4. confess. c. 9. beatus, qui amat Deum, & amicum in Deo, & inimicum propter Deum.*

3. Quando ad cibos benè præparatos æstuans habet desiderium. Quia, qui à Dæmone per gulam, is non trahitur per spiritum à Deo. Nam *exigit à nobis Deus jejunium, ut gula laqueus, quo Adam strangulatus fuerat dissolvatur.* Uuti docet S. P. N. *serm. 14. ex inedit.*

4. Si in aliquo evanescat amor pœnitentiæ, atque doloris de peccatis præteritis. Nam *quisquis pœnitentia recusat humilitatem, Deo propinquare non cogitat.* Ita S. P. N. *l. 50. hom. c. 1.*

5. Si quis nimis delicatè tractet suum corpus, dum levem infirmitatem sentit. Quia non potest esse grandis spiritus, ubi nimius est timor perdendi corpus. Qui verò amat Deum, morbum reputat pro favore, mortem pro gratia, ut eo citiùs perveniat ad summum bonum amatum. *Felix anima*, ait S. Pater Noster *lib. medit. c. 23. quæ terreno resoluta corpore, libera cælum petit, secura & tranquilla non timet, neque hostem, neque mortem.*

6. Si quis non amet silentium, & ad externa facilè effundatur: *silentio enim, & quiete*, ut ait Kempensis Noster, *proficit anima*, & qui non potest tacere, signum est, non habere spiritum, *quia, qui frequenter cum Deo, Angelis, Sanctis, & propriâ conscientiâ loquitur, parùm habebit temporis conversandi cum creaturis.*

7. Qui ambit speciosa in Religione officia. Nam ubi regnat superbia, non reperitur Christus humilitatis Magister. *Superbia non permittit hominem perfici, quia nihil sic impedit perfectionem, quàm superbia, quod est peccatum diaboli,* ut docet S. P. N. *in Ps. 58.*

8. Quando negligitur obedientia in rebus parvis. Nam diabolus non incipit à parvis, ut in parvis stet, sed ut à parvis ad magna perveniat. Qui externè non statim obedit, internè jam contradixit voluntate, & rebellavit. Deinde major obedientia non desumit rationem meriti à magnitudine operis, sed à promptitudine voluntatis: *nihil enim tam expedit animæ, quàm obedire.* Dicit S. Pater Noster *in Ps. 70. conc. 2.*

9. Quando quis amat otium, & tantùm laborat, ut externè videatur aliquid agere. Qui enim nihil agit, jam cogitat grande malum; quia, ubi otium est, ibi nullum perdit tempus diabolus ad perdendum: *otium* enim *ipsius est pulvinar.*

10. Quando partiales foventur amicitiæ, è quibus communiter detrimentum profectûs spiritualis, & præjudicium Religiosæ Communitatis sequi solent. *Sit nobis cor unum, & anima una in Deo*, ut jubet S. P. N. in Reg. Omnes spirituali affectu amplectendi sunt, ut nullus excludatur ab officiosa charitate, & obsequiis. Cæterùm cogitandum, quod monet S. Aug. *in Ps. 131. quid tibi prodest hominis amicitia, securus opta amicitiam Christi.*

11. Quando sine spiritu oratio, humilitas, patientia, mortificatio, & obedientia peraguntur, sine quibus Religiosi vita languida, aut penitus mortua est.

12. Quando quis laudari cupit à suis litteris, ingenio, prudentia, & nobilitate, nam virtus non est in pretio, si magis appretietur vanitas.

13. Qui contra religiosam paupertatem vestium ornatum quærit, nam pretioso ornatu denudata est anima, quando nitor vestium quæritur. Quilibet enim ex eo cogitare debet, & probare se, *quantum sibi desit in illo interiore sancto habitu cordis, si pro habitu corporis litiget*, & inutiles insumat curas exemplo S. Patris Nostri potiùs, discat communibus esse contentus, utpote qui suis Concanonicis frequenter ajebat: *de pretiosa veste erubesco.* Hinc ubi non est amor paupertatis non est sequela Christi.

14. Siquis facilè murmuret contra Superiores, evidens signum est spiritualis defectûs, sicut enim quod tinnit, inane est, ita spiritu vacua est anima murmurationi obnoxia. *Noli servire cum murmure, non enim id agunt murmura tua, ut non servias, sed ut malus servus servias. in Ps. 99.*

15. Quando Superiorum correctiones cum risu & impatientia excipit; hic enim quomodo poterit portare crucem Christi innocentis, si nolit ferre crucem latronis meriti. Certè phrenetici est signum in faciem spuere medici, & malè sani, sanitatis respuere media. *Non corrigit æger medicamenta sua, novit ea medicus modificare, ei crede, qui te curat*, ut docet hac similitudine S. P. N. *in Ps. 146.* dein si *magis innocentes non sunt qui fratres suos, quos indicando corrigere possunt, tacendo perire permittunt*, quomodo innocens eris, qui justam correctionem à Superioribus factam animo impatienti, & perturbato suscipis, aut vilipendendo negligis, contemnis, irrides?

16. Qui sine debita præparatione sua exercitia spiritualia obit, & sine sancta intentione peragit. Sicut enim, qui tantùm ex consuetudine comedit, citò satiatur, vel cibum nauseat, ita qui ex consuetudine opera religiosa perficit, citò satiatur, & ob nauseam relinquit.

17. Qui nimium inclinat ad risum, & dictiones facetas; nugæ enim non possunt stare cum spiritu devotionis, & pœnitentiæ.

18. Qui nutrit odium & aversionem erga confratrem, profectum spiritualem nunquam capiet. Si pacifici sunt filii Dei, cujus erunt filii, qui sunt inimici pacis? Nonne ex regula sancta præscribit S. Legislator? *qui odit fratrem suum, homicida est*; homicidæ autem à perfectione deficiunt.

19. Quando Novitii se tantùm mortificant ad speciem, ut ad professionem admittantur, non verò spi-

ſpiritu perfectionis ejuſmodi opera peragunt. Similiter ſi profeſſi exerceant virtutes externas, ut in officiales eligantur, evidens ſignum eſt in utroque ſpiritualis defectûs, iíque hypocritæ, & martyres diaboli meritò ſunt appellandi.

20. Quando leguntur libri ſpirituales pro acquirenda doctrina, non diſcenda & exercenda virtute. Item qui in capitulo ex conſuetudine & ceremonia culpam dicit ſine emendationis propoſito, nam infirmitas cenſetur mortalis, ſi medicinæ non proſunt infirmo: quid ſunt autem exercitia ſpiritualia niſi animæ medicinæ?

21. Quando plus de recreatione, quàm de virtute, & ſpirituali profectu cogitatur, talis enim non odit corpus, non amat Deum, nec animam ſuam, quia non poteſt eſſe amicus crucifixi, qui eſt inimicus crucis.

22. Univerſale ſignum ſpiritualis defectûs eſt, quando Religioſus in omnibus magis attendit ad externa, quàm ad interna, & in uſu SS. Sacramentorum tepores admittit, atque laxitatem magis optat, & quærit, quàm ſtrictiorem religioſæ diſciplinæ obſervantiam. Atque hæc ſunt indicia, quibus dignoſcuntur Religioſi, an à profectu ſpirituali jam defecerint, aut defecturi ſint: proin, ut in hoc capite tanquam in ſpeculo poſſint inſpicere profectum, vel defectum ſuum frequenter data documenta perlegant.

RELIGIO DEPOPULATA

233 QUanta damna Sacræ Religioni inferant Religioſi, qui iſta defectûs ſpiritualis indicia in ſe deprehendunt, nocivas inclinationes nutriunt, & inordinatas paſſiones fovent, nec tamen manum applicant evellendis vitiis, quis linguâ exprimere, calamo deſcribere ſatis poterit? Non eſt in talibus eſuries & ſitis juſtitiæ tantopere à Divino Magiſtro recommendatæ, id eſt, altioris ſanctitatis indipiſcendæ, ac Religioſæ perfectionis ſtudium. Non eſt concordia animorum, & ſincera dilectio confratrum, quæ tamen verorum ac genuinorum Chriſti diſcipulorum teſſera eſt. Nam tepidos in oratione, gulæ ſervientes, immortificatos, ſeipſos amantes, loquaces, ambitioſos, inobedientes, otioſos, partiales amicos, vanæ gloriæ cupidos, proprietarios, contra Superiores murmurantes, ſoliſque ſuis commoditatibus ſtudentes, quis crediderit, concordes eſſe cum ferventibus, abſtemiis, mortificatis, taciturnis humilibus, obedientibus, laborioſis, communitatem ſectantibus, pau-

per;

pertatis religiosæ studiosis, & per omnia opera bonum Religionis promoventibus? Quæ societas luci ad tenebras? quæ concordia vitii cum virtute, teporis cum fervore, loquacitatis cum silentio, laxitatis cum observantia? Ipsimet defectuum patroni invicem sibi intestina movent bella; surgit in malo amicus contra amicum, loquaces linguis suis dilaniant loquentes, ipsiúsque gulæ affectata, & concordi studio quæsita materia ipsos Bacchi sodales reddit discordes, & amicorum animos turpiter dirimit. Qui in omnibus commoditatem suam quærit, contrarium habet illum, qui est mortificationis propriæ impatiens. Qui speciosum ambit officium, habet suum rivalem, æquè aut plùs Superiorum patrocinia solicitè quærentem, ac prensantem. verbo: vitium militat adversùs vitium. Concordiâ dissipatâ, & fraterna dilectione expulsâ, non jam religiosa & sancta, sed ficta, externa, & politica domi, forísque instituitur agendi ratio, cui insignis adjungitur hypocrisis ad serviendum, placendúmque hominum oculis. Non est zelus juvandi proximos aliósve in Spiritu instruendi; qui enim zelum non habet erga se ipsum, quomodo sanctè zelabit alios?

Non est veneratio aut honoris præventio juxta monitum Apostoli erga suos sodales æquales, nisi fortè sint particularis amicitiæ, & singularis affectûs participes. Non est filialis, sinceráque confidentia in Superiores, non respectus admonentis, non propositum executionis (si non adsit timor pœnæ) non æstimatio imperii, quod cum risu, & contemptu excipitur. Sic religiosa desipit vita; Religio displicet; Dei causa relinquitur; voti Sacramentum violatur, & peccans malum efficitur. Miseria hæc supra modú augetur, dum Superior paternam charitatem subtrahit discolis subditis, & acrem, ac amarum ostendit erga eos animum, in suppeditandis rebus necessariis solicitudinem debitam omittit, atque in distribuendis officiis particularem, privatúmque exhibet affectum, & in correctione excedit modum. In isto rerum articulo S. Ordo miserè vapulat, & evadit *Religio depopulata*, ut jure conqueri possit: *Filii matris meæ pugnaverunt contra me. Cant. 1.* Ecclesia est universalis Mater, Religio sive Ordo religiosus Ecclesiæ filia, quæ innumeros peperit, paritque filios & filias. Hi contra Ordinis regulam laxè vivendo, vota religiosa violando, ad perfectionem nullo modo tendendo Matrem oppugnant, quæ Regulam approbavit, votorum solemnem obligationem introduxit, & Ordinem religiosum ad statum perfectionis elevavit. Audi breviter perorantem, justásque suas querelas pro

ponentem Matrem: Sic tepidi, immortificati, gulosi, ambitiosi, & rebelles *filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Ornamentum pretiosum regularis observantiæ abstulerunt mihi; aurea monilia charitatis detraxerunt; gemmea dextrocheria spiritualis fervoris, & mortificationis suffurati sunt. *Spoliaverunt me gloria mea, Job. 19. Posuerunt me desolatam, tota die mœrore confectam. Thren. 1. 13.* Facta sum *Religio depopulata*, quia filii Matris meæ pugnaverunt contra me. *Subversum est cor meum in memetipsa*, dolore nimio perturbatum, obrutum luctu, atque quasi exanimatum, *quoniam amaritudine plena sum* propter filiorum peccata, quibus ad iram provocatur divina justitia, ut gratiam auferat, varia mala inducat, & severiorem olim requirat vindictam. Ecce pœna modò in terris horrenda! *foris interficit gladius* inordinatarum passionum, quibus enecatur omnis religiosa vita, *& domi mors similis est Thren. 20.* Horror conscientiæ.

Foris enim gladius interficit, ait M. Gregorius *5. Moral. 24. Cùm nos exteriùs feriens vindicta* (uti sunt egestas morbi, bella, grandines, temperalia damna) *configit: sed domi mors similis est, quia & flagella quidem sustinet, & tamen intus conscientia à tentationis sordibus munda non est.*

Sic nempe Religiosi, qui pugnaverunt contra me, nec etiamnum, arreptâ virtutis viâ ad perfectionem contendere laborant, *foris* flagellis divinis cæduntur, *intus* pavore damnationis concutiuntur, magísque concutientur in morte ituri ad judicium, ubi reddituri sint rationem, quòd eorum malè actis fuerim *Religio depopulata.* Si hæc te, Religiose, non movent, moveant te ea, quæ consideranda tibi proponit Mellifluus Orator in *L. de interiori domo* c. 38. Sive quisquis illius fuerit auctor. In tremendo mortis articulo, & divini judicii aditu *undique erunt tibi angustiæ. Hinc erunt accusantia peccata; inde terrens justitia: subtus patens horridum chaos inferni; desuper iratus judex. Intus urens conscientia, foris ardens mundus, si justus vix salvabitur, peccator sic deprehensus in quam partem se premet? latere erit impossibile, apparere intolerabile.*

Nolim porro ex Religiosorum laxâ vitâ ad sæculares derivata scandala, pejora exempla juniorum, qui persecutionis metu, ni aliorum ductum sequantur, eandem cum malè sanis amplectuntur vivendi formam, pessimam denique famam apud domesticos, vicinos, exterósque propagatam pluribus hìc enumerare, vel declarare. Notiora hæc sunt mala, quàm ut ad particularia se demittat calamus.

Sancta è contra Religio ô quantis abundat bonis! dotes ejus à 234

Nu-

Numine sunt perpetua pax animorum, mira concordia, & dilectio fraterna, serenitas mentis, tranquillitas conscientiæ, sincera cum omnibus agendi ratio, ardens zelus juvandi proximos, communis, non particularis amor, honoris invicem præventio, continuum perfectionis studium, fuga otii, laboris communicatio, in spiritualibus exercitiis sancta alacritas, in divinis fervor, humilis obedientia, inferiorum consensio cum Superioribus, istorum paterna charitas erga subditos, suavis & non fucatus agendi modus nulla acrimonia, aut amaritudine infectus, materna providentia, & solicitudo in procurandis necessariis ad victum, & vestitum pertinentibus, antevertendo etiam inferiorum desideria, universalis conservandæ disciplinæ industria.

Sanctas Sanctæ Religionis dotes expressit Magnus veterum Religiosorum in utraque vita apprimè instructorum Magister S. Basilius *in Constit. Monast. c.* 19. Ubi religiosam vitam beatam, & velut *castrorum aciem* infernalibus principibus formidandam, cœlitibus verò delectabilem, ipsisque Religionem profitentibus planè exoptabilem esse argumentis consectaneæ felicitatis præclarè deducit, ac subsequentibus demonstrat verbis: *Siquidem perfectissimam ego illam vitæ communionem appello, à qua omnis propria, & privata rei cujuslibet possessio exclusa est, & à qua omnis abest dissensio: omnis perturbatio, & rixa: contra verò ubi omnia communia, animi, mentes, corpora, eáque, quibus necessariò ad cultum, & victum utimur. Communis Deus, communis pietatis mercatura, communis salus, communia certamina, communes labores, communia præmia, & certaminum corona, ubi multi unus, & unus non solus, sed in pluribus. Huic vitæ Instituto quid est tandem, quod jure æquiparari possit? quid beatius dici, quid hac conjunctione, unitate, & necessitudine aptius excogitari, quid elegantius fingi mutuâ inter se morum, animorúmque contemperatione? Homines ex diversis nationibus, ac regionibus profectos per exactam morum, ac disciplinæ similitudinem adeò velut in unum coaluisse, ut in pluribus corporibus unus tantùm animus inesse videatur, vicissímque plura corpora unius mentis instrumenta cernantur. In his, qui infirma corporis valetudine est, is complurium animos infirmitatis suæ participes habet: qui verò animo æger est, ei complures præstò sunt à quibus curetur, & à quibus assiduè erigatur.* Utrumque Religionis statum pulchrè expressit Cherubicus Doctor noster in enarratione super Psalmum 132. *Ecce quàm bonum, & quàm jucundum habitare fratres in unum.* Ubi S. Pater ad omnes quidem Christianos hunc versum pertinere, specialiter verò ad Religiosos ita deducit. *Consideremus, utrum de omnibus Christianis dictum sit, an aliqui sint certi, atque perfecti, qui habitant in unum, nec ad omnes pertineat*

neat ista benedictio, sed ad quosdam, à quibus tamen descendat ad cæteros. Ista enim verba Psalterii, iste dulcis sonus. ista suavis melodia tam in cantico, quàm in intellectu etiam Monasteria peperit. Ad hunc sonum excitati sunt fratres, qui habitare in unum concupierunt: iste versus fuit tuba ipsorum. Deinde infrà medium ostendit, quòd in talem Congregationem, ubi regnat charitas, & animorum concordia viget, divina gratia descendat sicut *unguentum in capite*, quod Christus est perfectionis religiosæ auctor, & pacis amator, *in barbam Aaron*, id est, Superiores Ordinis, & *in oram vestimenti ejus, sicut ros Hermon, qui descendit in montem Sion.* Descendit etiam eadem divina gratia in inferiores quasi in oram vestimenti, ubi perfectioni charitatis studetur à Religiosis. Tandem circa finem ita enarrationem concludit. *Quid est Sion? Ecclesia. Et qui ibi sunt montes? magni. Quos significant montes, hos significat barba, hos significat ora vestimenti. Barba non intelligitur nisi in perfectis. Non ergo habitant in unum, nisi in quibus perfecta fuerit Charitas Christi. Nam in quibus non est perfecta charitas Christi, & cùm in uno sint, odiosi sunt, molesti sunt, turbulenti sunt, anxietate sua turbant cæteros, & quærunt, quid de illis dicant. Quomodo in junctura inquietum jumentum non solum non trahit, sed & frangit calcibus, quod junctum est. Si autem habet* rorem Hermon, qui descendit super montem Sion, *quietus est, placatus, humilis, tolerans, pro murmure precem fundens. Nam murmuratores omnes magnificè descripti sunt quodam loco scripturarum.* Ecclef. 33. Præcordia fatui sicut rota carri. *Quid est præcordia fatui sicut rota carri? fœnum portat, & murmurat: non enim potest rota carri quiescere à murmure. Sic sunt multi fratres, non habitant in unum nisi corpore. Sed qui sunt, qui habitant in unum? Illi de quibus dictum est Act. 4.* Et erat illis anima una, & cor unum in Deo & nemo dicebat aliquid suum esse, sed erant illis omnia communia. *Designati sunt, descripti sunt, qui pertineant ad barbam qui pertineant ad oram vestimenti, qui numerentur inter montes Sion. Et si sunt ibi alii murmuratores, meminerint dicti Domini apud Matth. 23. Unus assumetur, & unus relinquetur &c.* Notent ergo bene hanc sibi doctrinam, laxitatis amantes, timeant, quod monuit S. P. ne justo Dei judicio ipsi relinquantur, & æternùm reprobentur, alii verò eorum loco assumantur.

Quàm plurima afferri possent exempla Sanctorum tum nostri, tum aliorum SS. Ordinum comprobata S. Pontificum constitutionibus & aliorũ ingentis auctoritatis Virorum testimoniis. Ne concludam hoc de indiciis perfectionis, & defectûs spiritualis tractans caput sine spectabili virtutis exemplari, unicum affero ex Gallia communi

municatum, quod multiplici virtutum genere olim orbi exhibuit Joannes Fronto Universitatis Parisiensis Cancellarius. Natus est is Andegaui, Anno post Christum natum 1614. Patrem habuit Jacobum Frontonem, virum cùm honesta inter suos stirpe, tum eximia quadam morum prudentia, & pietate spectabilem. Hic, uti virtutem cunctis rebus potiorem ducebat, in id potissimùm intendit, ut quos genuerat filios, eos bonos viros & Christianos faceret, quod cùm nulla re certiùs, quàm litterarum cultu obtineri posse intelligeret, eò curas omnes impendit, ut iidem omnibus liberali homine dignis doctrinis imbuerentur. Cùm verò præ cæteris in Joanne deprehenderet miram ingenii docilitatem, vímque memoriæ, magnam præterea ad litterarum studium propensionem, nulla in re filii voluntati ac ingenio deesse voluit optimus Parens. Puerum verbis, exemplis, adhibitis etiam suo tempore Magistrorum è schola disciplinis, ad virtutem effingere exorsus, nec antè vel suo, vel Joannis studio satisfactum censuit, quàm illum & bonarum artium institutis perpolitum, ac summis ingenii laudibus efflorentem animadverteret. Ut primùm igitur ætatem ille attigit, quæ præceptoribus matura censetur, Sacerdoti probo, ac erudito comendatus est, cujus in contubernio prima litterarum rudimenta hausit; indè publicis Andegaui, móxque Flexiæ scholis adhibitus impensiorem operam humanioribus litteris dedit, eásque ità avidè addidicit, ut jam tum egregiam de se spem concitaret apud omnes.

In his Philippus Galetius cænobio nostro Andegauensi *ad omnes Sanctos* Præfectus, idémque acerrimus ingeniorum inspector, crescentem ejus indolem, & profectum adeò probavit, ut Anno 1630. in sacram Canonicorum suorum familiam adoptandum, votísque solemnibus adstringendum judicaverit dignum. Sentiebat enim vir ille, quanto is alumnus Ordini nostro, atque Ecclesiæ ornamento futurus esset, cui cùm nihil eorum negâsset natura, quæ ad summam eruditionem consequendam necessaria essent, tum ea diligentia, ea in studiis patientia inerat, quæ vel infelicissimam naturam vincere posset.

Edidit sub finem Anni 1636. Flexiæ, ingenii sui publico certamine præclarum specimen, dum theses ex Theologia desumptas magnis omnium plausibus defendit, quas Viro Religiosissimo Carolo Fabro S. Genovefæ Abbati, & Ordinis nostri in Gallia Præposito Generali inscripsit; à quô postmodum, ut theatrum dignum suis rebus haberet, Parisios evocatus est, ibíque regalibus S. Genovefæ tectis exceptus, atque in id Collegium incredi-

credibili omnium gaudio translatus insumpsit tum primùm aliquod tempus studiis litterarum, quas Flexiæ jam didicerat, dirigendis, ac recoquendis, usus ad eam rem operâ Doctoris Sorbonici, qui juniorum docendorum curam susceperat.

Cùm verò singularis in omnibus Frontonis facultas videretur, judicium acre ad omnia vel minutissima quæque scientiarum momenta consequenda, memoria pœnè divina, incredibile studium, eáque esset vis animi ac mentis præsentia, ut omnium ludorum paratissimus pugil, nec ullam rem in publicis disputationibus defenderet, quam non egregiè probaret, nec ullam oppugnaret, quam non evertere videretur, celeriter id assecutus est, ut Magistrorum æqualis, & æqualium Magister evaderet.

Omnium itaque suffragiis Philosophiæ docendæ provincia ei demandata est, Anno 1637, quam ità gessit, ut ad summam eruditionem, aptissimam rebus tractandis methodum adjungeret, fidémque, & diligentiam in omnibus egregiâ adhiberet. Sic autem Aristotelis mentem perspexerat, doctrinámque omnem comprehenderat, ut quemadmodum hic genius Naturæ, sic Fronto genius Aristotelis vocari posset. Singulos ferè illius interpretes, & explanatores evolvebat; præ cæteris verò S. Thomam præcipuè amplectebatur, ejúsque maximè oppinionibus delectabatur. Utque divinus ille Christianæ doctrinæ Præceptor enucleandis veterum Patrum sententiis, atque in certum ordinem, ac methodum dirigendis omnium admirationem sibi comparavit; sic Fronto ob eandem operam ipsi Thomæ præstitam, cujus quippè Philosophiam in clariorem, facilorémque formam distinxit, gloriam immortalem consecutus est.

Quantum autem in ejus scriptis versatus, atque exercitatus fuerit, quámve ejus doctrinæ, verbísque addictus, vel hinc maximè perspici potest. Jam pridem in Galliis desiderabatur Doctoris Angelici Philosophia ex libris ejus deprompta, atque in ordinem, formámque Philosophici cursûs digesta. Opus tentaverat in Italia *Cosmus Alamennius* insignis è Societate JEsu Philosophus, sed quod nescio quo pacto, incognitum, ac pœnè sepultum lateret. Igitur Joannes noster, quem ipse ultrò summo Doctori laborem præstiturus erat, hunc ab alio occupatum perire haud passus, tam clari argumenti filium sequi instituit, ipsúmque incudi reddere, atque retractare præsertim eam illius partem, quæ de moribus disputat, ipsam quoque magna ex parte metaphysicam haud exiguis supplementis adauxit, quod opus ità perfectum ele-

eleganti Epistola ad P. *Carolum Fabrum* nostrum præfixa in lucem edidit.

Licèt autem tot artibus, tot scientiis, tam multifaria eruditione etiam in ipso adolescentiæ flore instructissimus esset, nunquam tamen iis ornamentis ad fastum abusus est. Imò quò se doctiorem sentiebat, eò magis ad omnem moderationem animum componebat, non modò inter æquales, sed etiam inter discipulos suos, cum quibus ità versabatur, ut discenti similior, quàm docenti videretur, non minori admiratione dignus, cùm ex discipulis vel mediocria, tam attentè, tam patienter audiret, quàm cùm ipse altissima quæque naturæ arcana coram illis explicaret.

Solent fermè id vitii scientiæ hominibus afferre, ut, qui illis excellunt, ament dominari, nec facilè aliorum imperio, atque auctoritati se subiiciant, id vitium Joannes vel melioris naturæ beneficio, vel sanctioris disciplinæ subsidio, è suis prorsùs moribus, atque omni vivendi ratione ità exterminavit, ut nullus Superiorum dictis lubentiùs obtemperaret, nullus religiosi instituti officio satisfaceret diligentiùs atque ità, ut doctrinæ, sic virtutis, atque obedientiæ exemplum proponeretur.

Tanta etiam ei inerat morum formandorum cura, cùm altiores scientias profiteretur, ut, quos verbis instruebat, exemplis quoque erudiret. Ita enim existimabat suarum partium esse, ut suis auditoribus pietatem simul & modestiam cum scientiis instillaret; quô fiebat profectò, ut nemo ab eo non modò non doctior, sed & melior discederet.

Humanitate sua, & ingenii dexteritate ad omnium consuetudinem ac mores se componebat, suorum verò morum comitate, in congressibus urbanitate, atque sermonum lepore omnes in sui amorem attrahebat, quibus virtutibus alias animi sui dotes ita temperabat ut quantùm cæteri doctrinam ejus suspicerent, tantùm alii facilitatem, & suavitatem amplecterentur, nulli inviderent, aut obtrectarent, at potiùs omnes illum tanquam invidiâ majorem laudibus certatim efferent, miráque animorum conspiratione nomen ejus, famámque amplificare studerent.

A natura eam constantiam, magnitudinémque animi acceperat, ut, quam semel studendi viam instituisset, de ea nunquam postea, aut fatigatione aut fastidio, aut voluptate depelleretur. Laborum patientissimus diebus noctes continuabat, vigiliis ac lucubrationibus, si quid diurna amicorum officia studiis subtraxissent, copiosè pensabat; cibi ac potûs obliviscebatur, ut divinæ, humanæque doctrinæ suavissimo pabulo reficeret valetudinem corporis affligebat;

ut animus addiscendo valeret; denique ità studiis pertinaciter incumbebat, ut quemadmodum Cato ille Uticensis à Cicerone, sic & Fronto à nobis helluo librorum dici posset.

Hac contentione animi nullum non Patrum, veterúmque scriptorum excessit, nulla non divinitatis scrinia inspexit, atque exhausit, donec magnæ sibi in iis studiis facultatis conscius, Theologiæ professionem ingenti animo suscepit Anno 1639, in eáque edocenda duodecim annos continuos exegit. Eo munere verò ità fungebatur, ut non rudem, ac jejunam aut exquisitis duntaxat disputationum ambagibus, ac tricis implicatam, sed solidam, & quod profitetur ipsa, sapientem, piam, & divinam traderet, quâ non animi ad inutiles scholarum concertationes acuerentur, sed ad ipsius Theologiæ objectum, qui Deus est, solidámque pietatem excitarentur.

Quæ res cùm ingenium varia optimorum auctorum lectione detritum, excultum, consummatúmque desideret, sic se se comparavit Joannes, ut intereà, dum doceret, pulcherrima quæque ex divinis voluminibus, Conciliis, Patrum monumentis, atque historiâ, sacrísque traditionibus ad auditorum usum depromeret, ac colligeret more apum, quæ per hortos, ac alia læta loca volitantes ex variis floribus dulciores succos libantes mella conficiunt. Quô fiebat, ut nihil dictatis ejus eruditius, nihil amœnius, aut floridius reperiretur: cùm nihil in omni multitudine librorum, quorum nulla lectione, nullo studio aviditati suæ satisfacere poterat, ejus diligentiam, ac sagacitatem fugere posset. Certè tantum legerat auctorum, quantum vix alius de nomine nosse posset: tantum didicerat, quantum vix alius posset legere.

Verùm quò impensiùs litteris incumbebat, eò majori adhuc flagrabat discendi cupiditate, sitísque remedio ipso crescebat. Unde factum, ut vulgari eruditione non contentus, omnes propè linguas præter vernaculam, & latinam, quæ in pretio haberentur, ut *Græcam*, *Hebraicam*, *Chaldaicam*, *Syriacam*, *Arabicam*, *Persicam*, *Italam*, *Hispanam*, & denique *Teutonicam* addidicerit, ne scilicet quidpiam in re litteraria intactum relinqueret. In hoc famoso illi *Regi Pontico*, & *Josepho Scaligero* comparandus, quod omnibus propè nationibus sine interprete colloqui posset. Hoc admirabile licet, illud tamen admirabilius, quod hanc linguarum peritiam suo ipse labore, ac solis libris nullo magistro præeunte consecutus fuerit.

Tam multilinguis Joannes, attamen ne bilinguis fuit, nempè cui cor unum erat, non duplex, ore ac opere verè *aplános* sensu perfectus, malitia parvulus. Noverat

sua-

suavissima quadam hilaritate apud alios vitæ suæ austeritatem, ac morum gravitatem temperare. Cæterùm extitit in omni suo sermone integer, & liber, remotus ab omnibus blanditiis, orationis acerrimus, inimicus assentatoriæ illius vanitatis, quæ nunc in locum invasit simplicis veritatis, libertatísque loquendi. Probitas, ejus nuda, expérsque omnis fuci, ac fallaciarum, non simulata, aut hominum opinionem captans, sed sincera, & quæ animum, ac medullam haberet hominis Christiani, & Religiosi: hinc neminem à se exclusit, sed quicunq; ad eum veniebant, statim admisit, & quibus operam suam semel esset pollicitus, fidem religiosissimè servabat, ut sæpè tenuium ac miserorum hominum causa ad summos viros, & magistratus iterùm ac sæpiùs adire non dubitaverit, cùm id præcipuè Christiani esse officii duceret, hoc maximè genus hominum juvare, quod maximè opis, & auxilii egeret.

Fungebatur annis quatuordecim munere Cancellarii, Academiæ Parisiensis, cujus officium est, agere ingeniorum æstimatorem, studiorum censorem, & Arbitrum, certaminum & disputationum judicem, honorum distributorem, ac in largienda Apostolica benedictione, faciendáque docendi potestate Pontificis summi legatum. Quo tempore illius in disserendo subtilitatem, in dicendo vehementiam, in disputando vim & acumen non tam audiit, quàm admirata fuit litteraria ea palæstra. Trahebat ille omnes eloquentia sua, ac retinebat. Nec gravabantur viri doctissimi redire in scholam, Frontonis audiendi gratiâ, senésque inter juvenes sedere, ut unius viri docta, & acuta dicta exciperent.

Hac dicendi facultate, nomini̇́sque sui claritate licet nobilissimos sibi passim amicos, atque in ipsa Regis aula comparasset, quibus ad Ecclesiasticas dignitates capiendas suffragatoribus uti posset, tamen vel inter suos domesticos, studiáque litterarum & pietatis delitescere, vel si quando animarum salutis studio raperetur, eas in pagis, quàm in urbe regere maluit. Cùm sciret itaque Canonicum nostrum Ordinem ab ipsis Apostolis institutum, Cleri veluti fontem, & caput esse atque ex Ivone nostro Carnotensi, didicisset *Epist. 69. & 213. in primitiva Ecclesia nullum constitutum esse Rectorem animarum, nisi de communi vita assumptum, quia nemo certiùs Custos præponitur vitæ alienæ, quàm qui priùs custos est factus suæ &c.* Oblatum à Superioribus suis in Andegauensi regione *Benay* Prioratum obsequens iniit, atque ità gessit, ut agnosceret servum se esse fidelium, non dominum.

Ægrotis, rudibus, parvulis, & pauperibus præcipuam præstabat operam, & exhibebat charitatem.

Nunquam magis contempsit divitias, quàm cum habuit, proventus priùs pauperibus destinabat, quàm percepisset: quod planè est juxta Pauli consilium, ità habere, ac si non habeas, & pauperem, inter divitias agere. Advenerant quidem opes cum Sacerdotio, sed multò magis creverat paupertas: nusquam magis pauper, quàm cùm opum dispensator esse cœpit, ut ab eo interdum joco interrogaretur, non quantum lucri privatus ille conferret, sed quanti sibi quotannis, atque amicis constaret. Ut enim Parochorum indigentiam sublevaret, non iis modò Ecclesiæ suæ facultates omnes dividebat, sed se præterea, suósque etiam ære alieno implicabat.

Certè mirabantur & laudabant ipsi etiam hæretici ejus charitatem, eáque maximè ad fidem Catholicam adducebantur, cum quibus hominibus licet ipsi essent plures concertationes, eæ tamen tanta comitate, pietate & jucunda quadam, sinceráque eruditione conditæ erant, ut non minima hinc quoque vis persuadendi existeret. Scribebat illis peramanter, blandè loquebatur, sed acriter disputabat, ut nulla eis subterfugia, nullas defensionis umbras relinqueret, quibus suam ab Ecclesia secessionem obvelare possent.

Secesserat sub initium Anni 1662. *Benaium*, tum ut *Burgolii*, quod finitimum est oppidum, conciones per quadragesimam ad populum haberet, tum ut oves ipse suas præsens, & verbo, & omnium bonorum operum exemplo pasceret, & recrearet. Atque ut erat incredibili corporis & animi robore præditus, divina charitate ad prævalidam naturam accedente, vigorem tantum conceperat, ut Dei causa unus omnia quodammodo efficere & vellet, & posset. Qui cùm laboriosum concionatoris munus obiret, nihilo seciùs mœrentes consolabatur, confitentibus aures præbebat, heterodoxos ad Ecclesiam, inimicos ad pacem, dissidentes ad concordiam reducebat: nec quidquam etiam in publicis, privatísque colloquiis inexpertum omittebat, quod ad sanandas suorum animas pertineret. Sed benignitas in pauperes, quæ illi â natura congenita erat, atque ejus omni vitæ tempore comes fuit, & familiaris, tum maximè in pastorali officio, hísque miserrimis temporibus insigniter enituit. Non enim facilè inaudiit, quempiam è suis vel abjectissimæ fortunæ hominem molestia, atque ægritudine corporis conflictari, quin vel ipse inviseret, vel visendum, solandum, atque omni suâ ope, vel amicorum, ut diximus, sublevandum curaret. Exegit eo in loco annum, tum Parisios reversus, cùm reliquum vitæ tempus intra

intra Monasterium S. Genovefæ se se totum studiis pietatis religionis dedere, susceptúmque de vita, moribus, & disciplina veterum Christianorum opus absolvere tota mente cogitaret, ineunte Martio, *Montargium* ad amplissimam animarum curam vocatur ab amicis, & mittitur à Superioribus. Igitur altera die antè Dominicam Passionis Lutetia decedit, atque ut ad oppidum venit, statim officia quælibet pastoralia, uti ferebat tempus, ingenti animo ingreditur.

Quotidiè rem divinam facere, accedentium confessiones audire, pueris, & idiotis hominibus Christianæ doctrinæ rudimenta tradere, sacrum Evangelium bis, tervè intra unum diem è suggestu explanare. Neque novum hoc & speciosum ac declamatorium concionandi genus, sed vetus illud, & ardens, atque prorsùs Apostolicum sequebatur. Nullus sermonis fucus, apparatúsque verborum, sed maximus ardor animi, spiritúsque, gravissimæ, certissimæque de morte, de cruciatibus inferorum, de cælestibus præmiis sententiæ, quas veritatis index, orationis simplicitas, facilitásque, & quasi negligentia commendabat. Emicans certè ex ore, atque oculis pietas apertè declarabat, quidquid diceret, ex intimo animi sensu proficisci. Unde ferventiora, etiam ad auditorum mentes verba, tanquam faces perveniebant, eorúmque voluntates accendebant vehementiùs, ut satis appareret, quàm ignitum sit eloquium divinum, cùm tale jactatur ab hominibus, quale suppeditetur à Deo. Atque ità quidem intra unam, quæ major, sanctiórque vocatur, hebdomadam, alia quædam visa est esse *montis Argii* facies, quàm paulò antè fuerat.

Finita illa Parochis, ac animarum Curatoribus laboriosa septimana, cùm alii tempestiva quiete animum licitè reficere solent, Joannes noster non modo de pristino labore nihil remisit, sed novum etiam suscepit. Nam illis diebus, quibus peraguntur feriæ paschales, nosocomium civitatis lustrare cœpit, miserorum lectos, & grabatos circumire, mæstos blandè solari, esurientes benignè reficere, perditos cælestis vitæ spe recreare, confirmare moribundos, omnes & singulos ad patientiam, ad emendationem, sanctitatémque vitæ validè impellere, ut, quorum morbi insanabiles erant, eorum mores quâcunque posset ratione sanare. Quod, cùm summa Christianæ charitatis contentione faceret, animum quidem imortalitati consecrabat, sed morbum, mortémque sui corporis accersivit, ut quidem non tam illum mors sequi, quàm ipse morte obviàm ire videretur. Nimirùm cum pridie Id. April, aliquantillum quietis defatigato

tigato corpori nocte indulgeret, gravissimæ febris agitatione diarrhææ, pectorísque oppressi acutissimis doloribus à somno non tam ad vitam, quàm ad mortem excitatus est. Ipse verò statim quasi finem præsentiret, omnem ante actam vitam severâ inquisitione scrutari, & ex ultima usque pueritiæ memoria repetenda peccata frequentissima confessione declarare. Mox accurrerunt amici, Religiosique ex vicinis Canonicorum Monasteriis *S. Joannis Senonensis*, & *S. Severini Castro-Nantonis*: hos ut vidit, quanquam ingravescente morbo, ac jam pœnè depositus, ac deploratus videretur, gratias egit Deo singulares, & quòd in tam sancta Congregatione vixisset, & quòd inter manus & oscula fratrum moreretur. Ut primum ab iis suggerebatur pia ipsi aliqua vox, statim ad se redibat, ac de Deo, de æternitate, de Religione scientissime atque amabilissimè loquebatur. Jam finis aderat, jam palpitantibus præcordiis, linguâ balbutiente, manibus trementibus, fervido tamen adhuc, & compote mentis pectore, verba quæ eloqui non poterat, proferens animo, flagrantissimas preces indefatigabili pietatis contentione Deo offerre videbatur, donec ineunte sexto ægrotationis die, qui fuit hodiernus Anno 1662. ætatis 49. Religionis 30. Vir immortali gloria dignus desiit esse mortalis, & cælo maturus breves hosce dies comutavit cum æternis.

Nemo verò facilè dixerit, quantum luctûs & mœroris ea mors omnibus attulerit. Statim ut audita est, ex suis quasi sedibus mota civitas undatim in ejus domum confluxit. Derepente ingens virorum, mulierum, puerorum, pauperúmque clamor, & ploratus exortus, suam orbitatem lamentantium, talémque Pastorem, ac Patrem sibi eripi, ac tam citò divelli querentium. Alii videre, alii deosculari, & tangere corpus avidi perstabant in atrio plures horas conferti. Sed nihil æquè testabatur, quantum sui desiderium reliquisset Joannes apud suos, quàm pompa illa funebris, quâ sublatus est ad tumulum. Nam nil tota civitas summæ celebritati deesse voluit. Elatus est quasi omnium humeris, inter vota piorum, laborantium preces, voces singulorum. Nec iste dolor *Montargiensibus populis* proprius fuit, sed statim ad omnes amicos, sodalésque Canonicos pervenit, ac per Galliam fermè universam sese diffudit: supra fidem est, quantum Parisiis luctum illa mors excitârit. Omnes qui vel aliquando doctrinam ejus gustarunt, vel eximiæ ejus probitatis specimen aliquod acceperant, publicam illam cladem existimarunt. Canonici Regulares *San-Genovefæi* justa ei funeralia solemniore ritu fecerunt, quibus conven-

tu

tu, luctúque maximo interfuêre, cum litterati complures, tum maximè universi studii Parisiensis Rector Amplissimus cum benè multis Ordinum Academiæ dilectis Proceribus. Epicedia quoque certatim scripsêre docti quique, simul amica & vera. Ac pratera amicorum nonnulli effigiem ejus ære ac charta exprimi, & velut in publico statui, voluerunt, ut cujus ingenii, animique simulacra orbis Christianus cerneret, ejus ne corporis quidem desideraret imaginem.

CENOTAPHIUM.
D. O. M.
Heu conduntur in capite uno unico,
Prô quali capite!
Octo linguæ:
Totidem videlicet nationum.
Centum oculi
Quot enim scientiæ, tot lumina,
Ut civitas hæc
Mons Argi deinceps,
Veriúsque quàm antè sit.
Ille tantus non tanti corporis animus
Nequaquam hinc evaserit solus,
Ut, qui exilium Patria comutans,
Corda propè infinita,
Ferè omnium secum abstulerit.
Ille ille vir undequaque clarissimus
JOANNES FRONTO
E Congregatione Gallicana
Canonicus Regularis
Ad insignis hujus Ecclesiæ administrationem vocatus.
Hujus Civitatis gaudium,
Sed heu breve!
Ordinis Canonici
Nunquam intermoriturum decus.
Cancellarius Academiæ Parisiensis,
Ejusdémque Deliciæ,
Magnatum Amor,
Antistitum Oraculum,
Orbis Miraculum.
Qui Ecclesiam hanc vix benè aggressus
Ab eâ mox meliore sui parte digressus
Cœlestem illam, quæ sursum est,
Æternùm in ea mansurus,
Ingressus est
Ad XV. Kalendas Majas. A.R.S.H.
MDCLXII.
Ætatis duodequinquagesimo.
Canon. Professionis trigesimo.
Lector!
Admirare, allachrymare, adprecare,
Vale.

Ex Elogiis funebribus per Petrum Lalemantium Canonicum Regularem, & Cancellarium Academiæ Parisiensis. Joannem Franciscum Reginerium, & Claudium Chenyot Canonicos Regulares ibidem. Parisiis Anno 1663. editis, ut adduxit Reverendissimus Gruber in suo Theatro ad diem 18. Aprilis.

CAPUT X.
De tribus votis, & claustralibus observationibus.

POstquam satis, ut puto, de religiosa perfectione, ejúsque indiciis actum hucusque est, tractari nunc oportet de aliis quibusdam mediis custodiendi illam, &, ne rursus excidat, & folium florentis rami defluat, muniendi, & ita sanctè conservandi. Licèt etenim perfectio sit solida, & in animo Religiosi radicata, videatúrque magnis circumvallata virtutibus, tanquam validis perfectionis munimentis, & munitionibus, quia tamen *homo nunquam in eodem statu permanet*, ex sententia Husitici Principis *c.* 14. pervigili indiget custodiâ, quæ in regularibus observationibus, utì & religiosis votis vel maximè consistit, de quibus in præsenti capite quædam pro angustia paginarum documenta afferre parati sumus.

ARTICULUS I.

De tribus votis castitate obedientia, & paupertate.

SUMMARIUM.

235. *Definitio.* 236. *Divisio.* 237. *& obligatio voti.*
238. *Præsertim apud Religiosos quoad paupertatem, castitatem, & obedientiam.*
239. *In votis reservatis conditionatis potest Prælatus loci cum novitiis dispensare, sicut in aliis.*
240. *Qui vovit strictiorem Ordinem ingredi, potest fieri Canonicus Regularis, & satisfacit voto.*
241. *Objectiones propter dispensationem*

nem votorum cum Novitiis sol-vuntur. Hæc de votis in genere.

242. *De votis in specie. Votum Castitatis necessarium est Religioni, & Religioso.*

243. *Gravis hujus voti obligatio.*

244. *Votum obedientiæ obligationem Religionis, & promissionis humanæ includit,*

245. *& est præcipuum Religionis fundamentum.*

246. *Ejus perfectiones & gradus recensentur.*

247. *Quibus vi voti obedientiæ obedire tenetur Religiosus?*

248. *Quænam Prælati præcipere possunt, ut ea Religiosi subditi exequi teneantur?*

249. *Excipiuntur casus, in quibus non obligantur Religiosi.*

250. *Quot modis hi peccant contra hoc votum?*

251. *An teneantur obedire Prælato merè internè præcipienti? aliqui probabiliter affirmant.*

252. *Alii æquè probabiliter negant.*

253. *Si in his obediant, perfectam exercent obedientiam.*

254. *Resolvuntur casus particulares, & difficiles.*

255. *Votum paupertatis pertinet necessario ad Religionem.*

256. *Ejus natura, & divisio sequitur naturam, & divisionem dominii, hujúsque abdicationem.*

257. *Paupertatis vovendæ modi, & gradus diversi sunt.*

258. *Perfecta actus recensentur.*

259. *Quibus modis contra paupertatem peccari possit?*

260. *Ne in usu rerum Religiosus sit proprietarius, habeat à Superiore licentiam expressam, tacitam, vel præsumptam.*

261. *Licentia expressa, tacita, &*
262. *præsumpta excusat à vitio proprietatis.*

263. *Quæ tamen limitatur.*

264. 265. *Objectiones solvuntur.*

266. *Potest à Superiore concedi Religioso peculium restrictum.*

267. *Et quidem vitalitium conditionatum,*

268. *Non tamen independens, nec hujus peculii administratio.*

269. *Prælati peccant graviter, si certas pecunias cuilibet Religioso pro vestitu procurando ad libitum ejus distribuant, quia in S. Ordine Canonico contra Regulam, & consuetudinem militat.*

270. *Gravitas peccati contra paupertatem desumitur à gravitate furti. Hinc*

271. *Arguunt quidam medium florenum, aut flor. integrum sufficere.*

272. *Quæstio cum distinctione resolvitur, cùm difficile sit determinatum quid statuere.*

273. *Pœna in proprietarios à jure statuta.*

QUia status religiosus est fidelium ad Christianam perfectionem tendentium editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis & obedientiæ stabilis in communi vivendi modus ab Ecclesia approbatus, atque ideo Doctores Catholici omnes cum S. Thoma ad statûs religiosi essentiam solemnem votorum emissionem requirunt, adeò, ut emissio votorum simplicium etiam apud Patres Societatis JEsu publicè fieri, atque sic solemnizari debeat, *Laym. l. 4. tr. 5.* &c. necesse est, de religiosis votis agere pro Tyronum instructione, ne post annum probationis vota emittant, & exactam eorum notitiam priùs non habeant. Igitur juxta usitatam methodum, antequam ad particularia progrediamur, de voto in genere præmittenda sunt aliqua.

§. I.

Quid & quotuplex sit votum, & quæ observanda circa illud in genere.

235 VOtum juxta S. Th. 2. 2. q. 88. a. 1. & communem D. D. sensum est *promissio liberè facta Deo de meliori bono.* Atque ut illud emissum sit validum, quinque essentialia requiruntur.

1. Ut sit *promissio actualis*, & non nudum propositum, vel simplex cogitatio. Nam ex voto oritur obligatio exequendi, quod fuit voto promissum. *Eccl. 5. Si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; displicet enim ei infidelis & stulta promissio.* Simplex verò voluntas vel propositum vovendi non obligat. Hinc proponens ingredi Religionem, & mutare vitam, non tenetur voto. Navar. *man. c. 12. n. 26.* Barbos. n. 3. & Canonistæ apud Clar. Wiestner. *L. 3. Decret. tit. 34.*

2. Sit promissio *vera cum animo se obligandi*, & non ficta, quia votum ex intentione voventis judicatur, hinc si ille non habet intentionem se obligandi, cessat ratio voti. Ubi tamen bene notandum, quod verum sit votum, ubi adest animus se obligandi, etsi non adsit intentio illud implendi: illud enim est de substantia voti, non hoc. Malè proin subinde contra religiosam professionem reclamare nituntur, qui in actuali professione reverà animum habuerunt se obligandi, licèt defuerit intentio Religionis vota implendi. Auth. cit. apud clar. P. Schmalzgrueber in *l. 3. Decret. tit. 34. §. 1.*

3. Sit promissio *libera, & cum plena advertentia rationis*, non motu repentino, sed per circumstantias perfectè cognita. Unde ubi error quoad

quoad substantiam rei promissæ, vis, metus, vel præceps animi passio intervenit, votum propriè non est, cit. Auth.

4. Sit *facta Deo immediatè*, non alicui Sancto, quia votum est cultus latriæ soli Deo competens. S. Th. *cit. Q. a.* 5. Esset tamen votum, quod aliquis se præstiturum Deo voveret coram Sancto, vel in memoriam Sanctorum. Sylvester. *v. votum &c. S. Th. c. Q. a.* 5.

5. Sit *de meliori bono*, id est, promissio illa Deo facta non tantùm sit de re possibili, bona, & non indifferenti, sed majus inde sequatur bonum. Cujus rationem dant, quod ad votum requiratur acceptatio etiam ex parte promissarii, sed rei impossibilis, malæ, indifferentis, vel inutilis promissio non acceptatur à promissario scilicet Deo: ergo. Hinc deficiente una, quacunque ex prædictis conditione, utpote essentiali, cessabit ratio voti.

236 Votum dividitur in *personale*, quando promittitur actio à vovente præstanda, aut omissio illius, v. g. si peregrinationem voveas aut abstinentiam à cibo. Et in *reale*, dum promittitur res præstanda, sive fiat per se sive per alium. v. g. pecunia pauperi eroganda. *Mixtum* est, quod participat de utroque, quale votum est religiosa professio. Porro votum aliud est *absolutum*, quod emittitur sine restrictione, aliud *conditionatum* habens secum adjectam conditionem, qua purificatâ solùm obligat voventem. An verò vota ejusmodi conditionata conditione in futurum pendente & contingente v.g. peregrinatio Compostellam vel ad limina Apostolorum &c. si quis sanitatem receperit, sint etiam reservata, lis est inter Canonistas, probabiliùs negativam tenente clar. P. Schmalzgrueber cum suis Patronis. Denique relictis aliis divisionibus solemnis est divisio in votum *simplex*, & *solemne*. *Simplex* consistit in nuda promissione sine adhibita solemnitate, quod alii iterum dividunt in *simplex occultum* & in *simplex publicum*, seu *solemne accidentaliter* cum clausula quadam irritante certum effectum. Exemplum prioris est apud illas personas, quæ castitatem vovent secundùm tertiam regulam S. Francisci, dum interim in sæculo vivunt. Posterioris exemplum patet in coadjutoribus, & Scholasticis Societatis, qui quidem *simplex*, sed *accidentaliter solemne* emittunt castitatis votum, quod post Bullam Gregorii XIII. irritat subsequens Matrimonium, quamdiu talis persona manet in Societate. *Solemne* consistit in actuali quadam dedicatione alicujus rei, propriæ libertatis vel corporis ab Ecclesia vel ejus loco à Prælato in approbata Religione cum certis ceremoniis peracta & acceptata, uti est professio religiosa, vel votum castitatis emissum ab eo, qui majo-

res ordines suscipit. Atque hoc votum ideo solemne dicitur, quod ex ipsa dispositione Ecclesiæ solemniter tale votum acceptantis, seclusa dispensatione Apostolica per se sit perpetuum, & voventem inhabilem reddat ad actus voto repugnantes. Potest autem hoc votum esse *expressum* verbis, scriptura, nutibus, externis ceremoniis, obligandi voluntatem voventis declarantibus, uti fit in omni sacra professione, vel *tacitum* quod contingit in susceptione ordinum majorum, & in gestatione habitûs professorum post annum probationis novitio permissa absque ulla reclamatione, sed potiùs cum tacita approbatione Prælati, & Capitularium.

237. Votum ex genere suo graviter obligat, & transgressio illius peccatum mortale constituit propter irreverentiam, infidelitatem, & despectionem divinæ Majestatis, contemptus autem Dei est grave peccatum. Si enim magni, ut par est, Deum æstimaret vovens, datam ei fidem tam facilè non frangeret. *Fides* autem secundùm S. P. N. *l. de menda. c.* 10. *dicitur ex hoc, quod fiunt dicta. Maximè autem debet homo Deo fidelitatem, tum ratione dominii, tum etiam ratione beneficii suscepti. Et ideo maximè obligatur homo ad hoc, quod impleat vota Deo facta. Hoc enim pertinet ad fidelitatem, quam homo debet Deo. Fractio autem voti est quadam infidelitatis species. Unde Salomon rationem assignat, quare sint vota reddenda: quia displicet Deo infidelis promissio.* Ita S. Thomas *2. 2. Q. 88. a. 3. in C.* Hinc summus Pontifex *c. licet.* 6. de voto, & voti redempt. *usque adeò solutionem necessariam esse post votum*, inquit, *ut sine propria salutis dispendio alicui non liceat resilire.* Obligatio votorum ista plerumque commensuratur gravitati objecti, & intentioni voventis. Si enim gravem materiam voveas, eo ipso tibimet imposuisse gravem obligationem reddendi censeris. Potest tamen voti violator etiam non graviter delinquere 1. si materia voti sit levis, & in vovente non adfuerit intentio sub gravi se obligandi. 2. Quando adest inadvertentia, indeliberatio, aut non plenarius consensus. 3. In S. Ordine nostro extra materiam gravem paupertatis, castitatis & obedientiæ graviter non peccat, qui regulæ præceptum transgreditur, quia ex communi D. D. Sententia cum S. Thoma regula S. Augustini non obligat sub peccato, sed solùm ad pœnam regularem. Absoluta tandem regula communiter statuitur, tunc graviter contra votum peccari, quando in eadem materiâ cum voto conjunctâ mortalis est culpa.

Hoc certissimum est, Religio- 238
sos ad tria vota paupertatem, castitatem & Obedientiam gravissimè obligari, &, quoties in illorum materia graviter transgrediuntur

diuntur, toties sacrilegii crimen committere. Si enim Ananias per subtractionem pecuniæ sacrilegii crimine obnoxius censebatur, uti observat S. Chrysost. *hom.* 12. *in act. Apost. nunc autem, postquam consecrasti, majus sacrilegium subtrahendo commisisti &c.* Certè Religiosus graviùs peccare censendus est, qui non tantùm communem vitam (qualis fuit fidelium tempore Apostolorum) sed abdicationem omnis proprietatis, & usûs independenter à Superioribus Deo immediatè promisit. Unde S. P. N. *Serm.* 10. *de diversis* transgressiones voventium in Anania, pecuniam de pretio venditi agri retinente, ita perstringit: *Si Deo displicuit detrahere de pecunia, quam voverant* Ananias & ejus uxor Saphira *Deo, & utique illa pecunia usibus hominum fuerat necessaria? quomodo irascitur Deus, quando vovetur castitas, & non exhibetur, quando vovetur Virginitas, & non exhibetur?* Rationem dein reddit, cur violatio votorum sit Sacrilegium, quia est Deo dicatæ rei usurpatio mala. *Vovetur enim*, inquit S. P. *ad usus Dei, & non ad usus hominum. Quid est, quod dixi, ad usus Dei? quia de Sanctis Deus facit sibi domum, facit sibi templum, in quo habitare dignetur, & utique Sanctum vult manere templum suum?*

239 Utiliter, & opportunè quærere potest Canonicus Novitius, an Superior Religionis vota in sæculo à se emissa tempore novitiatûs relaxare valeat? pro majori declaratione resolutionis sequentes sint casus.

1. Cajus in sæculo, gravissimo laborans morbo, postquam à medicis mortis nuntium acceperat, ingenti horrore perterritus vovit, se peregrinationem ad limina Apostolorum suscepturum, si incolumis ab ægritudine evaserit.

Emisso hoc voto sensim convalescens differt suam obligationem usque ad absolutionem cursûs Philosophici. Interim Deo inspirante ingreditur Religionem, ubi scrupulis agitatus à suo Magistro petit, an ab hoc voto, utpote soli Summo Pontifici reservato absolvi possit, vel an iterum egredi, & persolvere suum debeat votum.

R. Cajum sui voti dispensationem à Prælato loci justè petere, & per confessarium regularem quemcunque absolvi posse. Ratio est, quòd ejusmodi vota conditionata ex natura sua perfecta non sint, cùm diminutum in rem promissam consensum habeant, sed magìs censentur fieri propendente affectu in conditionem, sub qua in casu emittuntur, quàm in rem promissam, de qua fiunt: cùm ergo reservatio tanquam voventi onerosa, & odiosa solùm comprehendere videatur vota perfecta, votum Caii reservatum non est. Dein si foret reservatum, ideo esset, quia consensus conditionatus transiret in absolutum: atqui hoc non contingit; quia diminutus con-

consensus non mutatur superveniente conditione, aliàs novum votum fieret: ergo. 3. Vota conditionalia pœnalia non sunt reservata, quia consensus imperfectus, displicentia rei promissæ, & propositum vitandi obligationem in iis inveniuntur, ut bene notat Palao *tr. 15. D. 2 p. 12 n. 15. & Sanchez l. 4. c. 40. n. 99. & Basil Leg. l. 8. de Matrim. c. 9. n. 10.* Alt in omni voto conditionali hæc tria inveniuntur. 1. Admittit Suarez, licèt contrariam teneat Sententiam *L. 6. de Vot. c. 11. n. 9.*, & certum est, quod consensus sit imperfectus. 2. Quòd adsit displicentia rei promissæ, negari non potest ob difficultates occurentes. Unde 3. oritur voluntas & affectus vitandi obligationem. Tandem ex argumento reflexo probatur. Saltem inter D. D. dubium est, an votum conditionatum sit reservatum; econtra certum est, quod reservatio tanquam odiosa rem quoque certam petat, & indubiam: atqui in dubio in benigniorem partem inclinandum, consequenter votum Caii non est reservatum censendum. Argumenta in contrarium allata apud cit. Auth. bene dissoluta inveniuntur. Nobis sufficiunt rationes allegatæ.

Hinc constat, Cajum Religionem deserere non debere, sed votum suum quotidiana Eucharistici Numinis in Ecclesia collegiali asservati visitatione, ubi quotidianas indulgentias Romanas ex Bulla Pauli V. de qua inferiùs lucrari valet, satis compensare, religiosísque exercitiis cum singulari fervore obeundis per decursum tyrocinii obligationi satisfacere, atque Deo fidelitatem suam perpetuâ servitute in S. Religione testari posse.

2. Fabricius voto se obstrinxit, 240
Ordinem S. Francisci strictioris observantiæ ingrediendi, postea tamen ingredi statuit Collegium N. Canonicorum Regularium S. Aug. Congregationis Lateranensis in Bavaria. Cùm autem minùs severam animadverteret Canonicorum Regulam, & vivendi rationem, vovit, jejunia P. P. Franciscanorum tam adventualia, quàm quadragesimalia in Ordine Canonico per totam vitam, servare, ut hoc modo quandam S. Francisci severitatem teneret, & prius votum compensaret.

Prælatus loci Fabricium in adventu carne omnino abstinentem, solóque pane victitantem cernens, jubet extraordinarias & insolitas abstinentias istas mitigari, ne debilitatem sibi accersat, & ad alia Religionis exercitia ineptus reddatur.

Sed Fabricius humillimè fatetur, ad exequenda jussa obstare sibi votum.

Quæritur jam 1. an Fabricius potuerit ingredi Ordinem Canonicũ. 2. An Prælatus possit dispensare in altero voto.

Resp.

Resp. ad 1. Fabricium potuisse ingredi Canonicum Ordinem nostrum, & satisfacere per hoc primo suo voto. Ita expressè probatur privilegio à Julio II. Canonicis Lateranensibus dato in Bulla, quæ incipit: *Inter cæteros in militanti Ecclesia.* dat. Romæ apud S. Petrum Anno 1512. 4. Nonas Aprilis. id est 2. April. Pontificatus nono. Ubi, postquam aliorum SS. Ordinum communicationem privilegiorum plenam & veram participationem dictis Canonicis Congregationis Lateranensis stabilivit, ac denuo approbavit, ita decernit: *statuimus similiter & ordinamus, ut omnes, qui Religionem, locum vel Ordinem alium quemcunque, etiam arctiorem, ingredi vovissent, tali voto non obstante, ad dictam Congregationem, & Ordinem Canonicorum Regularium S. Salvatoris, illorúmque professionem liberè, & licitè ingredi, & inibi recipi, & admitti valeant, & super omnibus aliis votis (præfato Religionis duntaxat excepto) cum illis, & cum omnibus aliis ipsam Congregationem Altissimo famulaturis ingredi volentibus etiam dispensari possit, ac à quocunque Excommunicationis vinculo (injunctâ eis, juxta eorum facultates, restitutione, & pœnitentia salutari) tanquam uni ex Canonicis Congregationis hujusmodi, absolutionis beneficium impendi: ita tamen, quòd si ante Professionis emissionem discesserint, in eandem Excommunicationem ipso facto reincidant.* L. Indult, & Privilegiorum Pontificiorum Ord. Can. Congregat. Laternan. fol. 402. Et habetur etiam apud Cherubin. *in Bullar Rom. to. 1. Constit. 30.* Cùm igitur dictum N. Collegium Congregationi Lateranensi perfectissimè sit unitum, hócque favore gaudeat, bene potuit Fabricius Canonicum habitum assumere, suóque voto satisfecit. Ex quo facilis est responsio ad secundum. Votum enim jejuniorum superadditum omnino rationabili de causa dispensari potest, & debet à Rdmo. Prælato Loci. Ratio prioris est; quia Prælatus, etsi in Novitios non habeat potestatem dominativam, quia nondum tenentur ei obedire, sed Religionem deserere possunt, habet tamen potestatem Jurisdictionis ad integrè illos in suis actionibus regendos, & eorum excessus puniendos, ut constat ex usu, & praxi omnium Religionum, sive sint exemptæ, sive non, ut docent plures D. D. relati à Sanch. *l. 4. de voto c. 39. n. 17.* Navarr. *m. c. 12. n. 65.* Sylvest. V. dispensatio Q. 14. Roderiq. *to. 1. Q. Q. Regul. Q. 25. a. 8.* Palao *tr. 15. D. 2. p. 10. n. 3.* Henriquez *l. 7. de Indulg. c. 22. n. 7.* Angelus *in Summa V.* dispensatio *n. 8.* Lessius *l. 2. c. 40. dub. 18. n. 133. in 2. edit.* Bonacina *D. 4. Q. 2. p. 7. n. 27.* & Clar. P. Schmalzgr. *ad tit. 34. l. 3. §. 3. n. 105.* Atqui dispensandi potestas fundatur in hac jurisdictione ordinaria Prælati; ergo &c.

Ratio posterioris est, scilicet quòd Prælatus dispensare debeat, quia sicut ipse Novitio de necessario victu prospicere, ejúsque Sanitati, ne indiscreto vivendi rigore graviter lædatur, præcavere tenetur, ita quoque uniformitatem in omnibus quoad victum, vestitum, & communem vivendi modum eidem injungere debet. Quæ autem foret in refectorio uniformitas, si alii carnibus, alii cibis quadragesimalibus vesci vellent? qua ratione duplicarentur sumptus, ad quos planè non obligatur Religio, quæ potest ejicere Novitium communitati quoad rationem victûs se conformare nolentem, ne unius privati genio & voto gravetur. Unde patet dispensandi ratio. Neque Novitius cum dispendio salutis tale votum tenetur servare, utpote impeditivum majoris boni, quod est Professio Religionis. Cessat enim votum *mutatione materiæ*, quæ in casu posito non ampliùs est conveniens, nec de meliori bono. Item cessat obligatio voti de servando jejunii rigore, quia *cessat causa finalis*, cùm in statu Canonico æquè ad perfectionem charitatis pervenire valeat, etsi S. Francisci jejunia in alieno Ordine non observentur, de cujus substantia non sunt. Igitur propter bonum communitatis, Religionis & Novitii, qui supponitur propter eximias animi dotes suo tempore Ordini fore proficuus, Prælatus debet dispensare. Videantur Sylv. Azor. Suar. Sanch. Palao, aliique apud P. Wiest. n. 48. & Schmalzgr. §. 3. n. 70.

Dices 1. Novitii non sunt subje- 241
cti Religionum Prælatis, nisi quatenus necessarium fuerit, ut ipsi Religionem experiantur, & Religio ipsos; sed ad hunc finem non est necessaria potestas absoluta dispensandi in votis non præjudicantibus supradicto experimento: ergo Prælatus regularis non habet hanc potestatem.

R. Necessarium quidem non esse, ut habeant Prælati plenam, & integram Jurisdictionem in novitios, conveniens tamen esse, ut ii hoc modo in vita spirituali perfectiùs regi, à scrupulis, multísque tentationibus (quibus tempore novitiatûs tyrones sæpe ita impetuntur, ut retro respiciant, & deserti *Ægypti ollas* repetant) eximi valeant &c. quæ jurisdictio planè in favorem Religionis (ut constat ex B. *inter cæteros*. Julii II. citata) & simul in bonum tyronum ex concessione Pontificum provenit.

Dices 2. Prælatus regularis non potest dimissorias concedere Novitio ad Ordines, uti docet Barbosa *2. p. de potest. Episc. alleg.* 3. *n. 8. & alleg. 4 n. 62.* Ergo neque habet potestatem dispensandi, quia utraque potestas jurisdictionem requirit.

R. P. Schmalzgr. cum Palao diversam esse rationem in concessione dimissoriarum à dispensatione

votorum.

votorum. Nam dimissorias ideo Prælatus regularis non potest Novitio suo elargiri, quia, cùm iste Religionem deserere valeat, planè non expediebat Prælatum, & sibi concreditum Collegium, vel Monasterium tam grave in se suscipere onus quod ejusmodi literas danti incumbit, providendo scilicet ordinando de necessariis ex titulo præsentantis, vel dimittentis Monasterii.

Dices 3. cum Novitiis potest dispensare Episcopus, quia ab illius Jurisdictione plenè non eximuntur, cùm verè Religiosi non sint: ergo illâ carent Prælati regulares utpote non necessariâ, ne videatur Novitius duplicem habere Prælatum ordinarium &c.

R. Palao *l. c. n.* 4. Episcopum non habere hanc potestatem dispensandi cum Novitiis, nisi ipsi ei specialiter subiici velint. Facta autem subjectione voluntaria, potest. Deinde uti respondet P. Schmalzgr. inconveniens non est, à pluribus posse novitium beneficium dispensationis accipere, cùm id in ejus utilitatem cedat, & in favorem Religionis. Quæ omnia luculenter confirmat Privilegium Julii II, cedens in bonum S S. Ordinum, qui communicationem Privilegiorum habent, quódque ad quosvis extensum à D. D. putatur ex regula, *quòd favores sint ampliandi.* &c.

Atque hæc de voto in genere allata tyronibus sufficiant ad subsequentem considerationem Asceticam de tribus votis in specie, ac de religiosa professione pleniùs percipiendam.

§. II.
De Voto Castitatis.

242 CUm status Religionis secundùm irrefragabilem Doctrinam Angelici Magistri 2. 2. Q. 86. a. 3. *sit quoddam exercitium & disciplina, per quam pervenitur ad perfectionem Charitatis*, quidquid hanc perfectionem impedire valet, illud Religionis statum professus abjiciat, necesse est. Sed voluptatibus carnalibus vel maximè impeditur homo, & retrahitur à tendentia ad perfectionem charitatis: ergo voluptates carnales, & omnem venereorum usum abjiciat, oportet, si *exercitium, & disciplinam tendendi ad perfectionem charitatis*, hoc est, statum Religionis profiteri velit. Proin continentia perpetua requiritur ad statum Religionis, quia sine illa tendentia ad perfectionem stare nequit. Unde *L. de Ecclesiast. dogmatibus c. 71.* inter opera S. Aug. tom. 3. sicut errores *Vigilantii*, qui divitias æquavit paupertati religiosæ, ita quoque *Joviniani*, qui matrimonium æquavit virginitati, damnati

nati sunt ex eo, quòd isti hæretici docuerint, ad perfectionem charitatis æquè in statu matrimonii, quàm virginitatis, seu Religionis castitatem perpetuam voventis tendi posse.

Nam duplici modo venereorum usus animum à tendentia ad perfectionem divinæ charitatis retrahit.

1. Propter vehementiam delectationis, ex cujus frequenti experientia augetur concupiscentia, ut etiam Philosophus dicit *in 3. Ethic. c. 11*. Et inde est, quòd usus venereorum retrahit animum ab illa perfecta intentione tendendi in Deum. Et hoc est, quòd Augustinus dicit in *L. 1. soliloq. c.* 10. *Nihil esse sentio, quòd magis ex arce dejiciat animum virilem, quam blandimenta fœminea, corporúmque ille contactus, sine quo uxor haberi non potest.*

2. Retrahit à perfectione propter solicitudinem quam ingerit homini de gubernatione uxoris, filiorum, & rerum temporalium, quæ ad eorum sustentationem sufficiant. Unde Apostolus 1. *Corint.* 7. ait: *qui sine Uxore est, solicitus est, quæ sunt Domini, quomodo placeat Deo: qui autem cum uxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, & quomodo placeat uxori.*

Igitur continentia perpetua requiritur ad perfectionem Religionis, & quidem sub speciali voto; ut, sicut aliquis perpetuum statum perfectionis, & sanctitatis profitetur (qua ratione in veteri Testamento Nazaræi etiam cum voto sanctificabantur. *Num. 6.*) ita quoque obligetur perpetuò ad ea; quæ sunt perfectionis. Hoc autem fit cum adhibita solemnitate per emissa vota *castitatis, paupertatis, & obedientiæ.* Ita cum Catholicis Scholis D. D. Catholici sub Augusto Duce Augustino, & Thoma Angelico *cit. Q. a. 4. & 6.*

Votum castitatis sequitur in vovente gravis observandi eam obligatio, quæ juxta communem ab omnibus D. D. traditam, approbatámque, regulam in religioso professo talis est, qualis est virtus continentiæ in quovis soluto. Ubi igitur transgressio continentiæ in homine soluto sæculari mortalis, vel venialis est, pariter in Religioso transgressio hujus voti mortalis vel venialis erit, additâ circumstantiâ sacrilegii ita, ut à Religioso duplex committatur culpa una repugnans temperantiæ, altera Religioni. Sylv. V. Religio. Q. 8. Sanch. L. 5. Moral. c. 6. n. 9. Layman. L. 4. tr. 5. c. 8. n. 1. Palao tr. 16. D. 3. p. 1. n. 1. aliique citati apud istos cum S. Thoma cit. Q. 2. 10. & *22.* 153. & 154. Unde obligatio ex hoc castitatis voto enascitur cuilibet Religioso, ut ab omni voluptate carnali, actúque venereo tam interno, quàm externo, aliàs & ante emissum votum per contractum matrimonium licito. 243

2. Te-

2. Tenetur Religiosus nec carnis desideria permittere, nec moram libidinosis cogitationibus concedere, sed omnem abnegare consensum, impurásque refrænare commotiones.

3. Tenetur majori, ac speciali curâ ab omni, inhonesto tactu abstinere, media verò à S. Regula, particularibus constitutionibus, Superioribus, vel etiam à Patribus Spiritualibus præscripta pro obtinenda aut conservanda castitate suscipere omnésque impuritatis occasiones devitare.

4. Pariter obligatur ad perfectiorem castitatem, sicut ad majorem perfectionem charitatis tendere. Id autem assequetur, si observet, & in praxin reducat, quæ de virtute castitatis, & contrarii vitii fuga fusiùs tractata sunt cap. 2. a. 6. & cap. 3. a. 6. parte prima.

§. III.
De Voto Obedientiæ.

244 SIcut castitas ad perfectionem Religionis requiritur, ita etiam ad eam obedientia pertinet, *oportet enim, quod Religiosi in his, quæ pertinent ad religiosam vitam, alicujus instructioni, & imperio subdantur*, Superioris nempe Ecclesiastici, quod fit per obedientiam. Ita docet S. Thomas *2. 2. Q. 186. a. 5.* Est ergo obedientia prompta executio mandati vel divini, vel regulæ, vel Superioris propter Deum, ad quem finem Ven. Thomas Kemp. *opusc. 10. spirit. exercit. c. 12.* dixit: *Deus sufficiens est causa, & ratio ad obediendum Prælatis, nam, qui perfectè se subjicit, homini propter Deum dabit illi Deus specialem gratiam in præsenti, & exaltabit eum in gloria Sanctorum.* Per obedientiam igitur tradit se Religiosus Religioni, & renunciat voluntati propriæ adeò, ut proprium velle & nolle non amplius habeat, sed Superioris sui gubernationi penitus se subdat ad obtemperandum in omnibus, quæ honesta, justa & conformia regulæ sunt. Itaque hoc votum duo in se comprehendit, 1. quod sit promissio Deo facta, & sic est actus Religionis, ejusque obligationem inducit, 2. quòd sit promissio simul humana, qua ratione vovens se regendum & gubernandum Religioni tradit, simúlque promittit Superioris mandata facturum. Atque ita obligationem justitiæ & fidelitatis, quæ in omni humana promissione includitur, annexam habet obedientiæ votum. Unde, uti observant Authores Suar. *to. 3. de Relig. l. 10. c. 6. n. 3.* Palao *tr. 16. D. 4. p. 1. n. 3.* aliique apud eos in violatione obedientiæ religiosæ plures continentur malitiæ peccaminosæ. Inprimis enim inobediens peccat

contra Religionem propter transgressionem voti: 2. Contra justitiam ob jus Religioni per traditionem voventis quæsitum. 3. Contra fidelitatem, & veracitatem debitam ob promissionem in ipsa traditione inclusam. 4. Aliquando etiam, violans votum obedientiæ, contra illam virtutem peccat, circa quam versatur actus imperatus. Constat ex p. 1. c. 2. a. 1. unum actum plura peccata in se includere posse, sicut actus virtuosus plures bonitates morales contrahere valet.

245 Præcipuam inter tria vota obedientiam haberi clarè docet S. Th. *l. c. a. 8.* cum S. Gregorio M. *l. 35. mor. c. 12.* ubi ait: *obedientia victimis jure præponitur, quia per victimas caro aliena, per obedientiam verò propria voluntas mactatur.* Sed addit S. Th. *Vota Religionis sunt quædam holocausta, quorum obedientia est præcipuum inter omnia Religionis vota.* Ex qua ratione in vitis P. P. perfectè obedientibus Martyrii Laureolas promissas fuisse legimus. Sic namque S. S. P. P. *incruentum Martyrium* obedientiam vocitare consueverant, & alibi *spontaneam pro Deo mortem* non quidem corporis, sed voluntatis. Ita in *Scala cæl. grad. 4.* S. Joan. Climacus ait: *Obedientia est sepulchrum propriæ voluntatis.*

Obedientiam ceu *S. Religionis fundamentum* suis commendaverat S. Ign. Loy. ut in ejus vita scribit R. P. Ribadeneira, & constat ex epist. regulis Societatis adjuncta; ubi 3. posuit gradus illius: 1. est, cùm fit obedientia propterea, quod aliquid in virtute S. Obedientiæ præcipitur, & hic quidem bonus est. 2. Cùm fit, quod simpliciter mandatur, & melior est. 3. Cùm obedientiam prævenimus, & id facimus, ad quod Superiorem propensum cernimus, tametsi nihil ille præcipiat, hic quidem cæteris longè perfectior est.

S. Thomas in 2. distinct. 44. Q. 2. a. 4. & 22. Q. 104. a. 5. ad 3. triplicem distinguit obedientiam, *indiscretam*, quæ est de rebus illicitis, *imperfectam*, sive minùs perfectam, quæ se non extendit ultra præcepta Regulæ, & *perfectam*, quæ nullis arctatur terminis, sed ad omnia se extendit, quæcunque religioso statui convenientia Superior præcipit. Prima obedientia est vitiosa, altera vi voti debita, tertia vocatur supererogatoria, quam omnes S. S. P. P. & Spirituales Magistri suadent, non præcipiunt. Hanc describit mellifluus Doctor S. Bernardus *serm. de disp. & præcepto. Perfecta*, inquit, *obedientia legem nescit, terminis nec arctatur, nec contenta angustiis professionis largiore voluntate fertur in latitudinem charitatis, & ad omne, quod injungitur, spontaneo vigore liberalis, alacrisque animi, modū non considerans in infinitā libertatē extenditur.* 246

Et *Serm. de gradibus obedientiæ* clariùs ac distinctiùs exprimit perfectiones illius, quas hic breviori calamo da-

damus. Igitur primus gradus est *obedire libenter* sine formidine pœnæ, sed ex intimo animo Superioris mandata exequendo.

2. *Obedire simpliciter* absque interrogatione ulteriori, excusatione aut simulatione impossibilitatis alicujus, nam *verus obediens non attendit, quid præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur.*

3. *Obedire hilariter* sine ullo in vultu erumpentis tristitiæ signo, vel corporis gestu, nam *hilarem datorem diligit Deus, non ex tristitia, aut necessitate. Serenitas in vultu, dulcedo in sermonibus multùm colorant obedientiam obsequentis.*

4. Obedire velociter, promptè & absque mora, *quia velociter currit sermo Dei, etiam velocem habere desiderat sequentem.*

5. *Obedire fortiter*, seu constanter non cedendo difficultatibus circa mandantē vel mandatum, vel ejus modos occurrentibus. *Non est fortitudinis, ire in obedientiā, sed ab obedientia non abduci. Si tribulatio intonat, si peccatores tibi laqueum ponunt, si maligni tuum iter impediunt, tu obedientiæ viam non deseras, sed dic: paratus sum, paratus sum, & non sum turbatus, ut custodiam mandata tua.* &c.

6. *Obedire humiliter* non gloriando de opere ex obedientiâ præstito, aut alios contemnendo: *in humilitate nostra* (tandem concludit S. Bern. Serm. cit.) *memor fuit nostri, qui fecit nos. Fortitudinem suam ad Deum custodiunt illi, qui cùm fecerint, quod facere debent, dicunt: servi inutiles sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

Colligant ergo tyrones, quin & omnes Veterani Sacramento professionis obstricti dimetiantur ex mellea doctrina suam obedientiam, qui enim in præfatis gradibus, & obedientiæ perfectionibus defectum in se cognoscit, meritum, perfectionem, & gloriam operis perdit. Alto imbibant animo adnormam. S. Bern. efformata verba Umberti *l. de Erud. Relig.* quæ ita sonant: *ut obedientia vestra omnipotenti Deo sit acceptabilis, studeat quisque habere promptam sine elatione, devotam sine dedignatione, voluntariam sine contradictione, simplicem sine discussione, ordinatam sine deviatione, jucundam sine turbatione, strennam sine pusillanimitate, universam sine exceptione, perseverantem sine cessatione.*

Quæres 1. cui Religiosus vi voti obedientiæ teneatur obedire? 247
Resp. in Ordine Canonico quemlibet professum teneri obedire suo Præposito, quia huic expresse obedientiam promisit in Sacra Professione. 2. Vi ejusdem voti omnes Religiosi tenentur obedire summo Pontifici, si præcipiat ea, quæ sunt regulæ conformia. Ratio hujus est, quia S. Pontifices non aliter approbarunt S. Regulas, quàm ut ipsi essent supremi earum Prælati, qui eas mutare, ac in iis dispensare possunt, atque idem jus suis successoribus reliquerunt. Ita Navar. *man. c. 12. n. 79.* Suar. Lay-

Layman. *L. 4. tr. 5. c. 8. n. 3.* Palao Wiest. & Schmalzgr. ad *tit. 35. de Stat. Mon. & Can. Reg.* §. 3. *n.* 58.

3. Canonici Regulares vi voti obedientiæ non, bene tamen ratione jurisdictionis tenentur obedire suo Episcopo, quia obedientiam suo immediato Prælato, non Episcopo vovent, neque hujus, sed illius regimini se submittunt. Dein si Episcopo potiùs, quàm Prælato suo obedire deberent vi voti, Episcopus ipsos etiam non consulto Prælato ipsorum ordinare posset, hoc autem sine voluntate Prælati Episcopus non potest. *Can. nullus 1.* & *Can. fin. dist.* 58. *c. quanto 7. de Offic. Ordinar.* Abbas *ibidem n. 5.* Sylvester *V. Obedientia.* Sanch. *l. 6. mor. c. 1. n. 12.* Layman. *l. c.* Pirching. Wiest. & Schmalzg. *l. c. n.* 61. omnes allegantes S. Th. *2. dist. 44. fin. in Exposit. lit. ad 3.* Tenentur verò obedire Episcopo ratione Jurisdictionis, quam etiam in eos exercet tum quoad alios actus proprios Jurisdictionis, tum etiam quoad correctionem, & disciplinam regularem, ita, ut reformationes claustrales inducere possit, quas observare compelluntur, si sint regulæ conformes. Quodsi verò iidem Canonici Regulares essent cathedrales, suóque Episcopo veluti immediato Prælato subessent, tam vi voti, quàm jurisdictionis obedire tenerentur, quod etiam de Prælatis dicendum est, qui, ne à ratione voti absolvantur, Episcopo obedientiam ex utroque titulo præstare tenentur.

Quæres 2. quænam Prælati præ- 148
cipere possint subditis suis, ut ex vi voti ii obedire teneantur?

R. S. Thomas *2. 2. q. 104. a. 5. ad 3.* „quod Religiosi obedientiam „profitentur, quantùm ad regularem conversationem, secundùm „quam suis Prælatis subduntur. Et „ideo quantùm ad illa sola obedire tenentur, quæ possunt ad regularem conversationem pertinere. „Et hæc est obedientia sufficiens ad „salutem. Si autem etiam in aliis „obedire voluerint, hoc pertinebit „ad *cumulum perfectionis*: dum tamen illa non sint contra Deum, „aut contra professionem regulæ, „quia talis obedientia esset illicita. „Sic ergo potest triplex obedientia „distingui: una *sufficiens* ad salutem, quæ scilicet obedit in his, ad „quæ obligatur: alia *perfecta*, quæ „obedit in omnibus licitis: alia *indiscreta*, quæ etiam in illicitis obedit. S. Thomam sequuntur Navar. *man. c. 23. n. 39. & comment. 4. de Reg. n.* 22. Valentia, Suar. Sanch. Less. Laym. Palao citati apud P. Schmalzgr. *l. c. n.* 63. Ratio porro est, quod subjectio Regularium erga suos Prælatos, utpote voluntaria, eorum voluntatem, ac promissionem, qua sese Religioni tradiderunt, non possit excedere: atqui tantùm se tradendo promiserunt obedientiam secundùm regulam sui instituti, quod sunt amplexi:

xi: ergo subjectio erga Prælatos non potest excedere, nec illi ultra in virtute obedientiæ præcipere valent, nec subditi obedire tenentur. Intelligunt autem Authores classici non tantùm ea ex regula præcipi, quæ *expressè* ibi continentur, sed etiam, quæ *tacitè seu implicitè* includuntur, quia expressi & taciti eadem est vis. *Reg. expressa* 156. *ff. d. R. J.* Tacitè seu implicitè autem in regula comprehensa censentur omnia, quæ moraliter necessaria sunt ad conversationem instituti, & ipsius regulæ expressæ observationem. In specie respectu omnium Religionum implicitè in regula continentur mutua officia, & obsequia fraternæ charitatis, functiones, officia Ordinis, correctiones, & pœnæ propter transgressiones latæ, mortificationes, pœnitentiæ, & alia pia opera, atque exercitia multùm conducentia ad hujusmodi transgressiones in futurum vitandas, ad publicas calamitates, & alia mala evitanda. S. Th. *in* 2. *dist.* 44. *q.* 2. *a.* 4. *ad* 3. Sylvest. V. *Religio.* Sanch. *l. c. n.* 9. Suar. Palao Wiest. & P. Schmalzgr. *n.* 65. Quodsi dubium emergit, an Prælatus præcipiat juxta regulam, vel non, Prælatus est in possessione, & subditus tenetur obedire sub peccato mortali. S. Th. & Navar. in *man c.* 23. *n.* 37. Porro ratione voti obedientiæ obstringitur Religiosus ad præcepta Superioris vel regulæ nunquam ex contemptu frangenda. Quando enim etiam levis fit transgressio propter contemptum, ejusmodi peccatum grave abs dubio censent Doctores cum S. Th. 2. 2. *Q.* 186. *a.* 9. & quidem talis contemptus gravis semper habetur culpa propter pessimos effectus, qui solent in Religionibus ex eo nasci, quia alii ad obedientiam redduntur segniores, ut deinde audacius in Prælatum insurgant, eos parvi faciant, minùs justos æstiment, actiones discutiant, & ejusmodi subtilitatibus se se contra eos obarment, & perpetuò Superiores contemnendi causam arripiant, ac disciplinam regularem enervent, uti pluribus ostendit Lairv. to. 2. f. 163. Qui in optica *mand.* 4. *spec.* 14. ex S. Thoma, & Cajetano Prælato potestatem adstruit, ut ea, quæ naturâ suâ venialia sunt, sub mortali possit injungere v. g. silentium servare in dormitorio & refectorio certo tempore, quando judicat id propter aliquem casum ad regularis vitæ observationem esse necessarium. Quando autem sub mortali peccato præcipere Prælatus censendus sit, ex tenore verborum colligi debet v. g. *si præcipiat in virtute salutaris obedientiæ, sub pœna excommunicationis,* vel *sub comminatione gravissima pœnæ*, aliisve verbis propriè præceptivis. Porro mortaliter peccat Religiosus, qui renuit subire pœnam, à Superiore secundùm regulam, vel constitutiones infli-

ctam ob commissas culpas. Etsi enim regula S. Augustini solùm obliget ad pœnam regularem, non ad culpam, si tamen à Superiore pœna infertur propter transgressionem, sub mortali obligatur ad illam subeundam transgressor, quia tenetur obedire Prælato secundùm regulam, & illi accessoria præcipienti, ut habetur c. *quorundam*, & c. *si Religiosus. de elect. in* 6. Unde Religiosus perpetuo carceri legitima de causa, & potestate addictus sine peccato mortali non potest carcerem effringere & fugere, tenetúrque in conscientia redire. Navar. *comment. 4. de Reg. n. 63.* Potest tamen subditus propter inflictam pœnam levitati culpæ non commensuratam, & propter excessum illius ad altiorem Prælatum, vel ad Episcopum appellare.

249 Excipiuntur casus, in quibus religiosus subditus Prælato præcipienti non tenetur obedire, & quidem 1. si peccatum, licèt veniale, præcipiat. In dubio autem, an sit peccatum, tenetur obedire. Ut docet S. Th. apud Navar. *man. c. 23. n. 37.* & patet ex textu Angelici Doctoris numero præcedente, quia talis obedientia *illicita* & *indiscreta* appellatur.

2. Non tenetur subditus obedire Prælato præcipienti aliquid, ex quo sequeretur perturbatio status monasterii, vel aliud malum, vel scandalum, quod inevitabile prævidetur. Imò obedire in hisce casibus peccatū foret, etiamsi Prælatus præciperet sub pœna excommunicationis, quia excommunicatio malè lata non officit. Panormitanus *in c. Inquisitioni de Sent. excom.* Sylv. V. *Obedientia.* Debet autem Religiosus esse certus moraliter de futuro malo, quod sequeretur ex impletione obedientiæ. Nam si eventus esset dubius, mandatum Prælati exequi tenetur subditus. Navar. l. c. Valentia *in 2. 2. disp. 20. Q. 4. p. 4.* Sylvest. l. c. ubi generalem ex S. Th. statuit regulam, *quòd Religiosus, quoties convenienti inquisitione certus esse non potest, an, quod Superior præcipit, sit malum, vel obligatorium, ratione professionis teneatur obedire. Et in hoc casu excusatur ab omni peccato, etiamsi obediendo agat contra aliquid aliàs prohibitum &c.* Intellige tamen, ut Religiosus ita obediens bona agat fide, & non contra ea, in quibus ignorantia non excusat, puta contra articulos fidei, præcepta Dei, & generale statutum Ecclesiæ.

3. Non potest, neque tenetur Religiosus obedire Prælato inferiori præcipienti aliquid contra præceptum Superioris v. g. si contra statuta ab Episcopo illata, & approbata Præpositus alium morem minùs convenientem introduceret.

4. Non tenetur obedire Religio-

gioſus, ſi vanum quidquam & inutile præcipitur, ut levare feſtucam, & hujuſmodi &c.

5. Non obligatur ad non dormiendum, ad non comedendum, & alias neceſſitates corporis non petendas, quia ſunt actus neceſſarii, ſine quibus vita ſuſtineri nequit, cúmque ad non petenda neceſſaria ſe ſe non obligaverit in profeſſione. Lairv. *in Optica reg. ſpec.* 16. *inſt.* 2.

6. Ad exotica, & ſuper regulam facienda exercitia non poteſt obligari Religioſus. e. g. ad incedendum nudis pedibus, vel ad publica quodamodo pœnitentiæ opera, aut extraordinaria jejunia, vel alias auſteritates in Religione non conſuetas, niſi fortè in pœnam peccati à Prælato injungerentur.

7. Non tenetur obedire Religioſus in iis, in quibus voluntatem ſuam expreſsè vel tacitè Prælatus non manifeſtavit, etſi aliunde voluntatem ejus cognoſcat. Ratio eſt, quòd actualis obedientia actuale requirat præceptum, idque intimatum ſubdito.

8. Prælato præcipienti recitare horas Canonicas, quas quiſpiam jam ſemel in choro cum aliis recitaverat, nullus tenetur obedire. Ratio eſt, quòd nullus teneatur privatim repetere, quæ bene in choro cum aliis recitavit. Excipe, ſi ſit præceptum propter ſe, quia ſi daretur ratio aliqua regularis, propter quam id tanquam medium præciperetur, obedire teneretur. Sicut ſi Prælatus præcipiat cuidam, ut vadat ad chorum, cantet, & pſallat, licèt privatim eas horas jam perſolviſſet, tenetur obedire. Caramuel *Theol. Reg. comment. in Reg. S. Benedict. D.* 50. *R.* 7. *&* 8. Ratio ultimi præcepti eſt, quia officium ipſius eſt aſſiſtere choro, recitâſſe autem privatim, non prodeſt ad hoc, ut excuſetur ab obligatione pſallendi, & cantandi publicè. Hæc & plura individua afferri poſſunt in quibus vi voti obedientiæ obedire præcipienti obligatus nemo eſt, neque Prælatus ſine ſpeciali cauſa mandare poteſt. Si tamen Religioſus Superioris mandatum exequitur (excepto peccato) perfectam illam exhibet obedientiam, quæ pertinet *ad cumulum perfectionis*, ut ait Angelicus loco ſupra citato.

Cæterùm ſicut actus perfectæ 50
obedientiæ ſunt omnia tam ex regulis præſcripta, & ſtatutis conſignata, quàm à Superioribus mandata *libenter*, ut ait S. Bernardus *ſimpliciter*, *hilariter*, *velociter*, *fortiter*, *& humiliter* exequi, ita à contrario directè vel indirectè contra obedientiam agit 1. qui exteriùs rem præceptam peragit ſine animo interiori. 2. Qui obmurmurat præcipienti. 3. Qui Superiorum præcepta diſcutit, & nimiùm quantùm intentionem indagare cupit; nam *neſcit judicare, quiſquis perfectè didicit obedire.* S. Greg. *l.* 2. *in* 1. *Reg. c.* 2.

4. Qui

4. Qui Superioris perſonam & qualitates tantùm reſpicit, & res imperatas leves exequi negligit. 5. Qui ad mandatum Superioris triſtatur, & tardè obedit, difficultates cauſat, & Superioris voluntatem in ſuam inflectere quærit. 6. Qui imperata non niſi ſuo modo, & tardè perficit. 7. Qui difficultatibus obedientiæ facilè cedit. 8. Malè tandem obediunt, qui ea tantùm peragunt, quæ ſub mortali peccato ſunt præcepta. Hi enim ſunt de numero eorum, qui facilè de Superiore tanquam malevolo conqueruntur; de eo benè ſentiunt, quamdiu non objurgantur, & objurgati ſtatim turbantur, Superiorum vitia inveſtigant, & in ſua mala opinione perſiſtunt, ſe nempe non egere Superiorum monitis, & reprehenſionibus. Ut perfecta ſit obedientia, animus debet eſſe indifferens adeò, ut in neutram partem propendeat, nec unum pro ſuæ naturæ inclinatione magis quàm alterum contrarium exequi velit, ſéque totum Superiorum determinationi relinquat eo modo, quem tradidimus p. 1. c. 4. a. 12. n. 259. f. 310.

251 Quæres 3, an Regularis ſubditus teneatur obedire Prælato Regulari præcipienti actus merè internos e, g. orationem mentalem?

R. Suar. *de leg. l. 4. c. 12.* Laym. *l. 4. tr. 5. c. 9. n. 4.* & alii citati apud iſtos cum P. Schmalzgr. in *l. 3. tit. 35. de Statu Mon. & Can. Reg. §. 3. n. 67.* affirmativam ex eo tenent, quòd homo vovere poſſit, quidquid ſanctum, Deóque gratum exiſtit: atqui obedire Prælato præcipienti actus internos virtutum v. g. orationem mentalem, eſt opus Deo gratum & magnæ perfectionis: ergo ad talem obedientiam obſtringere homo ſe voto poteſt. Neque eſt improbabile, quod Religioſi, ſaltem aliquarum Religionum, in quibus ſtricta obedientia viget, ad talem obediendi ſeveritatem ſe obligare intendant, cùm velint eſſe ut holocauſtum, quo ſe totos, ac præcipuè voluntatem ſuam in manibus, & poteſtate Prælati Deo offerant. Confirmatur. Prælati Regularium poſſunt ipſis etiam contradicentibus omnia eorum vota, licèt merè interna, ſimpliciter irritare: ergo ſignum eſt, quod Prælati Ordinum habeant poteſtatem gubernativam in actus etiam merè internos ſuorum Regularium. Dein conſtat in multis Religionibus præcipi orationes ad certam, & particularem intentionem, vel ſacrificia, cùm tamen talis intentio operi omnino accidentaria & merè interna cenſeri debeant, &c.

Alii verò authores cum S. Th. *1. 2. Q. 91. a. 4. & 2. 2. Q. 104. a. 5. in C.* Azor. *p. 1. l. 12. c. 13. Q. 4.* Mirand. *to. 1. man. Prал. Q. 26. a. 3.* Sanch. *l. 6. mor. c. 1, n. 6.* Sylv. V. *Excommunicatio.* Fumus V. *Obedientia.* Lairv. *in optica Reg. ſpec. 16.* 252 aliique

aliique Theologi ac Canonistæ contrariam tenent opinionem. Quia votum est lex, qua quilibet vovens se obligari vult; atque legem de merè internis ferre non est humanæ potestatis: ergo. m. probatur. In his potest Superior præcipere, de quibus potest cognoscere, judicare & pœnam infligere: quia *illud propriè cadit sub præcepto legis, pro quo pœna legis infligitur: ad instituendam autem pœnam aliter se habet lex divina, & aliter lex humana, non enim legis pœna infligitur, nisi pro illis, de quibus Legislator habet judicare.* Sunt verba D. Ang. 1.2. *Q.* 100. *a.* 9. *in* C. Sed de mere internis actibus intellectûs, & voluntatis non potest Prælatus cognoscere, judicare, & pœnam infligere: ergò actus merè internos non potest præcipere. Consentit magnus Doctor noster l. 1. *de libero arbitrio c.* 6. ex magna ratione. *Quia sicut lex humana non potest omnia, quæ malè fiunt, punire, vel prohibere, quia cum auferre vellet omnia mala, sequeretur, quòd etiam multa bona tollerentur, & impediretur utilitas boni communis, quod est necessarium ad conversationem humanam. Ut ergo nullum malum improhibitum, & impunitum remaneret, necessarium fuit supervenire legem divinam, per quam omnia peccata prohibentur tam externa, quàm interna*: ergo solius Dei est sicut judicare, ita etiam præcipere actus merè internos. S. Thom. *1.2. Q. 91. a.4. in* C.

Inter istas controversas Sententias certum videtur posse Religiosum verè vovere obedientiam etiam quoad actus internos ad præcipientis Prælati voluntatem eliciendos, ut bene probant argumenta prioris, nec in hoc ulla videtur impossibilitas. Et, si Religiosus talem exerceat obedientiam, supererogatoriam & perfectissimam habere dicitur prout omnes judicant. Interea, prout bene animadvertit Suar. l. c. non videtur esse consultum, & fortasse in nulla Religione consuetum, ut actus merè interni, qui exteriùs nullo modo produntur, præcipiantur sub obligatione peccati. Neque defacto solent Regularium Prælati tales actus præcipere, quin conjungatur aliqua actio externa. v.g. ut Religiosus instituat meditationem in certo loco, & sub certa dispositione corporis, scilicet genu flexus, vel celebratio missæ ad Superioris intentionem &c. quales actus jam solent esse mixti. Unde facilè ad objectiones responderi potest. Utrumque nos hìc omittimus, ne falcem in alienam messem mittamus, & magis scholastici, quàm ascetici tyrones videamur, 253

254 Ex hucusque traditis facilè particulares quæstiones resolvi possunt, quarum aliquas pro instructione ex Caramuele in Regulari Theologia allatas hìc afferimus.

1. Si Prælatus præcipiat servari aliquod jejunium Ordinis, id obli-

 gabit

gabit sub peccato mortali, ratio est, quia præceptum hoc juxta statuta datur, & continet materiam ex se gravem. Dein jejunia Ecclesiastica observari debent sub gravi: ergo etiam regularia. Sicut enim illa ordinantur ad vitam Christianam, ita hæc ad vitam religiosam. *Disp. 50. Resol. 14.*

2. Si verò Prælatus præcipiat servari jejunia Ecclesiastica, hæc frangens non peccat contra præceptum regulare, cùm in regula nihil de iis exprimatur, sed tantùm Ecclesiasticum, dummodo regulare jejunium non coincidit cum Ecclesiastico. *l. c. R. 15.*

3. Si Prælatus verbis præceptivis jubet observari paupertatem, & castitatem, tunc incontinens, & proprietarius non solùm peccabit contra dicta vota, sed etiam in eodem actu contra obedientiam ex ratione *in fine num.* 244. data.

4. Qui contra expressum præceptum Prælati locum intrat talem, ubi peccat mortaliter contra castitatem, peccat similiter contra obedientiam. Sed petis, quando quis peccet mortaliter contra obedientiam, an, quando intrat, an quando lasciviæ peccatum committit? Respondetur, illum peccare mortaliter contra obedientiam, cùm primùm incipit esse in periculo proximo extrinseco peccandi. Præcepti enim hujus finis fuit, ne illum determinatum locum adeat Religiosus propter periculum, & ipsum lasciviæ peccatum. Hinc si in alio loco peccet contra castitatem non peccat contra obedientiam. *Disp. 51. R. 3. & 5.*

5. Si persuades confratri tuo, ne Prælato obediat in certa materia, peccas non formaliter, sed objectivè contra obedientiam, id est, alium facis inobedientem, tu verò non es inobediens, quia non vovisti Deo, & Superiori obedientiam tui confratris, sed propriam peccas tamen contra justitiam, alium malâ persuasione inobedientem faciendo. *D. 52. R. 4.*

6. Vides Prælatum à longè venientem, tibique aliquid præcepturum autumas; fugis igitur ejus alloquium, ne præcipere possit, non peccas contra obedientiam immediatè & directè, quia solùm actualiter præcipienti, toties, quoties id faciat, obedire te velle promisisti. Interim perfectionem parum colis, qui hoc agis.

7. Pariter non præceptum, sed consilium est, si Prælatus dicat alicui: *Ego præcipiam tibi hoc.* Quia monere censendus est, dum præcepturum se minitatur, & usquedum præcipiat actu, non tenetur ratione præcepti.

8. In quibusdam statutis continentur hæc verba: *præcipimus*, alibi, *consulimus*, item, *volumus*, *strictè præcipiendo mandamus.* Tandem in fine est clausula: *omnia hæc servari diligenter ab omnibus, & bene custodiri præcipimus in virtute Sanctæ obedientia,*

tia. Petis, utrum omnia & singula obligent sub obedientia? Resp. Negativè. Quia hæc ultima verba præceptiva non explicant priora *monita*, *consilia*, & *simplices voluntates*. Ad hoc enim fuisset opus addere: *Est nostra voluntas, quòd singula hæc præcepta sint, obligéntque in virtute sancta obedientiæ.* Atque hoc ultimum fuisset novum præceptum impositum communitati, & Prælato, cui præciperetur in virtute S. Obedientiæ omnia observare, prout statuta singilatim exhibent, ita ut transgressores ipse puniat secundùm peccati qualitatem. Quod si Prælatus punire negligeret, omnino mortaliter peccaret contra hoc ultimum obedientiæ præceptum. Secus in iis, quæ non ita fuêre clausulata, & tantùm rationem *moniti*, *voluntatis*, *consilii* &c. continent, per suam negligentiam non peccabit mortaliter, nisi ex nimia conniventia, & non observantia consiliorum regularis disciplina totaliter ita destrueretur, ut deinde observantia præceptorum etiam in discrimen veniret, ac difficilis servatu redderentur ipsa quoque vota.

Nam sic non observando consilia pro conservatione votorum tam à Prælato, quàm à subditis culpa gravis non abesset propter ruinam disciplinæ, & continuum transgrediendi vota periculum.

9. Obligatur subditus obedire Prælato præcipienti aliquid extra regulam propter finem secretum, 1. quia Prælatus non tenetur explicare finem, propter quem præcipit: è contra subditus tenetur credere finem esse regularem, & magnum à Prælato sibi præstitutum. 2. Si illum finem subditus suspicatur, vel dubitat, non fore regularem, Prælatus manet in possessione. 3. Si dubitat, utrum præceptum ejusmodi fuerit propter se, vel propter aliud præceptum, supponere debet, factum esse propter utrumque, ut nullus sic errori sit locus. In praxi varia occurrere valent.

10. Pro ingenii sui acumine difficillimum posuit casum Caramuel *disp. 54.* hisce verbis.

Abbas quidam posuit tale præceptum: jubeo tibi, ut facias hoc (erat materia gravis, & expressa in Regula) *quoties habueris à Deo auxilium efficax ad illud exequendum?* Quæritur, an hoc præceptum obliget.

R. Illud esse verum præceptum, &, si subditus violaret, peccaret mortaliter. Ratio est efficax, quia omnia requisita ad mortale, obligatoriúmque præceptum in tali jussione reperiuntur. Requisita sunt hæc. Præcipientis auctoritas, materia legitima, & probabilis, & in obediente libertas. Duo priora præsupponuntur; tertium requisitum comprobatur, quoniam auxilium efficax sive prædeterminatio physica non tollit libertatem, aliàs nulla actio esset meritoria,

toria, quia meritum non datur sine libertate, & nulla actio fit sine efficaci auxilio. &c. Ad objectiones contrarias deinde curiosè respondet. At quid ad ejusmodi casus responsuri essent, id genus præ-determinationes, quæ nec in hominis potestate sunt, nec advenientes percipiuntur penitus negantes, Scholis relinquimus, & similes obedientias sine discussione talium mandatorum atque mandantium admirabiles dicimus, sicut admiranda sunt talia præcepta, quæ non nisi extraordinaria requirunt Numinis miserentis auxilia.

§. IV.

De Voto Paupertatis Religiosæ.

255 Sicut Castitas & Obedientia, ita Paupertas Evangelica ad perfectionem Religionis necessaria est, uti S. Thomas 2. 2. Q. 186. a. 3. in C. ex ipsa Divini Magistri, & S. S. Patrum doctrina ostendit. Cùm enim res mundanæ animum ad se rapiant, nimiúmque afficiant, eas planè abjicere à se debet, qui perfectionem charitatis assequi desiderat. Nam teste S. P. N. L. 83. Q. Q. q. 36. *nutrimentum charitatis est imminutio cupiditatis: perfectio nulla cupiditas*, habendi scilicet divitias, aut cum magno labore congregandi, accumulandíque. *Ex hoc autem, quod aliquis res mundanas possidet, allicitur animus ejus ad earum amorem. Unde Augustinus dicit in Epistola ad Paulinum, & Therasiam, quòd terrena diliguntur arctiùs adepta, quàm concupita. Nam unde juvenis ille tristis discessit, nisi quia magnas divitias habebat? aliud est enim nolle incorporare, quæ desunt, aliud jam incorporata divellere. Illa enim velut extranea repudiantur, ista verò velut membra præscinduntur. Et Chrysost. dicit super Matth. quod appositio divitiarum majorem accendit flammam, & vehementior fit Cupido. Et inde est, quod ad perfectionem charitatis acquirendam primum fundamentum est voluntaria paupertas, ut aliquis absque proprio vivat, dicente Domino Matth. 19. Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & veni, sequere me.*

Paupertas est duplex, *ignobilis*, 256 quando quis rerum possessione caret, earum tamen desiderio flagrat, ùt nostrates sunt triviales mendici, & *liberalis*, seu *nobilis*, & *ingenua*, quæ pauperes Spiritu sectatores habet, eósque reddit *ingenuos*: licèt enim hi omnia possideant, omnia tamen contemnunt, & in corde omnem divitiarum affectum exuunt. Atque hæc *Paupertas* Religiosos spectat, & consistit in *affectivâ*, non *effectivâ* rerum carentiâ. Proin de illis, qui secundùm Apostolum 2. Corint. 6. v. 10. verè sunt *nihil habentes, omnia possidentes. Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur*

tur &c. 1.Corinth. 7. v. 1. Aptè cantari valet ille versus.

Quis dives? qui nulla cupit. Quis pauper? Avarus.

Ut explicetur meliùs Paupertas Evangelica, placet naturam, & divisionem Dominii considerare. *Dominium est jus in re aliqua tanquam in propria.* Dividitur in generale & particulare. *Dominium generale* est dominium omnimodum in universis, & infinitum: & hoc uni Deo competit Domino universorum, ac nascitur à creatione; si enim nos non creavisset hujuscemodi dominio generali careret; quia non haberet, unde universæ creaturæ dominari posset. *Particulare* est dominium à Deo participatum, finitum, & limitatum, quod ad aliqua, non ad omnia se extendit. Istud dominium particulare solis convenit creaturis intellectualibus; irrationales enim non sunt capaces alicujus dominii. Dominium particulare est duplex; nempè *proprietatis* & *jurisdictionis*. Dominium *jurisdictionis* est jus gubernandi legibus. Dominium *proprietatis* est jus disponendi de aliqua re tanquam de suâ, hoc est, vendendi, dandi, commutandi, mutuandi, oppignorandi &c. Dominium *proprietatis* dividitur in *perfectum*, & in *imperfectum.* Ille dicitur *Dominus imperfectus*, qui vel habet rei proprietatem, & non emolumentorum; vel horum, & non ipsius rei: *perfectus* autem *dominus* ille est, ad quem proprietas pertinet non solùm rei principalis, sed etiam usus fructuum. *Dominium imperfectum* dividitur in *utile* & *directum.* *Directum* dominium dicitur, quod est rei ipsius: tale habet Princeps in feudis, qui locavit agrum in agro, & filius-familias in peculio adventitio. *Dominium fructuum* dicitur utile, tale habet usufructuarius, feudatarius, emphyteuta. Dominium directum non est inutile, ut multi credunt; quia dantur leges, quæ definiunt, quando & qualiter debeat dominium directum cum utili consolidari, quas non juvat impræsentiarum recensere. Hoc solùm hic notandum venit, quoad dominium utile, quod duplex sit usus rei scilicet usus juris, & usus facti. *Usus juris* est legitima potestas utendi aliqua re, salvâ ejus substantiâ, nisi ipso usu esset consumptibilis. *Usus facti* est actualis usurpatio rei, ùt, si utaris equo, usum facti exerces. Atque iste *usus facti* est realiter distinguibilis ab *usu juris* juxta omnes D.D., quia aliàs Minores S. Francisci rerum etiam usu consumptibilium essent Domini, & sic omnimodam, quam ipsi profitentur, paupertatem Regulæ exactè non observarent, de quibus Scholastici plura.

257 His præsuppositis Evangelica Paupertas tot habet gradus diversos, quot dantur diversa dominiorum abnegandi, se séque rerum pro-

proprietate abdicandi genera. Certum est, usum juris apud omnes Religiones exceptis Venerab. P.P. Franciscanis & Capucinis habere locum, ita ut dominium verum exerceant quoad usum juris in rebus ad vitæ sustentationem necessariis, & successivo usu consumptibilibus. Datur proin etiam juxta diversos gradus Paupertatis, diversus eam vovendi modus, quos breviter hic ostendamus.

Primus & latissimus vovendæ Paupertatis gradus est, si quis voveat non quidem privationem *Dominii*, aut *usûs proprii*, sed solùm carentiam superfluitatis bonorum, quæ ad vitæ sustentationem non sunt necessaria. Iste reverà esset Dominus bonorum, & haberet proprietatem illorum, quæ ad vitam sunt necessaria, & solùm teneretur ratione voti vitare superflua. Ita voverunt antiqui Eremitæ, qui vovendi modus tamen de facto Pontificum, & Justiniani Imperatoris decretis in S. Ordinibus eliminatus est.

2. Paupertatem vovere potest quis, ut licitum & validum habeat dominium bonorum in particulari, ita tamen, ut illorum usum habeat dependentem à voluntate Superiorum. Talis vî voti non privatur dominio, sed usu independente. Ita Scholastici Societatis vovent. Et hic est secundus gradus.

3. Gradus est illorum, qui *licitè* nec dominium, nec usum proprium bonorum habent, quamvis *validè* sint capaces, ut patet apud antiquos.

4. Gradus est, quando nec *licitè* nec *validè* habetur dominium aut proprius, seu independens usus bonorum. Et iste modus communiter observatur à S. S. Religionibus extra Societatem.

Patitur tamen suas limitationes juxta particularia cujus libet statututa, uti infra videbimus.

5. Gradus est illorum, qui nullum quidem dominium bonorum habent in particulari, habent tamen in communi, sicut omnes tale retinent dominium Religiones, exceptis P. P. S. Francisci, & Clericis Regularibus S. Cajetani.

6. Gradus est, non tantùm nullum in particulari habere dominium, sed etiam usum ita strictum, ut nec Superiores possint Religioso superflua, etiam ad nutum revocabilia licitè concedere. Ejusmodi paupertas est in quibusdam particularibus Provinciis aliquorum S. Ordinum juxta eorum specialia statuta, vel laudabiles usu continua stabilitas consuetudines.

7. Gradus est, nec in particulari nec in communi habere dominium bonorum immobilium, annuorum censuum, fundorum &c.

Ita vovent Ordines Mendicantes, P. P. Theatini &c. Qui tamen varios in hoc observant modos, ita

ut

de facto ex dispositione *Conc. Trid. Sess.* 25. *c.* 3. *de Regular.* immobilia possideant Mendicantes, exceptis aliquibus. Igitur quia P.P. Capucini & Minores de observantia nec dominium bonorum immobilium annuorum censuum, & fundorum, nec etiam mobilium, quin & in rebus usu consumptibilibus tantùm *usum facti* solent habere octavum gradum Paupertatis vovendæ constituunt, qui est omnium rigorosissimus. Præmissis his ad considerationes asceticas convertimur, & Paupertatis Religiosæ perfectiones notamus.

258 Inprimis *Paupertas liberalis*, & *perfecta* solis utitur rebus vilibus, paucis, & summè tantùm necessariis exemplo Christi, qui non habuit, ubi caput reclinaret, & omnibus se exinanivit formam servi accipiens. Sunt autem varii Paupertatis exercendæ actus omnibus S. Ordinibus communes, quorum aliquos ascetæ subministrant.

1. Nihil unquam des, aut accipias mutuò sine necessitate, & expressâ facultate.

2. Res, quarum usus tibi omninò est necessarius, habeas, quantùm potes, viliores, & in substantia & in modo v. g. vestem è panno viliori prout S. P. N. monet in Regula: *nec affectetis vestibus placere, sed moribus.* Rosarium, & numismata è vulgari materia non argento; quia in his splendoribus non solet aparere S. Paupertas. Huc etiam spectat, curiositates omnes evitare quorumvis vestimentorum, aliarúmque rerum, fugere mollitiem lecti, sellæ &c. Calceos habere è corio vulgari, non juxta modum sæculi confectos &c.

3. Nihil superfluum habeas in cubiculo, & supellex usualis non sit duplicata, non duos pileos, vestes, sellas, thecas, pulpita, Breviaria, Rosaria usualia, & in omnibus rebus superfluitatem non patiaris. Ad superfluorum fugam spectare speculum docent quoque Viri spirituales, illius usum absque necessitate valde improbantes in Religioso. Hunc actum S. Paupertatis docet expresè S. P. N. in Reg. *melius est enim*, inquiens, *minùs egere, quàm plus habere.* Id non tantùm suis Canonicis verbîs, sed etiam exemplo insinuavit, nam, ut ex ipsius S. Patris vita constat, *nihil illo fuit humilius, nihil continentius: lectus ac vestitus moderatus, vulgaris mensa* &c. Vasa, in quibus cibus & potus mensæ inferebantur, erant lignea, vel testacea, vel etiam marmorea. Vestis ejus extra Ecclesiam præter togam talarem albam erat tunica linea, & byrrhus, intra Ecclesiam cappa Episcopalis, reliqua calceamenta, & lectualia moderata nec nimis nitida, nec plurimùm abjecta ex communi vestiario accipiebat. Vestem sericam byssinam aut pretiosam induere erubuit, adeò, ut etiam in Ecclesia

pedo Episcopali non ex auro vel argento; sed viliore materia confecto, & mitrâ lineâ usus fuerit, *tantus paupertatis, & pauperum amator, ut sacra vasa frangeret ad eorum inopiam sublevandam.*

4. In itinere constitutus non compares cibos, & potum delicatiores, quàm domi haberes, sed paucioribûs, & tantùm necessariis utere.

5. Ita rebus omnibus utere, quasi non tuas, sed alienas esse appareat, ac si eas paulò post suo possessori restituere deberes, libros, vestes, aliáque integra, munda & nitida conserva, nihílque cum tua culpa perdas, nihil destruas, nihílque malè complicatum abjicias. Unde contra Paupertatem peccant ii, qui vestimenta dilacerant, nec curant post unam levem scissuram ea reparari, usque dum penitus destruuntur. Peccant etiam, qui libros malè tractant, tamdiu apertos relinquunt, ut compactura rumpatur, & complicari ampliùs nequeant.

6. In usu rerum caveas, ne multas consumas v. g. candelas plures simul ardere non permittas, nec ardentem in cubiculo, quo exis, relinque, si diutiùs abesse debeas. Reliquias etiam earum reserva, ut alterius usui adhuc inservire possint.

7. Erga res viles affectum non habeas, nec turberis, si auferantur, aut maculentur. Denique in nullare splendorem, commoditatem, aut pretiositatem, vel numerum, & modum quæras. Tunc actu scies, te in hac virtute profecisse, si individuos diligas comites ejus, scilicet contemptum, famem, sitim, frigus, & æstum. Qui enim in vestibus quærit honorem, ne vilis habeatur, non diligit Paupertatem. Qui, dum sitit, non vult aliquamdiu tolerare sitim, is non studet paupertati. Qui nihil vult sibi deesse, & tamen Religiosus haberi, decipitur. Igitur religiose Tyro disce non tantùm externè divitiis & rebus pretiosis abstinere, eásque in S. Professione abjicere, verùm & animum interiùs evacuare cupiditatibus habendi, *nisi enim quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest esse Christi discipulus. Matth.* 16.

Cùm votum Paupertatis liberam dispositionem, & independentem à voluntate Superiorum usum rerum apud Religiosum inducat, sequitur, eum cum aliis de bonis suæ hæreditatis nullum contractum inire posse, quia jus in illa bona per S. Professionem ad Monasterium transiit, nisi fortè Superior licentiam dederit, vel contractum approbaverit. 259

Sequitur 2. sine Superioris *expressâ*, vel *tacitâ* licentia juxta *C. non dicatis.* 12. *q.* 1. nihil proprium haberi posse, & si Religiosus in par-

particulari sine facultate usum rei sibi appropriat, Paupertati contradicit.

3. Similiter contra Paupertatem agit, qui rem vendit vel commutat sine Superioris licentia, quin sine eâ nec cibi portionem potest dare, nec tacitam videtur habere licentiam, qui cibos è mensa deportat, quando à Prælato interdictum est, ne quis aliquid è triclinio deportet.

4. Qui rem, qua utitur, abscondit v. g. libros, vestes, aliásque res sacras, ne pateant Prælati oculis, contra Paupertatem agit.

5. Qui habet superflua in cella valde pretiosa, & divitium sæcularium propria, graviter contra hoc votum agit, nec concedere potest Prælatus.

6. Qui aliquid sibi usurpat ex bonis Conventûs sine Superioris licentia, furtum committit, &, si materia est gravis, mortaliter, si levis, venialiter peccat.

7. Nullus inferior donare potest sine Superioris licentia expressa, vel tacita, aut præsumpta.

8. Quidquid Religioso professo donatur à quibuscunque, Religionis esse censetur, nec illius usum habere potest Religiosus sine Superioris licentia.

9. Qui rebus sibi concessis v. g. vestibus, libris &c. malè utitur ita, ut eas destruat per socordiam, & negligentem custodiam, æquè contra Paupertatem agit.

10 Pariter, qui indignatur Superiori res ad usum concessas auferenti, quærimonias, & murmura propterea effundendo, etiam contra justitiam agit, & clarè demonstrat, se habere animum vitio proprietatis non evacuatum.

11. Religiosus in Parochiis expositus quidquid acquirit, ad Monasterium pertinet, quamvis subinde usum revocabilem habeat.

12. Quamvis ex Superioris licentia expressa liceat Religioso habere peculium proprium, cujus usus, & dispositio à voluntate Superioris dependeat, non tamen ultra quantitatem concessam aliquid reservare sibi sine peculiari licentia potest. In quo casu non tantùm contra Paupertatem, sed etiam contra obedientiam agit, qui transgreditur dictam summam.

Ad hoc igitur, ut Religiosus 260
tutò in conscientia agere possit, usurpando & retinendo res quasdam tam licitè quàm validè, juxta omnes D. D. requiritur Superioris licentia. Sed qualis? hinc quia frequens occurrit de ea ratio agendi, & præsumendi, exsplicatione opus est. Triplex itaque assignatur licentia, expressa scilicet tacita, & præsumpta. *Expressa* habetur, quando Religiosus Superiorem accedit, & ab eo licentiam petit accipiendi, donandi, abalienandi, vel in honestum usum expendendi

rem quamcunque pretio æstimabilem, & hæc licentia est optima, Religiosum omninò securum reddens in conscientia, faciénsque genuinum obedientiæ filium. *Tacita* est, quando vel jam petita, & universaliter obtenta fuit licentia, in qua continetur aliquid particulare, quod in universali erat contentum, vel aliquid annexum cum eo v. g. si datur Religioso. Licentia ambulandi, tacita etiam est facultas transeundi, per hortum parentum, & breviter cum eis suavissimum instituendi colloquium. 2. Tacita censetur licentia, si aliquid consuetudine Religionis receptum est. Sic Religiosi in studiis extra Monasterium versantes eleemosynas moderatas vel donationes facere permittuntur. Item habentes de voluntate Superioris aliquod peculium, ex eo quosdam libros utiles sibi comparare possunt. 3. Tacita censetur licentia, si Religiosus aliqua re temporali utitur Superiore conscio, & non contradicente. Licentia *præsumpta* est, quæ nec in se, nec in alio continetur, adeoque nec tacita nec expressa est, esset tamen expressa, si peteretur. Debet tamen præsumpta Superioris licentia ex ratione prudenti, & religiosæ disciplinæ non contraria deduci, alioquin sufficiens non erit ad honestandam actionem subditi. Sic qui licentiam obtinuit ambulandi, & implicitam cum parentibus loquendi vel cum amicis in via, non sequitur ex licentia præsumpta cum ipsis compotationem instituere posse; quia Superior prudenter non concessisset, si fuisset petita, dum aliàs difficulter, & rarò admodum ejusmodi dare soleat facultates. Hîs præmissis.

Certum est 1. Religiosum non 261
peccare contra votum Paupertatis, si habeat licentiam expressam, dummodo hæc sit justa, ita ut Prælatus concedere valeat, nam Religiosus pecuniam vel res pretiosas etiam cum Superioris licentia ad usus turpes, vanos, superfluos, v.g. in sumptuosa convivia, vestes sericas, picturas vanas &c. expendens, non excusatur à transgressione voti Paupertatis; quia Prælatus solùm dispensator bonorum Religionis, non habet à jure potestatem res in vanos usus impendendi. 2. Debet esse voluntaria, non fraude, dolo, vel metu extorta. Hinc in conscientia tutus non est, qui licentiam petit à Superiore, aliqua notabiliter tacendo, quibus expressis, licentia fuisset negata. Similiter contra Paupertatem, agit, qui ita constitutus est, ut Superiori metum incutiat, ut si dicat: *nisi hoc mihi concedatur, Religionem deseram, vel aliam ipsi infamiam, aliúdve damnum inferam &c.* Quia etsi metus voluntarium non tollat, injuriam tamen infert Superiori metum vel vim passo, à qua vim vel metum inferens in conscientia

tia cessare obligatur, & consequenter ita extorta facultate licitè uti non potest.

Certum est 2. licentiam tacitam sufficere ad excludendum proprietatis vitium, uti DD. omnes cum Angelico docent, cujus ratio est, quòd *taciti & expressi eadem sit vis*: sed habitâ licentiâ expressâ Paupertas non læditur; ergò neque lædetur habitâ licentiâ tacitâ. Potest id contingere tripliciter, uti priori numero ostendimus. Dubium oritur de licentia præsumpta, utpote quæ de facto non exstat, sed solùm creditur futura; atqui consensus de futuro facultatem nequit dare de præsenti &c. Dein ex usu licentiæ præsumptæ gravia possent oriri incommoda, quia rari essent casus in quibus licentia, si peteretur à Superiore vel mediato vel immediato denegaretur, nisi evidens esset peccatum, vel inepta petitio. Nihilominus juxta communem Theologorum

262 Licentia præsumpta, dum commodè expressa aut tacita haberi non potest, excusat à vitio proprietatis, & violatione voti Paupertatis. Proin rem temporalem accipiens, retinens, vel expendens Religiosus, modò præsumere possit Superiorem absolutè non esse invitum, etsi modus fortè displiceat, licitè agit, ita S. Th. *2. 2. q. 32. a. 8. ad.* 1. Navarr. *comment. 2. de Reg. n. 20.* & alii. Ratio est, quia præsumptio de voluntate domini sufficit, ut usurpatio rei alienæ excusetur à furto l. *inter omnes 46. §. rectè 7. ff. de furtis.* Ergò etiam eadem præsumptio de voluntate Superioris sufficit ad excusandum violationem voti paupertatis.

2. Qui probabiliter præsumit licentiam Superioris dando, vel accipiendo, is non dat, vel accipit nomine proprio, sed dependenter à voluntate illius: atqui proprietarius non est, qui accipit, vel expendit aliqua nomine Superioris, ac dependenter à voluntate ejus; ergo &c.

3. Præsumpta licentia sufficit Religioso ad dandas moderatas eleemosynas, utì expressè docet S. Thomas *cit. l. ad 1.* ergò etiam sufficit ad alia Reliioni acquirenda, ùt si Religioso à parente, vel amico donatur aureus.

4. A fortiori apud Religiosum, qui est in aliquo officio, præsumpta licentia locum habet, quin juxta aliquos est quodamodo tacita, utpote inclusa in universali voluntate Superioris pro administrando ritè officio, ad quod pertinet, ut, dum ipse commodè conveniri nequit, subdito permittat libertatem agendi reservato sibi in futurum jure ratihabitionis, ídque maximè, quando res moram non patitur, vel tanti momenti non est.

Limitatur assertio 1. *si commodè potest haberi expressa, vel tacita*, tunc non valet præsumpta. Ratio est, quia tunc habetur licentia præ- 263

sumpta,

ſumpta, quando Superior rationabiliter creditur non eſſe invitus: atqui dum poteſt haberi expreſſa, Superior creditur rationabiliter invitus, utpote qui ſæpe hanc voluntatem ſuam manifeſtat de petenda licentia, urgétque, ac deſiderat, ut ſubditi habeant majorem confidentiam, & ſic ſuum erga Superiorem animi candorem præſeferant, præcipuè ſi publicè in Capitulo dicat: *Non ero difficilis in danda licentia, dummodo etiam à me petatur, ſi commodè haberi poteſt &c.* Ergò in his circumſtantiis non cenſetur licentia rationabiliter præſumpta.

Limitatur 2. *Si abſolutè invitus* eſſet Prælatus tam quoad ſubſtantiã, quam quoad modum, ùt ſi quidem facilè daturus eſſet facultatem, ſi peteretur, rationabiliter tamen hìc & nunc exiſtimaretur, quòd nolit illam dare, niſi actu petatur, non habet locum præſumptio; quia qui præſumitur conſenſurus in alicujus rei acceptionem pro caſu, quo peteretur licentia, pro alio caſu, quo illa non petitur, non præſumitur, eandem concedere, ſed potiùs eſſe abſolutè invitus ex rationabili forſan cauſa, ne facillimè ejusmodi licentias præſumendo noxia libertas, & turpis laxitas inducatur. Ita cum Clariſs. P. Wieſt. P. Schmalzgr. *tit. cit. n.* 30. Videant igitur illi Religioſi, qui in accipiendo, & retinendo pecunias ſine actuali licentia Superiorem ſciunt abſolutè invitum, & tamen accipiunt, & retinent, quâ tatione ullam facultatem citra læſionem paupertatis evincere poſſint? Videant illi, qui expreſſam prohibitionem Superioris ſciunt, ne dapes de menſa auferant, & aliò mittant, contrarium tamen agere non deſiſtunt, qua ratione obedientiæ, & paupertatis vota tueantur? Sed

Dicunt 1. voluntas Prælati eſt prorſus indiſcreta, & irrationabilis: ergo eſt nulla. Conſ. oſtenditur. Quando Superior non ritè fungitur officio ſuo, ejus voluntas non obligat; ſed eſt nulla, quia non ampliùs cenſetur voluntas Superioris ut Superioris; atqui in multis caſibus abnegando vel reſtringendo facultatẽ indiſcretè ac irrationabiliter agens non ritè fungitur officio ſuo: ergo in multis caſibus abnegando vel reſtringendo facultatem ipſius voluntas non obligat, sed eſt nulla. m. declaratur. Prælatus reſtringit facultatem, ut ne fruſtum panis, carnis, vel piſcis ſine ipſius licentia de menſa portetur. Jubet, de omnibus à ſe œconomum interrogare. Contrarius eſt de uno hauſtu cereviſiæ, ſi licentiam non habeat Religioſus. Ipſius indiſcretio ex pallore vultûs, indignatione, iracundia, & verbis ſat gravibus, quibus in tranſgreſſores invehitur, cunctis apparet &c. 264

Reſpondent auctores Claſſici negando, aut transmittendo antece-

tecedens, quia non facilè præsumendum de Superiore, quòd licentiam irrationabiliter neget, vel indiscretè negaturus sit, si petatur ab ipso; cùm pluribus rationibus subdito occultis moveri possit, quæ denegatam licentiam cohonestent, & ab indiscretione liberent, absolvántque.

Transmisso autem, imò concesso casu, quòd Superior imprudenter licentiam neget, vel negaturus credatur, malè infertur, quòd ipsius voluntas sit nulla; vel quòd non suo fungatur officio. Imò quia tunc eo ipso fungitur suo munere, absolutè negando licentiam, malè infertur: *Prælatus indiscretè negat Religioso licentiam disponendi: ergò Religiosus habet licentiam disponendi.* Sicut malè infertur, eum, qui voto castitatis obstrictus est, posse ducere uxorem, dispensatione obtentâ, quando hæc eidem imprudenter, & præter morem negatur. Ita Clariss. P. Schmalzgrueber. *tit. 35. de statu mon. §. 1. n. 34.* Certè, si Prælatus iracundè, atque ideò indiscretè præcipit aliquid, quod est juxta regulam, non absolvitur Religiosus ab obedientiâ: ergo nec absolvitur à paupertate servandâ quoad usum alicujus rei, quamvis usum illius imprudenter, ac indiscretè neget Superior. Ex his patet Rmò. ad casus relatos. Nulla enim est indiscretio præcepti, de non deportandis è mensa cibis, quando subditi Religiosi nullam discretionem in his servârunt, & etiamnum servare nolunt modum, unde clarè apparet justitia mandati, & mala objectio subditi. Quòd sit contrarius de haustu. extra tempus, ratio disciplinæ conservandæ jubet, ne passim contra Regulam *c. 3. n. 2.* agatur, & claustrum popina fiat, dum aliqui absolutâ facultate abuterentur ad destructionem propriæ sanitatis, & ruinam disciplinæ regularis, aliorúmque scandalum. Cæterùm si Prælatus suis ministris, & officialibus administrandi facultatem ita restringat, ut mediastinorum more à nutu ipsius pendere debeant, omnino eum indiscretè agere, nemo negat, nec videtur, posse talem Prælatum licentiam, tacitâ vel præsumptam ab officialibus aufferre, nisi in gravioribus quibusdam negotiis, quia aliás nullus sine peccato, aut vix in tali munere remanere posset, proin in isto casu eo se abdicare deberet, nec teneretur obedire, cùm præciperetur ultra Regulæ severitatem, ut constat ex dictis §. priori n. 259.

Dicunt 2. Religiosi ejusdem S. Ordinis in uno loco non debent 265 esse deterioris conditionis, quàm in altero; atqui in illo Superior facilè in quibusdam expressam concedit licentiam accipiendi v. g. pecuniam, eámque retinendi & in honestos usus expendendi, vel contentus est cum licentia tacitâ: ergo etiam in altero loco eadem li-

licentia valebit, cùm uni concessum etiam censeatur alteri concessum, ne sit nimia unius Religionis difformitas ex difformi Superioris genio.

R. ad M. quoad communem Regulæ & Statutorum observantiam c. M. quoad omnia, & particularia alterius Monasterii n. M. nam in S. Ordine nostro, ubi unus Prælatus non subest ordinationi alterius Superioris nisi Episcopi, potest unus Prælatus in suo Collegio cum majori rigore à suis exigere observantiam paupertatis tum propter zelum disciplinæ regularis, tum propter defectum temporalium bonorum, quæ, ne in vanos & inutiles usus à quovis pro suo libitu impendantur, solertiori cura sunt conservanda, quàm in alio ejusdem ordinis Collegio abundantiore. Proinde Religiosus Canonicus non potest argumentari à paritate alterius Collegii, quia sui, non alterius stabilitatem professus, suo, non alteri Prælato obedientiam juravit. Ex argumento id solum probari videtur, Prælatos debere discretionem Canonico Ordini convenientem attendere, atque moderatam suis filiis utpote *non sicut servis sub lege, sed sicut liberis sub gratia constitutis* præscribere regulam, quoadusque pecuniarum, aliarúmque rerum acceptio, & retentio se se extendere debeat, ut paupertatis votum non violetur, suam quoque voluntatem expressè subditis intimare, in quibus casibus *expressam* velit habere licentiam, ut illi tutò agere possint. Id ipsum præcipuè statuendum est Officialibus, ut ipsis continuò cum magna molestia acutum præsertim, & severiorem Prælatum accedendi, & de quolibet particulari dispositione ab eo quærendi ansa, paupertatísque violendæ periculum dematur. Hujus objectionis occasione hìc tacere nequeo prudentem constitutionem Reverendissimi Præsulis nostræ Canoniæ Beyrbergensis Simonis Pauhofer, de quo sequentia Chronicon annotat. *Votum paupertatis tam ipse in se, quam quoad suos strictissimè custodivit. Canonicis suis Ingolstadii studentibus non permisit pecuniam, à parentibus, vel aliis donatam, ad liberam omnimodam dispositionem eorum, sed debuerunt eam consignare ociùs P. Regenti, & pro usu rogare ab eo licentiam. Dum verò illi replicabant, reliquos Religiosos strictioris Ordinis in eadem Academia apud se habere pecuniam, neque aliud peti à suis Superioribus &c. respondit, dispositionem suam aliis non præjudicare. &c.* Qualis responsio etiamnum ab aliis dabitur, si similis fiat objectio.

Quæres 1. an licitum sit Religiosis habere peculium ex Superioris licentia? 266

R. Cùm peculium duplex sit, unum *juris perfecti* cum facultate de eo liberè disponendi independenter ab alio, alterum *juris imper-*

fecti

facti possessionem, vel detentionem, & dependentem ab alio usum tribuentis, certum est, peculium *juris perfecti* repugnare voto Paupertatis. De peculio secundo modo æquè certum est ante Concilium Tridentinum apud Religiosos fuisse in usu præsertim nostri ordinis, uti suo loco ostendetur. Dubium est proinde, & status quæstionis, an post Concilium Tridentinum valeat. Nam hoc *sess. 25. c. 2. de Reg.* Ita statuit, *ut deinceps nemini Regularium, tam virorum, quàm mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquisita, tanquam propria aut etiam nomine Conventûs possidere, vel tenere, sed statim ea Superiori tradantur, Conventuique incorporentur.* Neque putandum, hoc S. Synodi decreto solum antiquum jus declaratum, sed verè novum constitutum esse, patet ex NB. verbis, *ut deinceps nemini possidere liceat. &c.* ita *Suarez, Vasq. Less. Fagnam.* & alii *apud P. Schmalzgr. cit. tit. §. 1. n. 14.* ubi fatetur tamen consuetudine jus hoc S. Concilii multùm temperatum esse, cùm passim Superiores Religiosis suis non tantùm extra, sed etiam intra monasterium degentibus concedant peculia ad usus necessarios, & honestos impendenda, uti observat Palao *punct. 7. n. 6. tract. 16. d. 3.* Igitur etiam post Concilium Tridentinum admitti potest peculium, cujus merum *usum facti* dependentem à voluntate Superioris Religiosus habeat. Ratio est, quia peculium istud non possidetur nomine proprio, nec independenter à voluntate Superiorum: ergò non militat contra votum Paupertatis, nec Religiosus propterea fit proprietarius, sicut voti hujus violator non est, qui ex licentia Superiorum accipit, & detinet pecunias, &c.

Sed quid statuendum de vitalitio, seu annuis præstationibus cuidam Regulari assignatis? pro cujus quæstionis declaratione sit casus. 267

Petrus Canonicus Regularis professus à sua matre sexcentos accepit florenos, quos illa certo cuidam prædio adjecit cum onere præstandi annui censûs, scilicet 30. fl. Istos proin suo filio legavit ad dies vitæ pro honesto, & licito usu ita, ut post obitum Petri jus exigendi annuum censum, vel repetendi totum capitale Ecclesiæ, ubi professionem deposuit, remaneret. Prælato loci piæ matris dispositio fuit intimata, qui etiam consensum eatenus dedit, ut annui isti redditus aut sibi aut communi capituli ærario infererentur, unde Petrus pro necessitate, & exigentia ex licentia Superioris aliquid promere, & expendere valeret.

R. Nihil deesse, quo minùs istud peculium Petri possit habere locum citra læsionem Paupertatis, quia

quia habet omnia requisitata tamà jure, quàm à communi praxi, & decretis sacræ Congregationis nihil difforme. Nam ista vitalitii præstatio est regulata, ut pecuniæ detineantur in deposito, vel arca communi ipsius Collegii, atque exinde Religiosus à manu Superioris eas percipiat, erogaturus in religiosos, & honestos usus de quibus Superior possit inquirere, id denegando, quoties ii non videntur congrui, & honesti. Atque in hoc sensu vitalitium sive redditus quarumdam Monialium S. Congregatio Episcoporum & Reg. *in Neapolitana 7. Aprilis. Anno 1707.* confirmavit. Cùm enim duæ Moniales Conventûs SS. Trinitatis Neapolis obtinuissent à S. Congr. Episcoporum indultum, ut possent recipere annuam præstationem scutorum 200. à parentibus solvi promissam, ita tamen, ut Superiorissæ, seu Depositariæ traderetur, eroganda ab ipsis Monialibus pro earum indigentiis, sive aliis usibus piis sibi bene visis, reclamantibus contra indultum hoc reliquis Monialibus, tanquam læsivum vitæ communis, & Constitutionum Conventûs, eadem S. Congregatio rescripsit, *servandas omninò esse Constitutiones, non obstante indulto.* Sequitur ergo Vitalitium tunc primum Regularibus illæso Tridentino decreto concedi posse, quando observabuntur sequentes conditiones. 1. Ut illud fiat cum licentia Prælati Regularis. 2. Ut redditus hujusmodi cum aliis bonis Conventûs incorporentur, ac Superiori tradantur, qui eos per se, vel per Officiales ordinarios administret. 3. Ut ille, pro quo relicti sunt, in iisdem nihil sibi juris vendicare possit, & Superior, quamvis deceat, ut inde primùm necessitatibus illius, cujus intuitu relicti sunt, provideat, liberè tamen in alios usus eosdem expendere, & Religiosi necessitatibus aliundè providere possit. Quare cùm istas omnes conditiones in delegato peculio Petri contentas videamus, admittendum omnes DD. æstimabunt, in quo nullum, quem sciam, adversarium conspicio, nisi fortè ipsum *Petrum,* si contra hoc jus, & suavissimum legatum suæ matris reclamaret, & heroica virtute cuncta relinqueret ad communem suorum Canonicorum usum, ne quid ab aliis speciale, quod omninò refugit, & speciosum habere succenseatur. Videantur Auctores apud Clariss. P. Schmalzgrueber *l. c. n. 16.*

Deduces 1. malè agere Prælatos, 168 qui ejusmodi peculii plenam administrationem, possessionem, ac retentionem Religioso concedunt, cùm isthæc licentia apertè pugnet contra Concilium Tridentinum suprà citatum, ubi signanter hæc: *Nec deinceps liceat Superioribus bona stabilia alicui Regulari concedere etiam*

etiam ad usum fructuum, vel usum, administrationem, aut commendam. Administratio autem bonorum, Monasteriorum, seu Conventuum ad solos officiales eorumdem ad nutum Superiorum amovibiles pertineat.

Clarè igitur constat Superioribus ademptam esse facultatem dandi licentiam Religioso subdito, ut peculii seu annuæ præstationis administrationem, retentionem, & possessionem ipsemet gerat, & usum illius quodammodo independentem habeat, nisi ipsemet fortè esset Superior intermedius, vel officialis, qui, sicut aliorum deposita conservaret, ita & suum hoc modo dependenter à voluntate Prælati retinere posset. Quòd si officialis esse cesset, ejusmodi peculium suo successori extradere tenebitur. Interim tamen contra Concilii mentem non est, in quibusdam casibus Superiori perspectis notabilem quantitatem sui depositi sive peculii ad tempus subdito concedere, ita tamen, ut ad quemvis nutum Superioris totius quantitatis restitutio fieri possit

269 Deduces 2. Non benè agere illos Prælatos, qui suis Religiosis annuatim v. g. 30. vel 40. vel 50. florenos nostræ monetæ pendunt, & distribuunt cuilibet, ut isthac summa pecuniæ quilibet vestitum sibi pro exigentia procurare possit, atque hoc modo Prælati à quærimoniis subditorum simul, & à solicitudine indumenta subministrandi liberentur. Ratio est, quòd hoc modo contra expressam Concilii Tridentini constitutionem, *administrationem*, & *usum independentem* Religiosis suis attribuant. Dein in magnum laxitatis periculum regularem disciplinam conjiciunt, cùm non omnes æqualis sint genii; unus quidem intentionem Superioris assequitur pro honesto ordinis habitu sibi procurando ejusmodi pecuniam expendens. Alter fortè minus indigens ad extraordinarios haustus, itinera, & clandestina convivia impendit concreditam sibi indumentorum pecuniam. Tertius nimiam commoditatem, pretiosiores vestes, de subtiliori panno indumenta, extraordinarium ornatum, & vestimentorum modum quærit, ut adeò nulla æqualitas religiosi habitûs sive quoad substantiam sive quoad modum servetur. Quæ omnia, si ritè perpendantur, non nisi singularitates, & noxias laxitates in S. cœtum introducere ad ruinam religiosæ disciplinæ, nemo non videt. Certè, si id contingat in S. nostro Ordine expressè militat contra essentiam, & regulam illius. 1. quidem, quia profitemur Apostolicam originem, quid autem SS. Apostolis solemnius erat, quàm *nihil habere proprium sed omnia communia? ut distribueretur unicuique, sicut cuique opus erat?* ut patet ex actis Apostolorum. 2. Contra Regulam magni Augusti-

 ni

ni evidenter militat ejusmodi pecuniarũ distributio, cùm in primo statim capite hunc singularem modum rejiciat S. P. N. econtra statuit, ut *distribuatur unicuique vestrum à Præposito vestro victus & NB. tegumentum non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes, sed unicuique sicut cuique opus fuerit.* c. 4. jubet, ut *non sit notabilis habitus.* c. 7. ex ratione paritatem facit, ita communitatem quoad vestes, sicut quoad mensam servandam esse. *Et sicut pascimini ex uno cellario, sic induamini ex uno vestiario. Et si fieri potest non ad vos pertineat, quid vobis induendum pro temporis congruentia proferatur &c. ut nullus sibi aliquid operetur &c.* Quæ omnia clarè contra istam ordinationem, militant &c. atqui Prælati non possunt quidquam in Regula mutare, vel contra eam agere: ergo etiam non possunt ejusmodi distributiones pecuniarias introducere, vel permittere sine auctoritate summi Pontificis (qui solus religiosarum regularum rigorem mitigandi, vel aliquid immutandi potestate, sibi reservatâ in illarum approbatione, gaudet) vel sine ordinarii præscitu, qui tamen rationibus, & causis benè discussis pro necessitate exigente, & ad tempus tantùm istud permittere, & in casu, summi Pontificis mentem declarare potest, non autem absolutè concedere, ut tales distributiones contra Regulam, contra Regularem disciplinam, contra communem consuetudinem, contra expressa etiam statuta localia, contra laudabilissimum Canonici Ordinis morem introducantur. Certum proinde est, Prælatos permittendo tales distributiones evidenter peccare mortaliter tum propter immutationem Regulæ, tum propter votum Paupertatis, tum etiam propter ingens periculum destruendæ disciplinæ. Nisi ergo evidens sit necessitas (v. g. dum totum aliquod collegium conflagraret, & sic usque ad ædificationem aliò migrare Canonici compellerentur) vel ingruens egestas &c. non potest sine gravi peccato simile quid fieri, & Religiosi Canonici æquè peccant contra votum Paupertatis accipiendo, quàm eorum Prælati concedendo.

Quæres 2. quænam quantitas requiratur ad constituendum peccatum mortale contra votum Paupertatis? 270

Ante responsionem notandum est, quòd communis DD. sententia sit apud *Joan. de la Cruz. de stat. Relig. l. 1. c. 3. n. 1. Pelizar. tract. 4. c. 2. n. 254. Palao tract. 16. de Disp. 3. p. 20. n. 2. & alios*, illam quantitatem requiri, & sufficere ad mortalem transgressionem voti Paupertatis, quæ requiritur, & sufficit ad constituendum peccatum mortale furti in homine sæculari. Et ratio conveniens hujus comparationis est, quia vitium proprietatis

tatis duplicem involvit malitiam subinde, unam furti, contra justitiam quatenus Religiosus invito Domino aufert rem alienam, spectantem ad communitatem, quæ est domina bonorum monasterii. Altera malitia est *sacrilegii* contra virtutem Religionis, ad quam spectant vota. Qui sectantur Regulam S. Augustini evidenter debent amplecti hanc sententiam, quam ipse S.P.N. docuit, & in *Reg. c.*6.tradidit,Religiosum proprietarium *furti judicio* condemnandum esse: *quòd si aliquis rem sibi collatam celaverit, furti judicio condemnetur.* Invaluit proin non solùm apud Canonicos Regulares ob clarissimum Regulæ textum, sed etiam apud alios Theologos, & Canonistas hæc Regula universalis,quòd *gravitas peccati contra Paupertatem à gravitate furti sit desumenda.* Ast hoc opus, hic labor in designanda materia furti, ubi valde diversæ sunt sententiæ quas hic recensere extra forum nostrum est. Regula communis est, si aureus auferatur etiam ditissimo, quòd committatur peccatum mortale. Econtra, si opifici tantum furtô tollitur,quantum pro se, & sua familia sustendanda per diem sibi necessarium est, æquè grave peccatum furti committitur. Hinc Navarrus noster *in Man. c.* 17. *n.* 4. putat, ad peccatum mortale furti sufficere medium regalem, seu nostrates crucigeros quatuor. Valentia *to.* 3. *disp.* 5. *q.* 10. *p.* 3. opinatur sufficere tres regales seu crucigeros nostrates 24. quia Navarri tempore medio regali sive 4. crucigeris plebejus opifex honestam per diem sustentationem sibi comparare,poterat sicut Valentiæ temporibus in Hispania tribus regalibus,idest 24. crucigeris.

Ex hac doctrina arguunt D.D. quantitatem sufficientem ad grave furtum,etiam sufficere ad constituendum peccatum mortale contra votum Paupertatis. Hinc scribit auctor quidam nostri Ordinis, si Religiosus in Germania superiori, scilicet in Suevia, & Bavaria medium florenum proprietatis vitio usurpet, vel rem usu consumptibilem sive inconsumptibilem, medio floreno constantem sine Superioris licentia alienet, & consumat, peccatum mortale contra Paupertatem committere. 271

Ast plurimis nimis dura visa est hæc sententia,cùm Religiosus non *sicut servus sub lege, sed sicut liber sub gratia constitutus*, tanquam Filiusfamilias aspiciendus sit. Hinc scio, in Religionibus longè strictioris observantiæ statutum esse integrum florenum, qui si absque licentia Superioris retineatur, & expendatur, grave peccatum contra Paupertatis votum constituit. Porrò adhuc sunt alii laxiores, ut adeò certa designatio quantitatis planè difficilis sit, & à locorum

Præ-

Prælatis suis subditis determinari debeat pro cujuslibet Canoniæ exigentia. Denique cum Clar. P. Friderico Inninger hæc pro responsione doctrina sit.

272 Religiosus vel accipit aliquid ex bonis monasterii, vel ex bonis exterorum? si primum, tunc vel solùm accipit ad usum non consumptivum, vel consumit? item vel accipit ea, quæ aliàs Religiosis ad necessarios usus dari solent, vel alia extraordinaria? Si extraordinaria accipit, & consumit, tunc ea quantitas sufficit ad peccatum mortale, quæ sufficit in furto, quia talis acceptio est verè furtum. Cùm autem Religiosi habeantur à Religione ut filii à Patre, ideò sicut maior quantitas requiritur ad furtum filiorum, ita etiam major aliquantò ad furta Religiosorum præsertim in esculentis, in quibus Religio non solet esse tam invita quoad substantiam, quàm in pecunia, in cujus furtiva acceptione est omnium consensu maxima turpitudo. Si verò propria auctoritate Religiosus sumit sibi ea, quæ aliàs ab officialibus pro singulorum necessitate dari solent, & debent, requiritur utique adhuc longè major quantitas ad peccatum mortale. Si autem præcisè accipit ad usum non consumptivum v. g. libros è Bybliotheca, adhuc major quantitas, quia in his non debet spectari valor rei, qua quis utitur, sed solùm valor ipsius usûs, qui ùt plurimùm solet esse modicæ æstimationis. Faciliùs tamen noxam gravem incurret Religiosus, si bona monasterii externis v. g. libros comodat sine licentia Superioris propter periculum jacturæ.

Quòd si denique Religiosus ab externis aliquid accipit, & quidem cum usu juris irrevocabilis, tunc res statim acquiritur monasterio, adeoque eodem modo discurrendum erit de his, sicut de aliis bonis ex monasterio acceptis. Si verò accipit rem ab externo ad usum revocabilem, tunc denuò longè major quantitas requiritur ad peccatum mortale, quàm quæ sufficit ad furtum grave, præsertim si quis accipit ad usum non consumptivum. Quænam autem illa sit quantitas, non potest universali regulâ determinari, sed pendet ex circumstantiis, dissolutione disciplinæ, scandalo exterorum, inopia, vel copia dantis, frequentatione actuum, denique ex arbitrio viri prudentis.

Pœnæ proprietariis infliguntur. 273
1. Privantur Sepultura Ecclesiastica c. Monachi, & c. super quadam de statu Monach. 2. Olim à Conventu fuerunt expulsi, nunc autem jubentur detrudi in carcerem. c. fin. de Reg. 3. Privantur voce activa & passiva per biennium, aliisque pœnis juxta Religionis constitutiones plectuntur. Ita Trident. sess. 25. c. 2. de Regular. ubi no-

notandum, iſtas pœnas non incurri ante ſententiam Judicis. 2. Eas pœnas ſtatutas eſſe non cuicunque vitio proprietatis, ſed ſolùm retentioni, & hinc etſi Religioſus convinceretur, accepiſſe ſine licentia, vel acceptum expendi, niſi tamen convictus fuerit retinere, prædictis pœnis non ſubjacet. Ita Sanch. Laym. Palao. Schmalzgr. l. c. n. 40. Hoc de tribus votis in ſpecie.

VINEA SEPIBUS TRIBUS CIRCUMDATA.

BEnè illuminatiſſimus Doctor noſter Sacrum Canonicum Ordinem veluti *vineam* electam ſub allegorica figura repræſentatam demonſtravit, quæ, ſi *ſepibus* ſuis careat, brevì à vulpibus & apris exerminanda eſt. Unde conqueritur ſponſa *Cantic* 2. & gemebunda petit: *capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.* Sed quales *ſepes* oportet ſtruere, ut ſylveſtres apri arceantur, ne demoliantur pulchrè florentem *vineam*, id eſt, S. Religionem? Reſpondet Legislator noſter, *ſepes* ejus eſſe *vota Paupertatis, Obedientiæ, & Caſtitatis*, quibus circumvallatam non inimicus, non beſtiæ infernales, non mundanæ machinæ ſubruent. Audiamus verba S. Plantatoris *ſerm. 29. de vita ſolit. tom. 10.* „Hæc eſt vinea illa fertilis, quam „plantavi anno ætatis meæ trigeſi- „mo tertio, veluti ſervus Dei Noë, „quam cupimus tota mente, Deo „duce, ſanctis exemplis, & ſancto- „rum documentis ornare, & or- „natam taliter cuſtodire, ut à ne- „mine tranſeuntium poſſit vinde- „miari, nec aper de ſylva poſſit „eam exterminare, nec alieni poſ- „ſint diripere labores ejus & fru- „ctus. Hoc eſt illa *vinea*, quam „plantavi velut Pater familias, „quam *ſepe Paupertatis, Obedientiæ &* „*Caſtitatis* circumdedi, ad quam ve- „lut Pater-Familias exiens primo „manè vos conduxi operarios, ut „afferatis fructum quinquageſi- „mum, ſexageſimum, & centeſi- „mum ſecundùm abundantiam „gloriæ JEſu Chriſti. Hæc eſt il- „la norma Apoſtolica, virga dire- „ctionis, & æquitatis, quæ tempo- „re Apoſtolicæ prædicationis „ſumpſit exordium, quorum ani- „ma una, & cor unum erat in Do- „mino nec quidquam eorum, quæ „poſſidebant, aliquid ſuum eſſe „dicebant, ſed omnia erant „communia, diſtribuebatur ſin- „gulis, prout cuique opus erat. „Hæc eſt *vinea* ſervi Dei Noë, in „medio Paradyſi ſiduata, Chriſti ſan-

„sanguine redempta & irrigata, „quam Sarabaitarum Principes, „hæreticorum pastores velut apri „de sylva tempore illorum mag„norum Monachorum & Eremita„rum Pauli videlicet & Antonii de„struere quæsierunt &c. Qui igitur religiosos limites vigilanti custodit cura, *votorum* juratorum *sepes* validè conservat, Religionem quoque Sanctè custodit, ut dilecta *vinea* uberes producat fructus, nec unquam usque ad felicitatem paradysi florere desinat. Atque hæc causa fuit, quòd toties spiritualis *vinea* restaurata, novis quodamodo *sepibus* circumvallata & arctiùs limitata fuerit à Colonis, viris scilicet zelosis & spiritualem antiqui Ordinis decorem æmulantes.

Unum hic afferimus magni P. N. æmulatorem, & eximium illius vineæ cultorem Arnulphum scilicet, qui rectè à nobis dicitur *Rufus redivivus*. Nam sicut iste Christi discipulus, Avenionensium Apostolus, Pontifex primus, Cleri ad normam apostolicam informator, gentilium Doctor, fidelium Pastor; ita ille Canonicæ Restaurator disciplinæ, labantis fulcrum Regularis Cleri, & fulciti propagator, non gentium quidem, at gentiliter viventium Christianorum è suggestu, & sacro tribunali insectator acerrimus. Cùm exorto sæculo decimo Cathedrales Avenione Canonici (adeò nil sub cœlo stabile, nec quidquam nutrit in mundo plura, quàm virtus contraria, ac inde corruptiones) regularis vitæ laxari vellent vinculum, arctiori nexu quatuor illorum fuère se se vincientes ad pristinam à S. Rufo invectam, & reparatam pòst ab Africæ Magistro vivendi regulam. Ergo, ubi S. Rufi condita jacebant lipsana, prope urbem felicia sunt data reformationi auspicia: novum vetusto fano adjectum Collegium regulari florere observantia, abundare doctrinâ, bono Christi odore de bona conversatione fragrare, tantúmque undequaque virtutis famam diffundere, ut plurimos spiritualis vitæ amatores ad se pellexerit. Arnulpho dein adnitente per Gallias nedum, sed & per Italiam, & Hispaniam dilatata coaluit Congregatio. Magno numero maximi Pontifices eam summis decorârunt privilegiis. Supra 500. inferiores, paroeciales, Collegiales, Abbatialesque Ecclesiæ celeberrimam reddidêre. Quid mirum, si Congregationis tantæ è generalibus, ùt vocant, suprema mundi fuerint Capita Anastasius IV. Adrianus IV. Cardinales, plurésque Episcopi? vidit è cœlo hæc incrementa suæ vineæ S. Arnulphus, qui Honorio II. Canonici Ordinis irradiante sidere multiplicatos, & florentissimos fructus cœlo intulit.

Aliud insigne virtutis monumentum Gallia nobis offert in Reveren-

verendiſſimo Claudio du Molinet Canonico ad S. Genovefam Pariſiis. Vetus & tam nobilitate generis, quàm cum familiis d'Arcis de Moeurs, de Boucherat, & , l'Hoſpital contraxerat, illuſtris familia Catalauni in Campania illi natales contulit. Mater ex poſtrema horum familia, unde & nomen ſortita eſt, originem duxit. Pater fuit Petrus du Molinet dapifer & Præpoſitus Catalaunenſis. Miſſus Pariſios cum fratre majore natu ad ſtudia Philoſophica, iis abſolutis ingredi Ordinem Canonicorum Regularium conſtituit. In hoc eruditione, capacitate, & pietate plurimùm eminuit. Sola humilitas, ne ad alia officia ſæpius ipſi oblata promoveretur, impedimento fuit, ſed procuratoris generalis Congregationis officio remoram ponere nequivit. Qui eum noverunt, ſciunt, quàm inde alienus fuerit. Caracterem genii conſummati habuit; dulcis erat, affabilis, officioſus & beneficus erga omnes, ita ut nullus ad illum niſi votorum compos acceſſerit, in diſpenſandis laudibus ac encomiis erga neminem non liberalis; ſervire illi in deliciis erat. Ne momento quidem otioſus eſſe poterat. Laborabit in fide poſteritas tantam, quæ ſingula merentur lucem publicam, multitudinem ab uno authore emanari potuiſſe. Horum prodierunt jam aliquot, generali omnium approbatione recepta. Epiſtolas Stephani Tornacenſis in ordinem pulcherrimum redactas notis doctiſſimis illuſtravit. Hiſtoriam Pontificum numiſmaticam à Martino V. uſque in præſens perductam illi in acceptis debemus. Canonicos Sæculares duodecim reflexionibus ſuper eorum origine, totidem Canonicos Regulares ſibi devinxit. *Liber de diverſis habitibus Canonicorum, & Canoniſſarum Regularium* curioſus eſt. Edidit inſuper plures diſſertationes, ut *de Mitra veterum, de Capite Iſidis Pariſiis effoſſi. &c.* Bibliotheca S. Genovefæ nullius alterius, quàm ipſius ſollicitudine celebris evaſit: à tenera jam juventa ſe aplicuit ad retegenda omnia, quæ antiquitas recondidit. *Muſæum curioſum* ab ipſo conſtructum probat, quàm nihil ejus diſquiſitionem effugerit. Honor, quo, ut invigilaret operi P. Coronelli ratione globi cœleſtis, delectus eſt, amplitudinem ſcientiæ oſtendit. Id, quo maximè ejus commendatur meritum, conſiſtit in hoc, quòd Rex voluerit eum adhibere ad numiſmata in ordinem redigenda, nova alia, aut alios pretioſos lapides, quorum cognitionem haberet, inquirenda. Talium numiſmatum octoginta è Muſæo S. Genovefano ſuæ Majeſtati ſuppeditavit. Remuneratio regia, quæ nunc cernitur in eadem Bibliotheca S. Genovefæ, æter-

nùm commendabit liberalitatem magni Principis monſtrabítque ejuſdem complacentiam in docti hujus Religioſi ſervitiis. Mortuus eſt ad S. Genoveſam 2. Septembris Anno 1637. à ſexto morbi die anno ætatis 67. *Ex monumentis transmiſſis Gallicis.*

ARTICULUS II.

De Choro.

SUMMARIUM.

274. *Ritus pſallendi in Choro Can. Reg. ex ſuo ſtatu Clericali per ſe competit.*
275. *Unde origo divina pſalmodia, & reformatio.*
276. *Locus competens ad Horas Can. perſolvendas eſt Eccleſia vel publicum oratorium.*
277. *Certum tempus aſſignatum eſt.*
278. *Deducuntur quadam corollaria de recitatione Horarum Canonicarum.*
279. *Numerus conſtituitur quaternarius etiam ex novitiis. Reſolvitur Caſus Canonicus.*
280. *Non tamen debet à profeſſis Chorus negligi.*
281. *Attentio neceſſaria eſt ad perſolutionem Horarum Canonicarum.*
282. *Et etiam intentio, qua triplex eſt.*
283. *Generalis deductio ex priori.*
284. *Modus recitandi petit devotionem & ſtudioſitatem.*
285. *An Religioſi ſolùm profeſſi teneantur ad recitandum Breviarium?*
286. *Reſolvitur de Canonicis Regularibus affirmativè.*
287. *Modus recitandi Horas Canonicas in Choro inſinuatur.*
288. *Factum diabolicum & divinum.*

274 INter functiones ſacras, ad quas clericalis Canonicus Ordo noſter per ſe tendit, principalem obtinet locum Chorus, ſeu S. Officium, ſolemni ritu in Eccleſiis publicè peragendum; prout ad divinum obſequium Pſalmodiam ſacram in templis decantandi ritus à Catholicâ Eccleſiâ Apoſtolicis inſtitutis informatâ invectus, approbatus, & hucuſque ſtrictè obſervatus fuit, ut adeò nullus ſit, qui Canonicos, ſive ſæculares ſive regulares ſpeciali intentione ad Chorum deputatos eſſe neget. Atque hæc eſt nobiliſſima illa functio, ex inſtitutione primæva per ſe Canonico Ordini conveniens, cui animarum curâ ex eſſentiali Clericatu conſectanea, & annexa eſt

eſt indiſſolubili vinculo. Omnes etiam Cathedralium, & Collegiatarum Eccleſiarum fundationes in id potiſſimùm intendunt, ut perpetuis temporibus laudes divino Numini dignè canantur, piiſque fideles *in hymnis, & canticis ſuavè ſonantibus Eccleſiæ vocibus vehementer afficiantur*, & pariter accendantur ad devotionem. Quæ de choro ſive horis canonicis dicenda nobis obveniunt in hoc capite, ad quinque puncta reducuntur, ſcilicet unde origo, in quo loco, quo tempore, quo numero, qua intentione Horæ Canonicæ ſint peragendæ.

275 Ordinem pſalmodiæ ſi ſpectemus, variè ab auctoribus deſumitur. Sunt, qui in Deum, divinæque æternitatis gloriam referunt cum eminentiſſimo Card. Bona *de antiq. div. Pſal. c. 1. §. 2.* ubi ita proloquitur. „Deus in auguſtiſſima illa ſolitudine, antequam quidquam faceret à principio, ſe ſolo glorioſiſſimè beatus, ſe ipſum jugiter collaudabat. Omnem ſuperat creatarum mentium intelligentiam dulciſſima illa, & conſonantiſſima harmonia, qua ſe mutuo laudant in ſimpliciſſima unitate tres diſtinctæ perſonæ, Pater à nullo genitus, principium ſine principio; Filius verbum Patris, paternæ gloriæ ſplendor, omnium intelligibilium expreſſio; Spiritus Sanctus à Patre & Filio procedens, utriusque nexus & amor, fons pacis & bonitatis. Laudat autem Filium Pater, quia Deus ex Deo eſt; laudat Patrem Filius, quia ipſe eſt verbum Patris, quo ille dicit omnia, laudat Spiritum Sanctum Pater, laudat Filius, nam ex Patre Filióque procedens utriuſque amor & nexus eſt. Laudat Spiritus Sanctus Patrem & filium, qui cum Patre & Filio in ſumma & incredibili regnat unitate. O muſicam! ô laudes! ô ſupremi Seraphici Spiritus! ô excellentiſſimæ creaturæ velate alis faciem veſtram; dimittite pennas, & præ admiratione deficite ad tantam archetypæ muſicæ ſuavitatem.

A divino & æterno concentu ad Angelicum deducitur primus progreſſus, quorum voces alterna modulatione tam poſt creationem, quàm confirmationem in gratia reſonabant: *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, quos ſubſecutus protoparens Adam cum ſua poſteritate atteſtante Hugone (*credimus Deum docuiſſe Adam cultum divinum, quo ejus benevolentiam recuperaret, quam per peccatum transgreſſionis amiſerat, ipſúmque docuiſſe Filios ſuos*) orationem propagavit, & poſteris obſervandam generali præcepto ſubjecit. Athinc ad Moyſen & uſque ad Davidis pſalterium deductæ laudes divinæ, per varia Concilia inſtauratæ, & Cyrilli Alexandrini *l. 3.* temporibus adornatæ & magni Patris noſtri Auguſtini ævo in Eccleſiiis cunctis obſervatæ ſunt, ſicut indicat in ſua regula *c. 2. n. 4.* ubi in-

instruit, *cantandum non esse, nisi quod legitur esse cantandum: quod autem non ita scriptum est, ut cantetur, non cantetur &c.* Quibus verbis planè non novum, sed jam Ecclesiæ usitatum in templo Canonicas Horas solemni ritu peragendi morem antiquum indicat.

Expressiùs insinuat S. Pius V. in *Constitut. 135. apud Cherubinum* hisce verbis: *quæ divini Officii formula* (id est, modus cantandi alternatim, & respondendi, atque psallendi ordo) *piè olim, ac sapienter à summis Pontificibus, præsertim Gelasio, ac Gregorio primis constituta, à Gregorio autem septimo reformata: cùm diuturnitate temporis ab antiqua institutione deflexisset, necessaria visa est, quæ ad pristinam orandi regulam conformata revocaretur.* Hæc de origine, & continuata praxi.

276 Locus, in quo horæ Canonicæ persolvendæ sunt, est Ecclesia vel oratorium publicum, ídque adeò necessarium est, ut juxta c. *dolentes.* De celebr. Miss. & *Clemen. gravi.* eod. tit. Chorus in fundata Ecclesia canendo & psallendo publicè peragatur. Unde non sufficit, si Canonici Sæculares, vel Regulares in Capitulo, vel alio privato loco conveniant, & chorum instituant (nisi locus esset in modum cujusdam publici Oratorii, & Ecclesiæ Collegiatæ contiguus) aut quilibet privatim in Ecclesia Canonicas Horas persolvat. Similiter omnes horæ in publica Ecclesia absolvi debent, unius enim vel alterius uti & Lytaniarum majorum omissio in Choro, gravem parit obligationem, nisi gravis necessitas subesset, neque anticipari, aut simul haberi possent omnes.

Tempus, quo Horæ Canonicæ in Choro dicendæ sunt, olim ab omnibus & etiamnum à quibusdam statutum est, hora duodecima scilicet audita in nocte, ubi tunc matutinum, & laudes persolvuntur. Nunc à plerisque S. Ordinibus horâ quartâ manè instituuntur officia Choralia, & statis horis successivè persolvuntur ita, ut usque ad mensam singulæ Horæ Canonicæ (exceptis Vesperis & Completorio, quæ meridie horâ secundâ, vel tertia decantantur) Prima, Tertia, Sexta, Nona, cum solemni officio divino absolvantur. Atque hæc tempora imutare grave peccatũ est, nisi causa subsit, ut omnes Horæ Canonicæ simul peragantur. Unde Prælatus, qui consuetum tempus Horarum in Choro recitandarum commutat, vel mutari permittit, graviter peccat, præcipuè si Monasterium sit in urbe, ídque propter scandalum, quod inde oritur, & propter murmurationem populi, qui propter hujusmodi commutationem non potest divino officio, ut proposuerat, interesse. Ita *Clement. 1. de celeb. Miss.* Hoc autem intelligendum credo de mutatione simul Missæ, quæ sub Horis certis 277

Ca-

Canonicis peragi solet, non autem præcisè de Horis Canonicis.

Ex justa causa saltem licet nonnunquam post Vesperas & Completorium anticipare Matutinum cum Laudibus, sicut privatim recitantes prævenire possunt aliqua ex causa post Vesperas, scilicet post horam tertiam meridianam. Ita docet Angelicus Doctor, *quodlib. 5. a. 27.* „Circa Clericos quæsi„tum est, utrum scilicet, liceat „Clerico, qui tenetur ad Horas „Canonicas, dicere Matutinas se„quentis diei *de sero*? Respondeo di„cendum, quod hîc considerandа „est intentio ejus, qui prævenit „tempus in Matutinis dicendis, „vel in quibuscunque Horis Cano„nicis. Si enim hoc facit propter „lasciviam, ut scilicet quietiùs som„nolentiæ, & voluptati vacet, non „est absque peccato. Si verò hoc „faciat propter necessitatem licita„rum, & honestarum occupatio„num; puta, si Clericus aut Ma„gister debeat videre lectiones „suas de nocte, vel propter aliquid „aliud hujusmodi, licitè potest *de* „*serò* dicere Matutinas & in aliis „Horis Canonicis tempus præve„nire. Ad primum ergo dicen„dum, quod quantum ad Contra„ctus & alia hujusmodi dies inci„pit à media nocte; sed quantum „ad Ecclesiasticum officium & so„lemnitatum celebritates, incipit „dies à Vesperis: Unde si aliquis „post Vesperas & Completorium „dicat Matutinas, jam hoc perti„net ad diem sequentem.

Colliges ex his 1, licere extra 178
Chorum sine peccato mortali saltem, quamcunque Horam Canonicam quacunque hora diei recitare, licereque Matutinas cum Laudibus ad sequentem diem spectantes prævenire. Potest tamen subinde peccatum veniale in non observato tempore committi, ut si Vesperæ & Completorium etiam ante prandium dicantur absque justa causa. Si enim hæc adsit, licet antevertere, & communiter est consultum, si prævideantur occupationes, vel alia negotia, quæ proinde animum distrahunt, & attentionem perturbant. Lairvelz *in opt. spec. 59. in instr. 9.*

Colliges 2. Congruum esse, ut distributio temporis à privatim Horas Can. recitantibus observetur e. g. Prima ad post meridiem sine rationabili causa non differatur, sicut Vesperæ in quadragesima. Unde ordinem diurnum non observantes (sine justa causa, quæ tamen adeò gravis, & magna esse non debet, sed sufficit rationabilis) à culpa veniali excusandi non videntur, qui Vesperi solent dicere: *jam lucis orto sydere* &c. vel manè: *te lucis ante terminum* &c. utrumque inordinatum; magis tamen, quod dies totus vel ambulatione, vel potatione, vel alio non satis laudabili modo transigatur, ac demum in seram quandoque noctem

noctem Horæ Can. differantur sicque cursim recitentur potiùs, quàm devotè orentur. Aut quod adhuc pejus est, tunc primùm dicatur: *Domine labia mea aperies*: quæ certè tunc vix rectè quandoque aperiri possunt, quo facit illud Moysis ad populum: *Haccine reddis Domino popule stulte, & insipiens?* utì observat Reverendissimus Henricus Pisart Congreg. Windesimensis *in directorio Canon.* §. 5. *n.* 3.

Colliges 3. peccatum veniale committi ab eo, qui sine causa Sextam ante Tertiam, vel Vesperas ante Primam recitat, quod tamen accedente ratione peccatum nullum est, ùt si quis non recitatâ Tertiâ ingrediatur Chorum pro recitanda Sexta. Vel si quis cum alio recitet Horas Can. antequam recitavit Matutinum, dum ab altero ad Horas Can. recitandas ex charitate fuit requisitus. Similiter licet etiam ante recitatas Matutinas celebrare Missam, justâ interveniente causa, vel necessitate, quæ itidem gravis esse non debet. Nam officium Matutinum adeò non habet connexionem cum Missa, proin non videtur gravem inducere obligationem. Veniale tamen peccatum esse propter consuetudinem laudabilem hucusque ab Ecclesia observatam, docent auctores, ubi vel causa rationabilis, vel aliqua necessitas non intercedit. Soto. *l.* 10. *de just. q.* 5. Suar. *in* 3. *p. D. Th. to.* 3. *q.* 83. *a.* 5. *de disp.* 82. *Sect.* 1. contra Sylvestrum V. *Missa n.* 6. Lairvelz. l. c.

279 Numerum quod attinet ad constituendum Chorum Regularium, diversæ inveniuntur opiniones. Fuerunt, & fortè etiamnum sunt, qui autumant Chorum adeò onus esse personale professorum, quod nequeat per non professos, sive Novitios adimpleri sine justa & necessaria intercedente causa. Antequam sententiam nostram proferamus, placeat percipere casum, qui ante paucos annos hac super re contigit.

CASUS CANONICUS.

Reverendissimus quidam Prælatus Vir eximii planè zelûs, cùm disciplinæ quà regularis quà Ecclesiasticæ cultor, tum honoris divini promotor, Canonicos suos ad repetendos in Choro aliquas Horas Canonicas compulit, eò quòd tres professi (inter quos duo Sacerdotes) & tres Novitii illas Horas Sextam scilicet & Nonam peregerint. Contendebat enim, Novitios non sufficere ad aliorum Professorum numerum in Choro complendum, utpote onus Professorum personale. Dubium hoc postea variis argumentis, stabilitum,

tum, & Ritualiſtis pro parte alteſati Reverendiſſimi Domini ſtantibus, multùm exagitatum, tandem pro reſolutione ita à quodam Theologo Canonico propoſitum fuit.

Quæritur 1. quot requirantur ad conſtituendum Chorum?

Quæritur 2. an Novitii ſufficiant cum aliis Profeſſis ad conſtituendum Chorum?

Reſolutio 1. Quatuor profeſſi abſolutè ſufficiunt ad conſtituendum Chorum. Ita tenent D. D. omnes. Ratio eſt, quam benè adducit hic P. Patritius Sporer fol. mihi 90. num. 17. quia eſſentia Chori conſiſtit in alternatione decenti, ac decora cantantium; hæc autem alternatio in paucioribus quatuor nequit ſubſiſtere; & econtrà bene ſalvatur in quatuor cantantibus aut pſallentibus: ergo &c.

Si dicas, tres profeſſos, & in majoribus ordinibus conſtitutos facere Capitulum, duos verò congregationem juxta C. *nullus 1. de Elect.* cum Gloſſa in verbo *duo*: ergo etiam duo, vel tres poſſunt conſtituere Chorum? R. diſparitatem eſſe, quòd Chorus in pulchra ac honeſta viciſſitudine canentium conſiſtat, qualis decens viciſſitudo interrumpitur, nec ſalvatur, ſi ex una parte duo pſallant, ex altera Chori parte unus tantùm: è contrario ad conſtituendum capitulum 3 ſufficiunt, cùm è ſuo gremio duo conſpirare valeant ſuis votis in ordine ad caput aliquod ſibi eligendum, cui dein cæteri ſubſint; hac enim ratione in ore duorum teſtium ſatis firmiter ſtare poteſt omne verbum, & capitularis contractus.

Ratio porrò, quòd pauciores quàm quatuor ad Chorum regulare conſtituendum non ſufficiant, ab auctoribus datur, quia, ubi pauciores ſunt, ſcilicet tantùm tres, tunc iſti non obligantur ad Chorum, cùm decentia alternativa non habeatur. Ita Leander, Tambur. Gobat, & citati ibidem.

Reſolutio 2. Non requiruntur 4. profeſſi eſſentialiter ſed etiam poteſt numerus quaternarius conſtitui ex Novitiis & profeſſis ſimul. Ita tenent Leander *diſp. 6. q. 11.* Tamburinus *l. 2. in decalog. c. 5.* § 1. quibus conſentit R. P. Gobat *tract. 5. de aud. Sacro & Brev. recit. p. 1.* Theologiæ moralis mihi fol. 54. n. 698. ubi apertè dicit contra Naldum, & nonnullos *ſufficere, ſi quaternarius numerus conficiatur ex Novitiis.* Nec caret iſta reſolutio ſuis argumentis. Et quidem

Probatur 1. ad eſſentiam Chori ſalvandam ſufficit, ut ſalvetur decora ac decens alternatio cantantium; ſed in numero quaternario Canonicorum tum profeſſorum tum & Novitiorum ſalvatur decora ac decens alternatio cantantium: ergò in numero quaternario Canonicorum tum profeſſorum

ſorum tum novitiorum ſalvatur eſſentia Chori.

Si ad minorem dicas, ad eſſentiam Chori ſalvandam requiri alternationem cantantium Profeſſorum, & non novitiorum. &c.

R. Sicut novitii aliis prærogativis, & privilegiis fori & canonis, item Religionis gaudent, ita etiam nomine Canonicorum, & Religioſorum in favorabilibus veniunt: ergo quoque viciſſim S. Religio privilegiis gaudet, illos in ſuum adſcitos gremium ad ſua officia, & munia applicandi.

Probatur 2. ex praxi communi. De facto ſolent Novitii ab omnibus S. Religionibus, ac etiam à noſtra, tempore novitiatûs, applicari ad lectiones primi & ſecundi nocturni in Matutino publicè recitandas. Jam quæro, vel ſufficiunt ad iſtas lectiones recitandas, vel non? ſi dicatur, eos ſufficere. Reſpondeo: atqui Lectiones ſunt gravis, & notabilis pars Breviarii, ita, ut ſi omitterentur eæ in Choro, peccaretur graviter, nec ſatisfieret Choro, ut eſt communis ſententia D. D. ergo etiam ſufficient ad aliam partem æquè gravem, & diſtributivè ad omnes.

Si dicas non ſufficere; ſequitur communem praxin notiſſimo errore infectam hucuſque fuiſſe. Qualem gravem errorem hucuſque Reverendiſſimi Prælati, & communitates Choro adſtrictæ à multis jam ſæculis in praxi non agnoverunt, ſed proſecuti ſunt, quod dicere planè non poſſumus, pace tantorum zeloſiſſimorum Patrum. Sequitur proin, aut Novitios non eſſe inſtituendos pro lectionibus publicis in Choro recitandis aut illos ſatisfacere, atque ita procedet noſtrum convincens argumentum.

Probatur 3. argumento reflexo. Quod tres graves auctores, immò plures, ut ipſe fatetur P. Sporer l. c. in Spiritu, & doctrina ſatis ſuffulti docent, quibus inſuper ſuffragatur praxis antiqua, & moderna, illud non ſolùm practicè eſt probabile, ſed probabilius: atqui quatuor ad conſtituendum numerum cantantium in Choro ſufficere, & hunc ipſum numerum quaternarium ex Novitiis unà cum Profeſſis Canonicis (debet tamen ſaltem unus eſſe Sacerdos) conſtitui poſſe non ſolùm 3. auctores graves ſcilicet Tamburins, Leander, & Gobat, ſed etiam alii cum, & apud P. Sporer l. c. docent: ergo quatuor ad conſtituendum numerum cantantium in Choro ſufficere, & hunc ipſum numerum quaternarium, ex Novitiis, & Profeſſis conſtitui poſſe eſt non ſolùm practicè probabile, ſed probabilius: conſequenter talem ſententiam, utpotè hucuſque à S. Religionibus Choro adſtrictis abſque ſcrupulo practicatam, tutò in conſcientia ſequi poſſe, clarum eſt.

Dicis,

Dicis, aliosæquè Classicos au-ctores esse contrarios, ut videre est apud Pellizarium *Man. Reg. to.* 1. *tract.* 5. *c.* 8. *n.* 50.

Respondetur paucis, illos tutiorem habere sententiam, neutiquam probabiliorem, & praxi correspondentem. Quin sæpè aliqui exaggerant Chorum frequentandi obligationem ex pia ascesi, & ferventi zelo non argumento Theologico. Unde enim constat tanta obligatio, ut, si quandoque Sacerdotes professi in sacro tribunali festivis diebus cum confluente populo sunt occupati, per unum vel duos Professos, & tres vel quatuor Novitios peractæ Horæ Canonicæ in Choro irritæ & denuo postmodùm reiterandæ sint? planè nec constitutiones Pontificum nec Concilia, nec declarationes S. Congregationis adduci possunt, quibus Novitii ad constituendum Chorum unà cum professis non idonei, vel inutiles, vel incapaces declarantur.

Quodsi verò obstaret aliqua ratio, & à modernis aliquibus tantùm Scriptoribus contrarium acri defendatur calamo, doctrinam illorum ab ipsis S. Familiis usu nunquam fuisse receptam, evidentissimè probat antiquissima & hodierna praxis, dum Novitios jubent publicè in Choro Lectiones 6. ex Breviario recitare, quod est argumentum satis demonstrans, ejusmodi lectionibus Novitios adimplere pensum Canonicum pro aliis in Choro tacentibus, solúmque lectiones illas audientibus: cùm tamen Lectiones illæ gravis sint pars, ut omnes tenent D. D. qualis proin recitatio Novitiis concedi nunquam deberet, nec debuisset, nisi ipsi satisfacerent per talem lectionem.

Quidquid igitur alii docent, dum nunquam doctrina eorum accipitur ab iis, quos tangit, pro irrecepta habebitur. Quin si fortè alibi receptum esset dogma, non sequeretur, æquè scrupulosè debere à nobis accipi, utpotè cùm consuetudo usque huc protracta aliud longè insinuet. Docet autē cū aliis gravissimis auctoribus utriusque signaturæ Referendarius Apostolicus, & in Romana Curia versatissimus Doctor Martinus Bonacina tam *disput.* 1. *tract. de Horis Can. q.* 3. *pun.* 5. *quàm disp.* 2. *q.* 5. consuetudine, aut fundatoris institutione, aut contraria praxi consuetudinis vim obtinente in his, quæ ab Ecclesia non sunt satìs determinata, derogari, & contrarium exerceri posse. Ast ubi est illa ab Ecclesia clara determinatio, quòd Novitii cum aliis non satisfaciant penso Canonico? Ergo &c.

Probatur 4. Si Novitii non possent deputari cum Canonicis professis ad constituendum Chorum, tunc etiam non possent Sæculares, & Clerici Vicarii in Ecclesiis Cathe-

thedralibus, & Collegiatis Canonicorum locò in Choro computari pro eo constituendo: atqui minor ex praxi est falsa: ergo &c. Major declaratur. Ideo Novitii Canonici non possent computari ad constituendum Chorum cum aliis professis, quia non sunt professi Canonici habentes vocem in Capitulo, & stallum in Choro: sed hæc ratio æquè militat pro personis Sæcularibus, & Clericis Vicariis in Ecclesiis Cathedralibus & Collegiatis: ergo &c.

Nec obiicias, velim, Canonicos sæculares aliquid remittere de annuis pensionibus suis, & partem detrahere ex intentione, ut ejusmodi Vicarios in Choro alant, qui suorum locò officium peragant in dictis Ecclesiis &c. Nam etiam ipsa Sacra Religio ex hac ipsissima intentione Novellos Canonicos suscipit ad novitiatum; ut Chorus aliàs debita numerositate destitutus, decenter & ornatè per hos unà cum professis peragatur.

Fatetur insuper R. P. Gobat l. c. diversum vigere in diversis Ecclesiis Chorum peragendi modum, signo satìs manifesto, nullam in universali Catholica Ecclesia decisam esse sententiam de hac obligatione, quòd Novitii non sufficiant ad constituendum Chorum cum aliis professis. Proin altefatus Reverendissimus Prælatus Horas jam semel legitimè in Choro recitatas repetendas mandare non debuisset.

Ex ista resolutione autem neutiquā probari volo, quòd Prælati absque peccato permittere possint, ut quotidie professi passim Chorum negligant, & Novitiis solis tam nobile Officium relinquant. Esto enim quatuor vel quinque, quibus Novitios ad numeres, ad rigorem Chori sufficiant, & ritè, aliis aliundè occupatis, persolvant pensum Canonicum, probabile tamen est, plures requiri ad constituendum Chorum ex obligatione, ut scilicet cum aliquo decore alternatim psallatur, & cantetur. Unde in numerosa communitate, ubi v. g. sunt 20. Religiosi Chorales, si frequenter tantùm quatuor, vel quinq; cum Novitiis Chorum peragerent, obligationi suæ minimè satisfacerent, neque à gravi peccato excusandi forent. Prout notant *Pellizarius, Tamburinus & alii apud Gobat* citati. Quia teste *Bordono*, & *Hyacinto Donato* servitium Chori adeò est onus personale professorum, quod sine justa, & necessaria causa non potest impleri per non professos scilicet Novitios, quod intelligendum tamen est de toto officio, & Horis Canonicis omnibus, ac singulis diebus. 280

Denique requiritur attentio, quæ duplex est, interna & externa. Non enim est oratio, sive in Deum elevatio, ubi nulla est mentis 281

tis attentio, sed inanis vociferatio, quia si cor non orat, in vanum lingua laborat, hanc attentionem pulchrè S.P.N. in S Reg. notavit dicens: *psalmis & hymnis cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in ore.* Quatuor autem modis potest quis attendere, ex quibus unus sufficit, ut præceptum adimpleatur: 1. ad verba, ut distinctè & reverenter proferat, non unum pro alio confundendo. 2. Ad sensum verborum, mentem & affectum applicando ad id, quod significatur verbis. 3. Ad rem, vel gratiam, quam quis à Deo flagitat. 4. Ad Deum, vel JESU Christi passionem, cujus mysteria ad singulas Horas distributa sunt, vel ad Sanctos, ad quos oratio dirigitur, dum eorum festa ab Ecclesia celebrantur cum intentione laudandi Deum in Sanctis suis &c.

Prima attentio vocatur *superficialis*, altera *litteralis*, tertia dicitur *spiritualis*, quarta appellatur *spiritualis affectuosa*, & *optima*: Cùm igitur septennarius Horarum Canonicarum numerus à SS. PP. Dominicæ Passionis Mysteriis approprietur, placet versus mysteria decantantes hic apponere, ut memoriæ faciliùs recurrant, dum quis accedit Chorum.

Hac sunt septenis, propter qua psallimus horis,
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat,
Prima replet Sputis causam dat Tertia mortis.
Sexta cruci nectit: latus ejus Nona bipertit,
Vespera deponit: tumulo completa reponit.

Attentionem comitari, aut præcedere debet intentio vel *explicita* vel *implicita*, *formalis*, *actualis*, vel *materialis*, *virtualis* vel *habitualis*: cujus multiplicis exsplicatio ex alibi dictis desumi potest. Communissima DD. Theologorum, & Canonistarum fert Sententia, quod Officio divino adstricti teneantur illud persolvere cum intentione formali Deum colendi, & orandi generaliter. Non tamen necessariò *explicita*, & *actualis* requiritur, sed saltem *implicita virtualis*, vel *habitualis* sufficit, si Chorum quis accedat unâ harum intentione nomine Ecclesiæ, & pro Ecclesia Horas Canonicas persoluturus; quia hac intentione Horas Canonicas persolvens ita satisfacit obligationi suæ, sicut audiens Missam die festivo satisfacit præcepto Ecclesiæ. 282

Ex ista generali & communi Sententia diversi casus resolvi possunt circa recitationem Breviarii occurrentes. Unum præ aliis tibi affero. V. g. Matutinum ex mera devotione, vel charitate cum infirmo, aut hospite recitâsti, nullo modo intendens per hoc satisfacere obligationi, immò cum proposito, obligationi per novam recitationem satisfaciendi. 283

Postea reflectis, te cum vera intentione recitâsse, planè non teneris repetere; quia satisfecisti præcepto, nec est in potestate tua obligationem præcepti jam impleti prorogare, nisi ultrò velis. Ita *Suarez, Sanchez, Bonacina, Palao, di-castillo, Layman, Gobat, Sporer. l. c. n. 62.* Quod ita verum est, ut etiamsi expressam intentionem feceris, te nolle satisfacere per illam recitationem, nisi speciale votum novæ recitationis emisisses. *Gobat. l. c. n. 621. & 843.*

284 Attentionem, & intentionem sequitur modus recitandi Horas Canonicas, & duo includit, scilicet, ut devotè & studiosè peragantur; sic enim Innocentius III. in c. *dolentes. Districtè præcipit in virtute S. Obedientiæ, ut divinum officium nocturnum pariter, ac diurnum, quantùm illis Deus dederit, studiosè celebrent, & devotè.* Ubi glossa addit. *Studiosè quoad officium oris. Devotè quoad officium cordis.* Significat autem *devotio* cordis internam mentis affectionem cum intentione, & attentione conjunctam. Per *studiositatem* verò intelligitur seria quædam cura, & solicitudo in peragendo divino officio, qualis aliàs in aliquo negotio serio solet adhiberi. Negativè proin isthoc præcepto affirmativo prohibetur omnis incuria, negligentia, & perfunctoria recitatio Horarum, ita, ut si gravis esset ejusmodi negligentia, & deordinatio valde notabilis, gravis quoque culpa contraheretur, nec consequenter satisfieret intentioni Ecclesiæ, ut omnes DD. conveniunt.

Quæres, an Religiosi professi sub peccato mortali teneantur ad Horas Canonicas extra Chorum recitandas, quando non sunt constituti in ordinibus majoribus? 285

R. Omnes Religiosos professos ad Chorum destinatos teneri vel publicè, vel privatim pensum Canonicum persolvere. Ita omnes. Non quidem ex ullo jure scripto communi, cum nullum exstet, neque ex aliqua consuetudine generali omnium ordinum, prout *Tannerus* contra *Layman* sexcentis instantiis probari, & demonstrari posse docet; nam tam arctum inter Religiones invicem non est vinculum, ut quod placuit antiquioribus, probari etiam debeat posterioribus, sed permittitur quælibet in sensu suo abundare. Consequenter genuina hujus obligationis causa aliundè petenda, & ex specialibus statutis, consuetudinibúsque cujuslibet Religionis in particulari deducenda est. Ita comunissima D. D. sententia est. De fratribus minoribus S. Francisci vix dubitare licet, quia Regula ita habet. *Clerici faciant divinum officium secùndum ordinem S. R. Ecclesiæ ita P. Sporer. l. c. in n. 13. Paramuel in Theol. Regular. disp. 100. & 103.* Negat suos Cistercienses sub peccato mortali obligari ad officiū canoni-

nicũ, nisi mandante Abbate. Sed etiã hæc opinio pluribus viris piis, & doctis ejusdem sanctissimi instituti displicuit. *Ascanius Tamburinus de jure Abbatum tom. 2. disp. 10. q. 1.* Non ambigit suos Monachos Vallis Umbrosæ teneri ad recitandas Horas Canonicas. Rdmus. Lairvelz in sua *optica reg. spec. 58.* Canonicos Præmonstratenses non teneri ad easdem clarè demonstrat; quia in suo ordine (uti inquit) nec legem, & regulam, nec statutum ullum invenire est, quo ejusmodi obligatio probaretur. Neque etiam ex consuetudine Præmonstratenses extra chorum privatim recitare Horas Canonicas obligantur, cùm potiùs ex immemoriali Ordinis consuetudine contrarium pateat. Accedit, quòd ratione professionis ad id cogi non possint, aliàs non solùm Choro addicti, sed etiam conversi tenerentur, quod tamen omnes negant. Porrò nulla hujus recitationis in formula professionis fit mentio, & sic pluribus deducit suos Canonicos non obligari. *Cajetanus in sum. v. Hora.* dubitat de prædicatoribus, quia dubitat universim de Religiosis. Videatur desuper *Gobat tract. 5. casu*
286 *23. sect. 1. à. 568.*

De Canonicis Regularibus nunc dicendum restat, quos puto obligari ad Horas Canonicas sive in Choro sive privatim recitandas. Ratio mea est, quòd exceptio firmet regulam, & datum privilegium Prælatis nostris, vi cujus cum suis subditis in hoc dispensare possunt, clarè demonstrat obligationem à contrario. Atqui adest exceptio & privilegium, quod mox referam: ergo &c.

M. demonstratur ex Bulla *inter cæteros.* Julii II. ubi ita Pontifex: *Volumúsque, quòd qui ex præfatis Canonicis adeò Monasteriorum suorum officiis occupati, ut in Choro interesse, & officium divinum vix sine labore, & tædio dicere, ac ipsa eis ratione officiorum hujusmodi incumbentia charitatis opera implere nequeant, & qui ad divinum hujusmodi officium dicendum adeò vel non docti, vel minùs experti pro tempore existunt, dummodo in sacris non sint ordinibus constituti, licèt professionem emiserint, tamen ad persolvendum totum divinum officium integrum minimè teneantur, sed eorum Prælati habitâ suorum consideratione, ultra officium Beatæ Mariæ Virginis, ad quod obligati remaneant, juxta dispensationem eis creditam, si eorum animabus expedire videbitur, aliquid dicendum injungant, quod cum animi alacritate valeant adimplere.* Cùm igitur summus Pontifex potestatem dispensandi Prælatis faciat cum suis subditis, Horas Canonicas recitandi obligationem in illis præsupponit. Ubi enim non est lex & præceptum obligatorium, locum non habet dispensatio legis, consequenter ad Horas Canonicas sive in Choro, sive extra persolvendas Canonici nostri professi sub gravi obligan-

gantur, sicut etiam, si Prælatus dispenset cum aliquibus quoad officium canonicum, ad officium B. V. Mariæ sub gravi culpa tenentur. Suadendum omninò esset, ut juxta dispensationem eis creditam Prælati cum junioribus Professis, si fortè philosophicis, aut theologicis studiis incumbunt, vel in Academiis, aut domesticis scholis, dispensarent, & injuncto officio B. V. M. cum 5. *Pater & Ave*, vel psalmo *miserere* ab alia obligatione liberatos relinquerent, nisi fortè diebus majoribus festivis exceptis juxta devotum cujuslibet arbitrium, ut illi alacriùs studia inchoata prosequerentur. Scio equidem fortè in nostra Bavaria nullum reperiri Prælatum, qui hac ponrificia potestate usus aliquando fuerit, vel etiamnum esse, qui auderet, quia forsan dictæ Bullæ notabilia dispensationis verba non attenderunt, atque ideo in praxin redigere noluerunt, sicut Prælati nostri ordinis in Austria cum suis Neoprofessis Canonicis, dùm eos ad studia alibi emittunt, facultate pontificia suffulti absque difficul-
287 tate dispensare solent.

Antequam præsentem Articulum concludamus, placet de modo Horas Canonicas in Choro persolvendi breviter insinuare. Igitur quoties Chorum intras, reverenter usque ad genua flectens coram SS. Venerabili adorationem, postea Superiori in Choro præsenti demissam & modestam inclinationem facias, & ita ad locum tuum pergas cum prævia intentione ad laudem Dei Canonicas Horas devote peragendi.

2. Post signum à Superiore datum Sacerdoti hebdomadario officium inchoanti respondeas, ac ex tua parte devotè, tardè, clarâ, distinctâ, & altâ, communitati conveniente, voce psallas, in medio versu diligenter serves pausam, omnes strepitus, interlocutiones, risus, & oculorum evagationes caveas, ne impediatur devotio mentis tuæ, vel disturbetur aliorum attentio sed hoc continuò *versetur in corde, quòd profertur in ore.*

3. Quando è Choro discedis, confabulatione, aliisque ad exteriora statim effusionibus abstineas, prorsus enim indecens est, ac disciplinæ inimicum, orationis fructum tam ineptis & intempestivis nugis involvere, & tam citò perdere. Ut Chorum devotè ac studiosè peragas, illa frequenter meditare, quæ aureus Asceta noster. *l. 1. c. 8. discip claust.* suggerit. Chorus est Dei, & Sanctorum Angelorum locus sacratus, ubi divinum agitur officium, præsentibus „Ecclesiæ ministris, cum reverentia „& devotione psalentibus. Sicut „Angeli in cælo, sic Religiosi ordinati sunt in Choro. Opus Angelorum est Deum semper laudare, „opus Religiosorum est intenta „mente psallere & orare. Sic sta „in

„in Choro & canta, quasi in medio „Angelorum stares. Recordare „dilecti Domini tui JEsu in præ„sepio jacentis, aut in cruce pen„dentis, aut in cælo ad dexteram „Patris, tanquam coram eo assiste„res & cantares. Ipse sit in corde „tuo & in labiis tuis, ad pronunti„andum apertè & distinctè verba „spiritûs sancti, cujus ope & arte „divinum officium ordinatum est. „Statue JEsum ad dexteram tuam, „& Mariam ad sinistram tuam, & „omnes sanctos in circuitu eo„rum. Omnes fratres tui sint ti„bi tanquàm Angeli Dei, & cum „quibus nunc psallis in terris, spe„ra etiam te cantaturum in cœlis. ---- finitis his quæ in divino offi„cio celebrantur, non statim te „effundas ad exteriora, ne perdas „gratiam, quam consecutus es „orando, sed potiùs post vota la„biorum tuorum te collige, & in „majori gratiarum actione ab om„ni strepitu solus permane, rumi„nando, quæ audisti cantari: Quid „prodest unâ horâ Deum lauda„re, & altera sæcularia & inania „pertractare? Noli pretiosum fru„ctum orationum tuarum, & la„borum divini operis pro vilibus „exponere jocis & nugis, nam ci„tò perit devotio, quæ non custo„ditur sub silentii fræno. Quando „autem tædium sentis ex longio„ri officio, pensa, quòd isto finito „evolabis ad cœlum. Et si hoc „te non juvat, memento, quòd le„vius est tribus vel quatuor horis „vigilare & cantrare, quàm unâ „horâ in purgatorio ardere. Mag„ni quidem meriti est Sacris Ca„nonicis Horis interesse, & laudes „Dei alacriter cum multis fratri„bus persolvere in Ecclesia Sancta. „Et si non possumus sine intermis„sione orare, aut cum perfectis „contemplari, debemus tamen „certis horis ad hoc deputatis om„nem diligentiam adhibere, ut in„tentè & devotè psallamus. Ne„que enim in tam sancto opere ti„bi ipsi solùm proficis, & æternam „à Deo mercedem promerendo, „sed etiam cunctis Christi fideli„bus, & præcipuè animabus de„functis prodesse potes, gratiam „& veniam in quotidianis horis & „missis implorando, & tanto ple„nius quantò sæpiùs, & ferventi„us pro omnibus oraveris. Nam „& pro quolibet verbo attentè „prolato, justo præmio non pri„vaberis. ---- Inter omnes ope„rationes animæ fidelis non est „tam fructuosus labor, & tam ac„ceptabilis Deo servitus, quàm „frequenter & devotè orare, & „Deum toto cordis affectu lau„dare.„ Hæc si sæpius ritè perpenderis, absque dubio incitamentum ingens habebis ad Horas Canonicas cum omni devotione obeundas. Dein moveant te exempla graviter punitorum à Deo,

qui Chorum vel neglexerunt, vel indevotè accesserunt. Unum sit hic à P. Gobat. tract. 5. n. 699. ex P. Anselmo Bislinus relatum, quod benè appellari valet.

FACTUM DIABOLICUM & DIVINUM.

288 SAncto Aichardo Abbati tempore nonæ decantatæ, sibi capillos præscindi curanti spectatus est infernalis tenebrio, singulos pilos resectos summâ diligentiâ colligere, numerare, & in ordinem redigere, districto Judici præsentandos, ignéque purgativo exurendos, nisi tantus vir insigni miraculorum gloria illustris, re divinitùs intellectâ, quantocyus semitonso cum capite ad fratres accurrens, humillimè culpam fassus, per suas & fratrum preces obtinuisset, ut omnes & singuli resecti pili in caput & mentum, ut prius erant, restituti fuerint ab eo miraculosè, qui servis suis fidelibus dixit: *Capillus de capite vestro non peribit.*

Clericus quidam Coloniensis Ecclesiæ vadum fluminis transibat, & ecce B. Severinus ejusdem Ecclesiæ nuper Episcopus, pièque defunctus ejus habenas apprehendit, sistereque jussit. Cùmque ille in stuporem versus, & graviter admiratus, cur tam clarus illic, & tam celebris famæ vir moraretur, inquireret, da mihi reposuit, manum tuam, ut, quæ circa me sunt, non auditu, sed & tactu discas. Cùmque datam manum fluctibus Episcopus impressisset, tantus eum ardor absorbuit, ut undique carnes ejus resolutæ deficerent, & ossa nuda vix hærentibus articulis remanerent. Ad quem Clericus: cùm nomen, inquit, tuum in tanta benedictione sit apud nos, & fama tua consonis totius Ecclesiæ præconiis celebretur, cur te pestilens hæc vorago constringit, tantóque (prô dolor) incendio cruciaris? Ad quem S. Episcopus: Nihil aliud in me remansit, ait, ultione plectendum præter hoc tantùm, quia dum in aula regia constitutus, imperialibus me consiliis vehementer implicui, canonicæ synaxis officia per distincta horarum spacia non persolvi. Manè quippe simul omnia coacervans tota die negotiis ingruentibus secura libertate vacabam. Ob hanc itaque negligentiam horarum ardoris hujus fero supplicium. *Ex Epist. S. Petri Damiani ad Desiderium Abbatem. c. 7. in spec. Exemp.* Ibidem fertur: cùm duo fratres quadam nocte sedendo in lectis suis, sic quasi cubando dicerent pariter matutinas, adfuit diabolus cum fœtore intole-

lerabili dicens: Ad talem orationem, tale debetur incensum. *Ex spec. Exemp. 14. V. oratio.*

Quàm sanctè Horas Canonicas esse persolvendas, quàmque Dei gratum id munus esse S. Ludgerus Episcopus Monasteriensis miraculo comprobatum nobis exhibet. Natus is potentibus in Frisia parentibus Patre Thiadgrimo, matre Liasburga circa annum Domini 749. cælo, priusquam lucem aspiceret, charus apparuit. Palus enim per cadentis matris latus egressus, cùm mortem illaturus utrique crederetur, obstetricis instar fuit. Vix verba fingere blæsa, vix gressum firmare scivit, cùm magnam in parvulo indolem studia prodiderunt. Neque enim ille, ut amat ea ætas, ludicris delectari, sed jam tum seria agere, & vel cortices in libros concinnare, vel lectitanti similis aut scriptitanti assidere. Quare compellatus à nutrice, qui diem transegisset; vel libros, respondit, scribendo, vel legendo scriptos; iterum, quô magistro esset usus, rogatus, *Deo* subjecit. Subinde B. Gregorio trajectensium Antistiti erudiendus traditus, ab eo accepta clericali tonsura; sæculo abrenuntians se totum divino obsequio in trajectensi S. Salvatoris monasterio mancipavit. Magnum dein Alcuinum in Anglia magistrum habuit, sub quo Doctore felices in studiis progressus fecit, ut trajectum reversus, incredibili omnium, maximè B. Gregorii, gaudio exceptus sit. Daventricensibus postmodum & Frisiis ad veram fidem perducendis strenuam operam impendit, & quæ in Frisia summa religione, seu veriùs superstitione colebantur deorum inanium fana & simulacra, maximo capitis sui periculo demolire non veritus, ingentes fidelium manipulos in Christi horrea congregavit. Saxonibus autem à Carolo magno deficientibus, & novellam Christi Ecclesiam in Frisia turbantibus, furori gentilium cedendum ratus, Romam cum Alberico Trajectensi Episcopo ad Leonem IV. summum Pontificem ivit, à quo benignè acceptus, multis etiam Sanctorum Reliquiis donatus est. In patriam redux Beneventi apud Religiosos D. Benedicti divertit, quorum sancta conversatione plurimùm delectatus biennio apud illos permansit, tum à Carolo Magno, Alcuini potissimùm suasu per literas revocatus, monasterio Lutosano Canonicorum Regularium in Brabantia præficitur. Post hæc oblatam sibi archiepiscopalem trevirensem infulam majori gloria contempsit, quàm vix quispiam Pontificum admiserit, convertendarum gentium negotio se impediri causatus: qua excusatione Magnus Carolus summopere recreatus est, & ut occidentales Saxones ac finitimos eti-

am populos curaret, voluit, quorum ille quam primum multa millia orco eripiens Christo, cælisque asseruit. In Westlandiam profectus illius provinciæ Principem cum reliquis incolis Christi castris adjunxit, nec non ipsius filium, Landricum nomine sacro baptismatis fonte abluit.

Utebatur ad nudam carnem semper cilicio, & quidem ita occultè, ut id paucissimi familiarium suorum duntaxat scirent. Carnium esum licèt certis temporibus admitteret, satur tamen cibi, ac potûs nunquam à mensa surrexit. Invitatus ab aliquibus ad convivium, comparebat quidem, at ne tempus illud sine spirituali animarum lucro elaberetur occasionem captabat, qua sermonem de rebus divinis miscere posset. Erga pauperes mirè extitit liberalis, quos mixtim mensæ suæ convivales adhibuit, in quorum sustentationem etiam census cùm ex paternis bonis, tum ex Episcopalibus redditibus provenientes impendit, sibi solùm, quæ ad usum rei domesticæ, à qua omnem splendorem, luxúmque proscripserat, necessaria erant, reservans. Apud Imperatorem Carolum Magnum delatus, quasi bona Ecclesiæ dissiparet, ædificia sarta tecta conservare negligeret, suppellectilémque nullam pro sacro altarium, eorundémque monasteriorum usu prospiceret, accitus comparuit, hospitio eidem prope curiam assignato. „Primò statim manè „misso ad eum rex cubiculario, „ipsum ad se venire præcepit. Ea „ipsa hora persolvendis more so„lito cursibus, cum suis insistebat. „Cùm his expletis se venturum „nuntio respondisset, & hoc regi „ille retulisset, secunda quoque „vice, & tertia ad eum accersen„dum misit. Sed ille divinum „sacrificium cunctis aliis rebus an„te ponendum esse non ignorans, „omnino venire distulit, donec „cæptam psalmodiam consumma„ret. Qua finita, in conspectu re„gis dum venisset, & cur ad impe„rium suum venire contempsisset, „interrogaret. Ad hæc ille vultu „intrepido, mente constantiori: „ego, Imperator, inquit, tuum „semper in omnibus præceptum „exequendum putavi, ut tamen „Deum tibi ubique præferendum „non dubitarem, quem omnibus „anteponendum omnes nôrunt, „omnes fatentur, hoc mihi præ„cepisti, quando pastoralis curæ „solicitudinem mihi commenda„bas, ut Deo primùm serviendum „scirem. Post hæc tuis consequen„ter imperiis cognoscerem esse ob„temperandum. Hanc tui man„dati authoritatem, hanc justissi„mæ discretionis regulam secutus, „Deum tibi & cunctis in terra „mortalibus præponendum non „ambigo, neque tutum esse cre„didi, quod h c jussioni, & per„spi-

„ſpicaciſſimæ rationi contrarium „eſſet. Ideo non ad regiæ pote- „ſtatis inhonorationem & con- „temptum (ut malevoli crimi- „nantur) ſed potiùs propter tu- „am ſalutem, quæ Deo debeam, „exolvere curavi, & ita conſe- „quenter ad tuum expeditior ſer- „vitium veni. Hanc ejus reſpon- „ſionem rex optimus amplexus: „gratias, inquit, tibi habeo Epiſco- „pe, quia qualem te eſſe credidi, „ſemper talem te nunc fore ex- „pertus ſum. Nam aliqui quidem „fuerunt, qui hoc tuum factum a- „liter interpretandum, & ad me- „am injuriam retorquendum pu- „tarunt, ſed hos utpote tuæ ſancti- „tatis invidos minus deinceps gra- „tos habebo, & nullius de cætero „contra te accuſationem me au- „diturum, Deo volente, repromit- „to. Tu ut hactenus feciſti, Dei „ſemper operare voluntatem, ſi- „mul nobis devotus & fidelis pro „noſtri imperii ſtatu orare me- „mento. Sur. *in vita l. 5. c.* 31. Qua verò reverentia, quo cultu, quantáque devotione divinum eſ- ſet peragendum officium, imper- tinentes in oratione cogitationes arcendæ patet ex ſequenti facto, quod cit. Author *l. 1. c. 27.* refert. „Aliquando, dum in itinere eſſet, „lectus illi ad vicinum focum con- „ſtruebatur. Unde dum noctu „ſtans juxta lectum matutinas lau- „des cum clericis caneret, ejectis „cinere prunis, fumus evaporans „in faciem exhalavit. Ille quaſi ni- „hil ſentiens immotus mente ſta- „bat & corpore. Ad unus ex cle- „ricis auferre volens incommo- „dum hoc curvato genu carbones „detexit, & inſufflans ſopitos ſuſ- „citat ignes. Manè autem vo- „cans clericum ſtrictè ſciſcitatus „eſt, quare hujus mentis fuerit, ut „ſacris hymnis dimiſſis, ſe potiùs „incurvavit ad conſtruendum fo- „cum, & pænitentiam aliquot die- „rum illi indicens, docuit cleri- „cos, dum ad opus divinum aſſi- „ſtitur, omnes occurrentes co- „gitationes amovendas, quantum „humani cordis fugacitas patitur, „& prout divina clementia ſuppe- „tit, nihil aliud cogitandum, nihil „aliud agendum. „ Ob tantam orationis devotionem quid mi- rum, ſi elementa etiam inſenſibi- lia Ludgero ad obſequium ſtetiſ- ſent. Nam cùm Werdenſe ex- ſtruere vellet cœnobium, & den- ſa obſiſterent nemora, ad hæc ex- ſcindenda famulis ventis eſt uſus, qui noctu, everſis latè arbuſtis, are- am amplam ædificio parârunt, una tantùm arbore relicta, quæ precantem Ludgerum texerat. Pridie, quàm moreretur, æſtuanti fervore ad concionem dixit, de- votiſſiméque ad aram litavit, Im- peratore interim Carolo, aliiſvè variis in locis exiſtentibus, mag- nam è terris ad cælos aſcenden- tem lucem, mortis Beati Ludgeri prodromum conſpicientibus. Obiit 26. Martii Anno ſalutis 809. ætatis 60. Epiſcopatus 19. Ex

Surio to. 2. ad Diem 26. Martii Joan. Mauburno l. 2. venat. c. 53. Molano & aliis citatis in Notis ad Historias SS. Canonicorum Regularium.

Ex patria nostra omni virtutum genere præclarum adducimus virum Augustinum Prändl Canoniæ Beyrbergensis Decanum laudabilissimum, qui horis nocturnis ac diurnis in Choro singulari cum devotione persolvendis indefessus extitit zelator. Ejus laudem omni exceptione majores testes Reverendissimi, & scientiâ, ac virtutibus, nobis celebratissimi, Præsules Simon Pauhofer, & Udalricus Byrson in funeralibus literis hisce paucis contexuerunt. *Vir erat omni virtutum genere præclarus: Institit Religioni annis viginti octo, novendecim aræ adstitit: septendecim Decanatui præstitit, totidémque Curæ Pastorali. In quibus negotiis vidimus non nisi maximum zelum, indefessum laborem, summam alacritatem, invictam patientiam. Deiparæ studiosissimus cultor erat. Ostendit id Sacratissimi magnæ Matris Rosarii Fraternitas, per ejus studium ac diligentiam in Ecclesia nostra Beyrbergensi procurata, atque per ipsum primum vigilantissimum Præsidem gubernata, condecorata & aucta. Præcedenti anno Romam ivit Jubilæi lucrandi causâ, sed non ita integer viribus rediit, quid mirum? multos sepelivit advenas Româ, sauciatam nostram saltem patriam revisere permisit. Non dubitamus, quin modò cœlestem videat.* Post omnia Sacramenta ritè percepta Monachij, ubi restituendæ sanitatis gratiâ in Domo nostra, ut proximior esset medico, per aliquot hebdomadas versatus est, supremum clausit diem 10. Novembris Anno 1651. & apud Venerabiles Patres Minores S. Francisci Reformatos in contiguo Ecclesiæ atrio spectabilem accepit sepulturæ locum.

ARTICULUS III.

De Capitulo.

SUMMARIUM.

289. *Capitulum aliud Collegiale, aliud disciplinæ. Quàm gravis hujus celebrandi obligatio incumbat Superioribus.*

290. *Præparatio ante Capitulum disciplinæ præmittenda.*

291. *Quid agendum Religioso quoad suimet accusationem,*

292. *& quid, si accusetur ab alio?*

293. *Porro notanda pro utilitate, & fructu è Capitulo reportando.*

294. *Capitulum est locus benedictionis divinæ, & maledictionis diabolicæ.*

Capi-

289 Capitulum regulare à S. Thom. *quodlibet 1. a. 16.* appellatur *forum monasticum, quia Prælatus in Capitulo præest tanquam judex Ecclesiasticus, sicut sæcularis in foro judiciali.* Nomen capituli si spectare velis in genere, & prout de jure accipitur, est aliquod corpus spirituale multa in se habens membra, id est, homines in variis Officiis constitutos, seu est *communitas personarum Ecclesiasticarum*, Quod si in hac communitate tractetur de rebus communitatem concernentibus, *capitulum collegiale* vocari potest, de quo hìc nobis nihil tractandū venit. Aliud est capitulū, in qua si agatur de electionibus Prælatorū, contractibus, civilibus, aliísque similibus negotiis, coincidit cum *Collegiali*: quando verò à Superiore instituitur inquisitio defectuum, & culparum à Regularibus subditis comissarum, dicitur ab Ascetis *capitulum disciplinæ, capitulum correctionis, culparum*, aut *conventuale.* De hoc igitur *Capitulo* hìc aliqua documenta tradere volumus, non quidem quæ pertinent ad Superiores (qui velut Judices Ecclesiastici in illo præsunt, quibúsque ex gravi obligatione incumbit, ejusmodi celebrare capitula ad conservandas S. Ordinis ceremonias, & fovendam disciplinam regularem; cùm ex *Dominico Bannes in 2. 2. q. 33. a. 3. dub. 3.* Reverendissimus Lairvelz *in optica spec. 61.* communem affirmet esse sententiam, peccare mortaliter Prælatos, *qui negligunt receptas ceremonias in Ordine, quæ aliàs NB. sub mortali non obligant, si eorum culpa eant in desuetudinem &c.*) sed quæ spectant aliorum subditorum directionem, isti enim sunt *accusatores* suimet, & *rei.* Duo autem contingere solent in hoc culparum capitulo; aut enim quisque se ipsum accusat, vel accusatur ab alio: quoad utrumque sunt aliqua notanda.

Cùm ejusmodi capitulares correctiones quidam cum magno horrore animi solent suscipere, generales præparationes ad capitulum fructuosè intrandum præscripsit Reverendissimus citatus auctor, quas hìc considerationis loco appono. 290

1. Cogita, capitulum esse purgatorium, ac proinde, cùm Deus non puniat bis id ipsum, non subiturum eum pœnas in purgatorio, qui lubens correctionem susceperit in capitulo.

2. Cogita, nullum peccatum quantumvis exiguum fore inultum apud Deum, pœnásque capituli multò mitiores esse pœnis purgatorii.

3. Cogita, correctionem esse plerumque tentationum terminum. Legimus enim apud S. Gregorium *lib. 2. cap. 4. Dialog.* quòd cùm *D. Benedictus quemdam Religiosum, quem puerulus niger ab Oratorio deturbabat,*

habat, virga percussisset, non est ausus deinceps dæmon ejus orationem interturbare, ac si ipse vulnus excepisset ex verbere.

4. Attende ad dictum Sapientis *Proverb. 15. qui odit increpationes, morietur.* Et ad illud *Ecclesiastici 10. Vir prudens, & disciplinatus non murmurabit correptus.*

5. Cogita, capitulum esse locum dœmonibus odiosum. In eo enim opera ejus destruuntur, quando ea, ipse suggessit, aperiuntur, & correctioni submittuntur. Hinc ita tristatur, ac si flagellis cæderetur.

6. Cogita eum, qui non libenter suscipit correctionem, ad dæmonis, qui est incorrigibilis, accedere conditionem. *Qui* enim *odit correctionem*, ex *cap. 21. Eccles. vestigium est peccatoris*, id est, dæmonis.

7. Cogita, quòd sicut capitulum est dæmoni exosum, quia ibi ejus opera aperiuntur, & fustigantur; ita Spiritui Sancto pergratum. In eo enim peccata arguuntur, ac remittuntur, quod Spiritui Sancto proprium esse *Caput 20. Joannis* testatur.

291 Porrò ad sui proclamationem (qualis apud antiquos Religiosos frequentia, & vix non quotidiana exempla annotata legere est apud Rosweydum in vitis P. P. multa planè sunt motiva.

In primis *justus est accusator sui, Prov. 18. & qui abjicit disciplinam, despicit animam suam, qui autem acquiescit increpationibus, possessor est cordis. ibid. 15.* Qui verò horret accusationem sui, & suorum defectuum in capitulo, confusionem adhuc timet, humiliationem fugit, superbiæ laqueis irritetur, vitiis vel internis vel externis scatet, & adeò justus non censetur.

2. Capitula institui jubentur à statutis S. Religionum.

3. Sunt congruentissima media abnegandi semetipsum, & odio habendi animam suam, sicut Deus præscripsit *Matth. 16. & Joan. 12.* & destruendi ex hoc ipso amorem proprium.

4. Capitularis proclamatio sui ipsius intra regulares limites peccantem retinet.

5. Per accusationem propriam delentur peccata, non quidem ex opere operato sicut Sacramenta, sed ex opere operantis, dum culpas Deus per suos Vicarios abstergit, uti docet Lairv. *to. 2. n. 15.*

6. Quia efficaciùs corrigitur; quo majore confusione ex propria culpæ confessione publicè afficitur Religiosus pœnitens.

Quanta bona igitur nascantur ex accusatione sui, quivis perfectionis studiosus facilè advertit, dum etiam securus redditur spiritualis profectus, uti docet *S. Bern. de dispens. & præcep.* dicitque: *illum dico securum, qui etsi interdum limen obedientiæ præterit, consilium tamen non respuit pœnitentiæ. Inveniuntur in eo & præcepta obedientiæ & inobedientiæ,*

ut ne peccando quidem à regula recedatur. Securus inquam, est de profectu suo, qui se se de defectibus suis arguit in Capitulo, quia etsi sæpè peccaverit, tendit tamen re ipsa ad perfectionem, sicque obligationem sui statûs adimplet.

292. Si verò quis accusatur ab altero in capitulo, hæc sunt notanda.

1. Cogitet, quòd sit necessitas, & præceptum corrigere proximum; correctio enim fraterna ex charitate procedit, illa autem habet præceptum divinum: *diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Id, quod etiam S. P. N. in *S. Regula c.7.* satis indicavit, & *ep. in Marc. Magis*, inquiebat, *amat objurgator Sanans, quàm adulator dissimulans.* Id etiam S.Hieronym. *in regula mon. c. 9.*præscribit: *qui vel timore, vel verecundiâ se ipsum accusare neglexerit, licet unicuique propalare tale crimen alterius, ut nullatenus radices inobedientiæ, & superbiæ in sacro hortulo vestro arripiant, non evellendas de facili.*

2. Præter statuta regularia, quæ præcipiunt capitularem proclamationem delinquentis, ratio est, ut hoc medio etiam leves culpæ non sileantur, sed de proximo corrigantur; ne disciplina regularis pededentim labefactetur, ita *S.Bonav. tract. de sex alis Seraph. c. 3. in hoc differunt*, inquit, *laudabiles religiones, & jam dilapsæ, non quòd nullus peccans in laudabilibus reperiatur, sed quòd nullus impunè peccare sinatur, & peccandi aditus studiosè præcludantur, & incorrigibiles, & alios inficientes eliminentur, & boni foveantur, & diligantur, & perseverent, & in melius semper proficiant.* Quod capitulari correctione optimè fit.

3. Qui peccantem corrigere negligit, tacendo & dissimulando, earundem prævaricationum participem se reddit. *Magis quippè innocentes non estis*, loquitur S. P.N. *c.6. reg. si fratres vestros, quos indicando corrigere potestis, tacendo perire permittitis.* Et *distinct.* 86. loquitur S. Leo Pontif. *facientis procul dubio culpam habet, qui, quod potest corrigere, negligit emendare: nihil prodest alicui puniri proprio, qui puniendus est alieno peccato.*

4. Quia religio est corpus mysticum, singula membra invicem succurrant, necesse est, quod pulchra similitudine declarat S. Chrysost. *hom.* 31. *in 1. epist. Corint. Si calcaneo spina infixa est, sentit totum corpus, cruciatúrque, incurvatur dorsum, & venter, & semora corripiuntur, manus ceu satellites ministrique properantes retrahunt infixam, inflectitur caput, solliciti oculi tuentur, idque non amicitia, sed debiti, & officii jure.* Qua similitudine clarè demonstratur correctio fraterna.

5. Proclamatio capitularis est ad tollenda scandala, quibus etiam boni perverterentur nisi tanta adhiberentur remedia. Nihil hic de obligatione ex justitia moveo ad celebranda à Superioribus regularibus capitula, & corrigendos in iis suorum

ſuorum ſubditorum defectus. *Paſtores* enim *Mercenarios* vocat *S. Greg. p. 2. paſtorali, c. 4.* Superiores illos, qui negligunt correctiones, nam, ut ait S. P. N., *quòd ſicut meliores ſunt, quos dirigat amor, ita plures ſint, quos timor corrigit.* Nihil, inquam, hic moveo de obligatione Superiorum, ſed pro complimento hujus articuli tyronibus regulas præſcribo, quas tempore Capituli obſervent. Et quidem

293 1. Ad capitulum accedat animo ad pœnam ſubeundam benè parato.

2. Diſcutiat ſuam conſcientiam & defectus externos, & culpas commiſſas (non tamen graves, & ſcandaloſas, quæ ad ſacrum pœnitentiæ tribunal pertinent, de quibus p. 1. c. 3. a. 2. n. 140. & 141. egimus) ſincero ac humili affectu in Capitulo proferat cum emendationis propoſito.

3. Magnopere capitulum honoret, & tanquam divinitùs datam mortificationis ſcholam, ac quamdam generalis judicii imaginem revereatur.

4. In denuntiatione ſui, modeſtiam humilitatem, patientiam, & teſtationem doloris præſeferat, ſicut olim præſcripſit S. Bonavent. *in ſpec. diſc. p. 1. c. 10. poſtremò, ut diſciplinato, & debito modo hujuſmodi confeſſio fiat, debent circa eam honeſtatem, cautelam, & humilitatem ſervare. Honeſtatem, ut culpæ narrationem nudo capite, & non ridendo, non circumſpiciendo, aut cum manu aliquid faciendo ſed junctis potiùs manibus, vel aliter honeſtè compoſitis exequantur. Cautelã in hoc præcipuè habeant, ut ſe paucis verbis expediant, & in culpa ſua nullũ alium, præter ſe ipſos involvant, quòd & cautelam, & puritatem concernit. Humilitatem habere debent in conceptu corporis, & in verbis. In conceptu quidem, ut ad terram juxta fratrum conſuetudinem ſe proſternant humiliter. In verbis autem, ut verba ſubjectionis & pœnitentiæ nullam ſint omninò notam ſuperbiæ vel impatientiæ continentia.*

5. Correctionem lubens ſuſcipiat, & injunctam pœnitentiam cum ſilentio ferat, & exequatur.

6. De pœna injuſtè impoſita nec apud Deum, nec apud homines conqueratur, ſed ad pedes crucifixi patienter deponat.

7. Si ab alio fuerit proclamatus, ex juſto zelo, & charitatis fonte id proceſſiſſe credat, vindictam non quærat, & ſi loqui fuerit juſſus, innocentiam modeſtiſſimè oſtendat, nec unquam ex vindicta proclamantem proclamet.

8. Superiori pœnitentiam injungenti nunquam ſuccenſeat.

9. Ad correctionem quamcunque ferendam Superior tyronem paratum ſentiat, quod magnum obedientiæ, & patientiæ ſignum eſt.

10. Non ſubterfugiat capitulum, ne pœnas aliquando ſubeat, ſicut eas ſuſtinere debuit magnus Magi-

Magister Hugo de S. Victore, qui alter Augustinus ævô suô habitus est, & aliàs laudabilissimam & sanctam vitam degebat, quia verò disciplinam capituli propter litterarum studia frequenter ommittebat, post mortem cuidam Concanonico apparuit, & suscitanti, qualiter se haberet in altera, respondit: *benè nunc mihi est, sed, quia, dum viverem, renui accipere disciplinam, vix ullus dæmonum in inferno remansit, qui non mihi ictum validum dederit, ad purgatorium transeunti*, ex quo exemplo apparet, fugiendas non esse capituli correctiones, & disciplinas; quin sedulò esse frequentandas ob Martyrii laureolam, quam Religiosi obtinent, qui propter Christum libenter subeunt correctionis, & disciplinæ regularis martyrium, ut docet Th. Kemp. *Ser. 2. ad Novit.*

LOCUS BENEDICTIONIS, ET MALEDICTIONIS.

294 CApitulum juxta datas instructiones breves meretur *locus benedictionis divinæ* rectè appellari; quia propter varios virtutum actus in isthoc foro judiciali, ac regulari à quolibet id ritè subeunte exercitos, largissimas gratias Supremus Judex decernit, atque pro levissimâ pœnâ, patienti animo toleratâ (quantumvis longè majori peccatis nostris, & defectibus regularibus debitâ) cœlestia pœnitentibus charismata, & humilibus ampliora largitur munera; occulta relaxat peccata, culpas abstergit; pœnásque culpis debitas, & quotidianis defectibus in purgatorio olim commensurandas in hac vita diluit. Vice versa *locus maledictionis* diabolo, & apostatis angelis ejus est Capitulum, uti ipse mendaciorum cæteroquin artifex, sed in hoc puncto veritatis testis fassus fuit S. Patriarchæ Dominico, de quo S. Antoninus *3 parte histor. tit. 23. c. 4. §. 6.* in vita quoque S. Dominici L. 3. c. 12. sequentia refert.

Quadam vice, dum S. Dominicus apud Bononiam constitutus in Ecclesia pernoctaret, diabolus in specie fratris eidem apparuit. Quem Vir Dei fratrem æstimans eidem innuebat, ut cum cæteris fratribus ad quiescendum pergeret. Ille quasi deridendo eidem sibi nutibus respondebat. Tunc Dominicus, quisnam esset, qui sic ejus mandatum contemneret, scire volens, candelam accendit, & respiciens in eum, agnovit, quòd esset diabolus. Quem cùm increparet, mox dæmon de fractione

 silentii

silentii insultare cœpit. Dominicus autem utpotè fratrum Magistro sibi loqui licere asserens, coegit ipsum, ut sibi diceret, de quo fratres in Choro tentaret. Respondit: facio eos tardè venire, & citò exire. Deinde duxit ad dormitorium, de quo ibidem fratres tentaret, inquiens. Qui ait: facio eos minus dormire, tardè surgere, sicque eos aliquando à divino officio remanere, & interdum immundas cogitationes habere. Deinde ad refectorium duxit eum. Et de quo ibi fratres tentaret, quæsivit. Tunc dæmon per mensas saliens plus & minus sæpius repetendo dicebat. Quem dum S. Dominicus, quid sibi hoc vellet, interrogaret, ait: quosdam fratres tento, ut plus comedant, & sic nimia cibi sumptione delinquant, quosdam ut minus sumant, & sic in Dei servitio, & Ordinis sui observatione debiles fiant. Inde duxit eum ad locutorium, de quo ibidem fratres tentaret inquirens. Tunc ille crebro linguam revolvens, miserabilis confusionis sonum promebat. Quem cùm Sanctus, quid hoc vellet, interrogaret, ait: hic locus totus meus est. Cùm enim ad loquendum fratres conveniunt, eos tentare studeo, ut confusè loquantur, & multùm se se inutilibus verbis imisceant, & unus alium non exspectet. Postremò duxit eum ad capitulum, sed cùm ante ostium Capituli fuisset dæmon, nullatenus intrare voluit, sed ait: hunc locum nunquam ingrediar, quia locus maledictionis est; & ibi amitto, quod in aliis locis lucror. Nam cùm aliquem fratrem per aliquam negligentiam delinquere fecero, mox in loco hoc maledictionis de ipsa negligentia se purgat, & cora... omnibus se proclamat, & sic totum amisisse me doleo, quod alibi me lucratum gaudebam. Et his dictis evanuit.

R. P. Petrus Combret humilitatis studio, utpotè quam semper & ubique locorum deperibat, in deliciis habuit suis, abjectissimis domûs officiis vacare, se ipsum vilipendere, ac omnibus subjicere. Hanc in communibus capitulis proprio ore testatam fecit cunctis Concanonicis præsentibus.

Locus Benedictionis, locus Capituli regularis ei fuit, quo ad altiores virtutes progressus, stadium iis exercendis posuit. Et quia Humilitas aliarum est fundamentum, quíque in hac virtute singularem præfert gradum, etiam cæteris abundare censetur; placet ejus epistolam illa virtute plenam hic adducere, quæ 1634. ad Reverendissimum Alanum de Solminihac Abbatem Cancellatensem conscripta notatur in hujus vitæ *libro* 1. *c.* 16. his verbis.

Reverendissime Pater. Quamvis sim leprosus ille, quem divina bonitas ex miserabilis

ſerabilis mundi cœno extraxit, & in S. Religionem collocavit, tanquam miſerum aliquem peregrinum aberrantem, qualis reverà eram, & etiamnum ſum, quia perlibenter fateor, talem me ſemper fuiſſe, hominem inutilem, imperfectionibus ſcatentem, petram ſcandali, idiotam, ignavum; & (parum eſt, quod dico) ſi enim me ipſum conſidero, ſum miſerrimus, peccatorum coriphæus, meâque utiliſſima, chariſſima, deſideratiſſima, honoratiſſima, ac ſanctiſſima vocatione indigniſſimus; at his non obſtantibus, optimus Magiſter noſter JESUS Chriſtus non ſolùm ad virtutes obedientiam, paupertatem, caſtitatem, humilitatem exercendas me excitat, verùm etiam ferventi deſiderio me complet ipſi magìs ac magìs ſerviendi, eúmque in noſtra Reformatione honorandi, maximè etiam meam vocationem faciendi, me permovens ad gratiarum actiones reddendas atque ad plura ſperanda. Et quod Reverendiſſimã Veſtram Paternitatem attinet, ea quoque mihi ſtimulos addit, quòd me non rejecerit, ſed affectu amore pleno intra ſua brachia receperit, & numero Sanctorum filiorum ſuorum Fratrum meorum aggregaverit, quo quidem favore ſum indignus, &c. Denique epiſtolam ſic concludit: *Optima Dei voluntas in nobis adimpleatur æternùm, æternùm, æternùm, & ultra. Hoc unicum eſt deſiderium meum, mea deliciæ, meum gaudium, & conſolatio. Paternitatis Veſtræ &c. Combret inutilis Religioſus.*

In ultimo morbo obitûs ſui horam prædixit, & paulò ante mortem Deiparam Virginem, cujus cultui oppidò addictus erat, ad ſe inviſentem poſtremæ gratiæ loco habuit. Corpus demortui in Eccleſia publicè exponendum fuit, ita exigente devotione plebis, quæ plurimùm ejus virtutibus, dum Sacriſtæ & janitoris fungebatur officio, capta, ſupremo ipſum honore iſto voluit afficere. Terræ mandatum corpus pluribus annis ſuaviſſimum è tumulo exhalavit odorem. *Ex Vita Alani c. 16. Gallicè conſcripta, & per Admod. R. D. Dominicum Biſſelium Latinitate donata.*

ARTICULUS IV.

De Silentio regulari.

SUMMARIUM.

295. *Silentii obſervantia ab antiquis æſtimata commendatur.*
296. *Quanta ſit ejus obligatio etiam apud Canonicos Regulares.*
297. *Aſſeruntur rationes ſervandi ſilentii.*
298. *Datur regulæ exceptio.*
299. *Tribus modis eſt obſervandum & quidem*

quidem tempore matutino, post prandium.

300. *Recreationis tempore discretè loquendum.*

301. *Datur etiam necessitas loquendi.*

302. & 303. *Sub mensa maximè est servandum propter varias rationes etiamsi lector mensæ errorem committat. Aliquid tunc observandum.*

304. *Quid agendum, si Prælatus in virtute obedientiæ præcipiat silentium? peccatne Religiosus, & quidem mortaliter?*

305. *Dissoluti Religiosi fame canina laborant.*

295 QUanta silentii cura in religiosis Claustris semper fuerit, nullum latere potest, quisquis libellum asceticum vel obiter inspexerit. Nec etiam Patrum nostrorum in hoc studium, ac rigor sine ratione satis ponderosa fuit; cùm religiosa disciplina suum à silentio initium deducat, atque adeò ipsa sacra Religio per illud vigeat, sicut eô non curatô destruitur, & evanescit. Nam *Thren* 3. pronunciatur: *bonum est præstolari cum silentio salutare Dei*, & *Jac.* 1. *Si quis* enim *se putat religiosum esse non refrænans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio.* Ex quo infert P. Alvarez silentium esse statûs religiosi formam, & substantiam, non quia in eo situs est profectus, sed quia sine eo penitus evanescit, & perit, *Isa.* 3. scriptum est; *in silentio, & spe erit fortitudo vestra.* Unde magnus magnæ Galliæ Cancellarius asserere non dubitavit: *clarum est, experientia docente, quòd, ubi censura silentii servatur arctiùs, ibi Religio vigeat laudabiliùs ac perfectiùs. to. 2. l. 4. QQ. 1.* Ex ea ratione quoque pro spirituali profectu necessarium silentium Angelus insinuavit Arsenio dicens: *fuge, tace, quiesce.*

Denique *Prov.* 13. pronuntiatum est: *qui custodit os suum, custodit animam suam, qui autem inconsideratus est ad loquendum, sentiet mala: nam vir linguosus non dirigetur in terra viventium.* Ad silentium etiam inclinati Veteres Ethnici in triclinio literam S. ponebant, ut significarent, silentium esse servandum. Modernis temporibus ex libro Ceremoniarum constat Pontificem electo Cardinali claudere os, ut discat seniores audire, altero verò, aut tertio consessu aperire, ut post silentium discat loqui: siquidem in silentio & quiete proficit anima devota, sicuti in effusione ad externa deficit: *quia effusus es sicut aqua, non crescas. Genes. 49. v. 4.* Cella etiam continuata dulcescit, & malè custodita tædium generat, & vilescit. Hoc ipsum B. Concanonicus noster Thomas Kempensis expertus est, dum in omnibus requiem

requiem quæsivit, & nusquam invenit, *nisi in angello cum libello.*

296 Quamvis extra refectorium sub lectione mensali vi S. Regulæ ad monasticum silentium non teneantur Canonici Regulares, certum tamen est, eos vi particularium aut generalium statutorum certis diei horis obligari posse ad aliquod silentium, quia hoc omnino efficax est medium spiritualis perfectionis acquirendæ, conservandæ, & augendæ. Detur enim silentium non pertinere ad *vitam activam*, prodest tamen, quin necessarium est pro *vita passiva*, quam utramque ex essentia sui statûs profitentur Canonici. Unde suppositis vim Regulæ quasi habentibus, atque certis in locis, temporibus, & cum certis personis silentium præcipientibus, istud infringere absque ulla prorsus necessitate veniale peccatum esse putat Rmus Lairvelz in *optica Regul. spec.* 33. nisi id fiat cum detractione, murmuratione, contemptu, vel ob finem, ob quem silentium præcipitur, destruendum. Hoc enim modo solutio silentii grave peccatum foret. Sed, cùm juxta communem Doctorum nec Regula S. Augustini extra materiam votorum ad peccatum etiam veniale obliget, nec consequenter statuta vel particularia, vel generalia (tanquam accessorium suo principali) plus obligare possint, solutio silentii non nisi ad regularem pœnam ex arbitrio Superioris determinat obligátque. Interim quia fractio silentii communiter (extra casum necessitatis saltem levis) cum otiosa locutione, vel cum levi murmuratione, aut confabulatione contra charitatem proximi conjuncta esse solet, satis constat, venialis noxam raro, aut nunquam abesse, quia *in multiloquio non deerit peccatum. Prov.* 10.

297 Insignis Asceta noster *l. 2. de vita solitar. & silentio n. 24. & 29.* non contemnendas rationes affert, cur Religiosi apprimè servent silentium. Prima est, quòd Religiosi hoc modo se privent humano solatio, ut vicissim divino repleantur. *Valde* enim *incurvatur anima, quando deserto Deo, & sermonibus ejus, convertitur ad vaniloquia pro capienda consolatione misera.* 2. Ratio est, ut vitentur multiplicia peccata linguæ. Quis enim plenè judicet, quoties peccatur verbo? aut enim otiosum, aut jocosum, aut elatum, aut durum, aut indignabundum aut dissolutum, aut adulatorium, aut seductorium, aut vanigloriosum, aut præsumptuosum &c. aut alio quolibet genere vitiosum est verbum, quod emittitur. *Kemp. l. 2. de sil. c.* 19. inter quæ sæpissimè detractionis vitium principatur, quia de absentibus loqui nunc ista, nunc illa, generalissimum inter homines congregatos invenitur. Et unusquisque

que libenter, quod sibi in aliis placet, aut displicet, evomit, minus cautè attendens, ne fortè cuiquam deroget, quam graviter etiam, & faciliter possit verbo delinquere. Sæpe dicitur, quod statim, ut dictum est, pænitere incipit, & nunquam (si posset illæsum revocari) diceretur. Et utinam semel cadendo doceretur homo damno suo, ne iterum caderet. Hæc B. Asceta *l. c. c. 20.*

3. Ratio est, quia de omni verbo otioso reddenda est ratio, & longè major Religiosis, qui arctiori vinculo ad perfectionem charitatis tendendi sunt obstricti. Cui enim plus donatum est, plus ab eo exigitur. Et si etiam illi plenam excusationem non habent, qui officio pastoralis curæ, aut fraternæ necessitatis commissione quædam otiosa verba vel superflua per fragilitatem coguntur admittere, quanto minus excusationis habebunt, qui nullo tenentur vinculo solicitudinis alienæ? Sicut animadvertit cit. Author eodem *l. c. 27.* Puta si Religiosus Canonicus in claustro degit, tunc temporis animarum curâ non occupatur, nec ad alia ministeria externa Superiorum obedientiâ expositus est.

4. Ratio est, quia silentium virtutes conservat, perficit, & custodit, nam servando silentium obedientiam servas, humilitatem retines, verecundiam adornas, senibus reverentiam exhibes, juvenibus exemplum præbes, levibus & dissolutis timorem incutis, extraneis bonam famam, intraneis pacem & concordiam generas. Ita *Kemp. l. c. c. 4.*

5. Ratio est, quia optimum præbet compunctioni locum, & orationem promovet, uti, divinus Magister præcepit *Matthæi 6. Tu autem, cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora patrem tuum in abscondito.* Cui mox S. Evangelista à Deo promissum silentii, & orationis in silentio factæ fructum subjungit: *& pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Silentium teste Climaco *gradu 11. mater est orationis, captivitatis revocatio, ignis divini amoris &c. secretus in Deum profectus, occultus ascensus.* Mala econtra innumera procax linguæ dicacitas peperit, quæ hic perstringere nec vacat, nec lubet.

Atque hæc doctrina universali- 298
ter quidem accipienda est de certis circumstantiis loci & temporis, ubi tamen indigenti fratri ædificationis verbum non abnegandum est, prout observat maximus silentii amator Kemp. *c. 7.* ubi notanter ait: *Licèt igitur custoditus esse debeas, & tardus ad loquendum, quatenus suo in tempore prudentior, & utilior fias ad proferendum, sic tamen ama silentium, ut fratri indigenti non deneges verbum. Sic teipsum tempera ab omni solatio alieno, ut, si res postulaverit, liberè conferas cum amico, ejusque utaris consilio, Pone* (inquit Prophe-

ta Ps. 140.) *Ostium circumstantia labiis meis. Ostium ad aperiendum & claudendum aptum est, ut necessariis aperiatur, vanis claudatur.*

299 Cùm silentium ad tria præcipuè capita referri possit, tres etiam videntur modi assignandi ad istud regulariter observandum; scilicet tempore matutino à meditatione usque ad summum officium, & post prandium præfixis horis usque ad cænam. Secundo modo tempore lectionis mensalis. Tertio in choro, & sub exhortationibus. Nunc de primo modo quædam observanda statuimus. Et quidem

Primò statutis horis & ex præscripto Superiorum, prout ferunt statuta localia, strictissimum observes silentium ex rationibus priùs allegatis.

2. Materiam loquendi ad certos limites coarctes, ut sola necessaria, vel utilia eloquaris.

3. Omitte ea loqui, quæ risum, vel inanem curiositatem habent, quæ verò turpitudinem præseferunt, ab illis perpetuò abstine tanquam prorsus Religiosum dedecentibus.

4. Etiam à licitis aliquo saltem tempore abstine alloquiis, quantum patitur fraterna charitas. Nam teste Asceta nostro *c. 5. de solit. salutare remedium est contra excessum locutionis aliquo tempore abstinere à necessariis, & licitis verbis, etiam si nemo jubeat. Leviùs, & suaviùs onus fertur quod ex affectu voluntario, & interiori spiritus S. correptione accipitur.*

5. Causas præparatæ locutionis investiges, nec quidquam proferas ad ostentationem eloquentiæ, ingenii, vel scientiæ, nec pro delectatione in aliorum erroribus, aut, quod pejus, ad ostentandam impatientiam animi erga alios. Hujus infrà aliqua documenta erunt.

6. Longiora colloquia, & ultra tempus ex proposito à te non contrahenda, studiosè devita, nisi evidens adsit utilitas. Hanc autem metiri valebis, si multoties à proposito deflectens vel in levem murmurationem erga Superiores, aut offensionem charitatis cecideris. Id observavit Asceta noster *l. 2. de sil. c. 22. Decipitur enim homo multoties sub pietatis & affabilitatis vultu, retractus à rigore suo, quem sibi indixerat. Dein frequenter habere longa colloquia irreligiosum est, & suspectum. Nam talia inanem faciunt hominem, & sancti propositi immemorem, & ad quietis, & cellæ custodiam pigrum, & ad divina cogitanda cæcum, & insipidum L. c. c. 10.*

7. Coram Superiore maximè servandum est silentium, &, si loqui oportet, in modo loquendi religiosa servetur modestia, ut verba modestiam, subjectionem, humilitatem, & comitatem spirent, gestusque sint tranquilli. Ita docuit S. Bonaventura *spec. c. 2. Locutio habeat honestatem, ut de illius, & illorum, quibus, & de quibus fit sermo, dignitati consulatur.* Proin in præsentia

tia Superiorum continuò silendum est, quia eo loco loqui, & docere magistrum condecet, audire, & tacere discipulum.

8. Sub quavis correctione à Superiore factâ adeò silentium teneas, ut non nisi post absoluta Superioris verba modestam excusationem proferas.

9. Similiter tacere ad convitia aliorum, ad contumelias sodalium nihil proferre, egregium, piissimum, & heroicum opus à SS. PP. testimoniis, & Salvatoris divini exemplo comprobatur.

10. Frequenter perpende loquacitatis mala. Inducit enim laxitatem conscientiæ, dissolutionem animi, inopiam spiritûs, oblivionem intentionis, offensionem proximi, corruptelam disciplinæ, & quid non ultra? *Quia loquacitas* S. Climaco Doctori *gradu* 11. *est inanis gloriæ sedes, ignorantiæ certum argumentum, detractionis janua, scurrilitatis dux, mendacii opifex, compunctionis desolatio, acediæ author, sive evocatrix, somni præcursor, intentæ, fixæque cogitationis dissipatio, custodiæ exterminatio.*

300 Notandum solùm hîc venit, ne quisquam nimia taciturnitate singularem se exhibeat in recreationibus pomeridianis, vespertinis, vel aliis publicis conventibus, ubi omnino loqui licitum, conveniens, & utile est. Nam, cùm loqui licet, temperatè utilia, & necessaria sive tibi sive aliis dicas; quia, *qui ita singulari silentio rigesceret, diu stare concorditer cum aliis non posset. Aut ipse per se deficit, aut diabolicis instinctibus ad aliqua deteriora in fine labitur &c. Non est sine periculo, & laqueo* (quod bene notent illi, qui ex rancore in communitate vix verbum proferre dignantur, cum particularibus verò, & in occulto non nisi murmura, & inveteratæ passionis indicia, nec non charitatem communem dissipantia ab ore emittere solent) *singularis observantia in communi domo. Ille magìs laudabilis fervor, qui communia propriis* (juxta regulam Aurelianam & Apostolicam) *præponens, in his nunquam negligens satagit inveniri, quæ cum aliis susceperit ad portandum. l. 2. c. 8. de sil.* Atque hæc moderata silentii solutio recreationis tempore non solùm non prohibita, sed etiam ab Ordinum sacrorum fundatoribus permissa, quin & mandata fuit. Sic S. Benedictus in c. 48. §. 4. statuit: *Dispensamus quod fratribus nostris post refectionem primæ per spatium unius horæ liceat ire per hortum, aut per monasterium pro sua recreatione.* Ubi observat P. Nigronus *Tract.* 15. *n.* 28. nimis exiguam fore recreationem (quam intendit S. Patriarcha) si taciti, & solitarii deambularent: proinde consuetudo interpretata est, recreationem illam mutuis colloquiis esse faciendam. Id sub eodem S. Patris vexillo militantes Camaldulenses; clarè notant *constit. c. 48. dispen-*

dispensent patres cum fratribus, ut possint à prandio per dimidium horæ, animi gratiâ per viridarium aut aliquam aliam monasterii partem, in quo non sit perpetuum silentium, deambulando simul de rebus sanctis, aut literis colloqui. Simile statuunt Canonici Præmonstratenses, ut refert in distributione ordinis diurni Lairvelz *in opt. spec.* 31. S. Albertus Patriarcha Jerosolimitanus *p. 1. constit. c. 4. §. 8.* PP. Carmelitis assignavit *loca statuta, in quibus honesta fieri possunt colloquia.* Clerici Regulares theatini à Præpositis domorum permissionem habent, ut à prandio per horam colloquantur, tum signo dato ad sua se quisque opera recipiat. Quod adeò omnibus religiosis Ordinibus defacto commune est, Christi Salvatoris authoritate comprobatum, qui in regula vivendi *S. Birgittæ c. 6.* præscripsisse perhibetur, *ut silentium solvant virgines religiosæ à gratiis actis post prandium usque ad vesperas, & à gratiis post cænam usque ad collationem*, quæ post certas preces peractas somno præmittitur. Cujus ratio universalis est, quòd ejusmodi colloquia Dei servos, & amicos recreent, & fructum spiritualem discipuli à magistris, adolescentes à senibus, & imperfecti à perfectis non minimum capere possint, cùm teste *S. Augustino l. 2. de trin. c. 3. Deus revelet suas veritates etiam per fraternas sermocinationes.* Sicut etiam magni Magistri discipulus Kempensis *hort. rosar. c. 17.* ait: *qui fratri contristato solatiosum verbum respondet, osculum amorosum ori JEsu tribuit, &c.*

Notandum 2. Ubi necessitas 301
vel pietas loquendum dictat, loquendum esse, cùm tunc nec regula, nec statuta ad silentium obligare valeant. Nam publica aliqua necessitas totius alicujus religiosæ communitatis, vel privatæ innocentiæ (quorundam injusta vi oppressæ, aut opprimendæ) scientia ex alio divino præcepto silentium à nobis dissolvendum coram competente judice, & loquendum præcipit. Ast de hoc silentio servando, & solvendo hìc nobis non est sermo, qui de regulari & determinato tempore observando nunc tractamus.

De secundo modo, scilicet in 302
mensa sub lectione silentium observandi, quædam sunt notanda. Dato ad refectionem signo nisi graviori occupatus negotio relictis omnibus maturè refectorium accedas. Peractis precibus, & benedictione mensæ præmissâ in loco sedens tibi parato modestiæ regulis *c. 3. art. 7. f. 192. in priori parte* allatis exactè utaris. Has enim hìc non repetimus, sed ad religiosum silentium sub lectione tenendum monita nunc convertimus, huic rubricæ convenientia. S. P. N. etenim specialiter videtur silentium sub lectione mensali à suis exegisse, & etiamnum à sectatori-

bus suæ regulæ exigere, dum in hæc verba *c.* 3. *Regula* mentionem facit: *cùm acceditis ad mensam, donec inde surgatis, quod vobis secundùm consuetudinem legitur, sine tumultu & contentionibus audite; nec solæ vobis fauces sumant cibum, sed & aures percipiant Dei verbum.* Neque hoc præceptum S. Patris ratione caret, quam triplicem affert Umbertus in hunc locum *S. Reg.* 1. „Est, ut „in mensa non solùm homo exte„rior, sed etiam interior pascere„tur verbo Dei. 2. Ut anima in„tentu divinæ lectioni, & per hoc „retractata à delectatione cibo„rum magìs peccata caveat, quæ „ex hujusmodi delectationibus „nasci solent. 3. Ut per hoc evi„tentur NB. nociva verba, quæ „solent in conviviis oriri, propter „quæ dives legitur punitus in lin„gua. Hieronymus. Convivia „tunc ex charitate veraciter pro„deunt, cùm in eis absentium nul„la vita mordetur, nullus ex illu„sione reprehenditur, nec in eis „negotiorum sæcularium inanes „fabulæ audiuntur.„ Hujusmodi statutum olim servatum fuit, cùm clerici simul comedebant, & adhuc servatur apud aliquos, qui ita in commune vivunt, sæculares. Ista statuerunt antiquitùs etiam pro sacerdotibus, & clericis sæcularibus, & non solùm pro Religiosis Patres in concilio toletano tertio, ubi *c.* 7. *dist.* 44. habetur expressum conceptis verbis. *Pro reverentia Dei, & sacerdotum id universa S. constituit Synodus, ut (quia solent crebro mensis otiosa fabulæ interponi) in omni sacerdotali convivio lectio divinarum scripturarum misceatur.* Idquoque statuit Innocentius III. Pontifex *c. cùm ad monasterium. de statu con. Ut in oratorio, refectorio, & dormitorio continuum silentium observetur.* Similem tradidit regulam Angelus Pachomio antiquissimo Monachorum magistro. *a.* 3. *si aliquid necessarium fuerit in mensa, nemo audebit loqui, sed ministrantibus signi sonitum dabit.* Nec facilè Augustinianæ regulæ observator de cibis conqueratur, nec iniquum judicet, si alii lautiùs tractentur, quia scriptum est *c.* 1. *Reg. non æqualiter omnibus, quia non æqualiter valetis omnes.* Ipse Sanctissimus Pater, uti testis est S. Possidonius in vita ejus, mensam suam episcopalem sacra lectione, vel disputatione post lectionem quorundam S. scripturæ locorum condiebat, *in ipsa mensa magìs lectionem, vel disputationem, quàm epulationẽ, potationemque diligens.*

Non vacat utilitatem, fructum, 403 jucunditatem, & necessitatem mensalis lectionis hic pluribus exprimere, juvat tantùm rationem silentii reddere, & quidem

1. Silentium summè servandum est sub lectione mensali propter ingens desiderium aliorum, qui non solùm alimenti sumendi corporalis, sed etiam spiritualis sumendi gratia accedunt, de

de quibus dicit S. P. *sed & aures esuriant Dei verbum.* Hinc Thomas Kemp. *hort. rosar. c.* 17. non tantùm, *qui fratri in mensa meliora, quàm sibi apponit, JEsum charitatis dapibus, & favo mellis pascit, & qui inter refectionem bene & distinctè legit, convivantes in mensa JEsu poculo cælesti lætificat, & inebriat sitientes. Qui verò malè legit, saporem cibi minuit, & qui sæpe titubat, mappam JEsu maculat.* Sed & *qui cum fratribus* NB. *ad commune refectorium vadit, ut sacram lectionem audiat, cum JEsu, & discipulis ejus cœnat, & bibit. Et qui eloquia Dei in mensa lecta in corde suo recondit, cum S. Joanne Apostolo supra pectus JEsu in cœna recumbit. &c.*

2. Silentium servandum propter attentionem mentis. Sic S. Laurentius Justin. *l. de disc. & perf. mon. con. c.* 20. voluit, & accuratissimè observandum præcepit, *ut lingua omnino sub silentii rigore persistente tota mens in consideratione eorum, quæ leguntur, delectabiliter occupetur, & de iis saginetur, ne alio vagetur, nisi fortè ex superveniente gratia ad altiora traheretur.*

3. Propter spiritualem fructum, & gustum, qui ex spirituali lectione hauritur. Hinc S. Hugo præclaros, utilioresque locos bis, tèrve repeti jubebat. Et de S. Carolo Borromæo scribitur, quod ad ea, quæ legebantur edenti ipse fuerit attentus maximè, tum exteros quoque cum eo accumbentes attentos facere solitus est &c.

4. Cogitet audiens omnia lecta, præcepta, consilia, monita, reprehensiones, promissiones, sive ex S. Scriptura, sive aliis authoribus præclarè congesta sibi esse dicta, proin ex multiplicitate, & varietate lectionis multiplices & varios affectus in se excitet.

5. Ad spiritualem perfectionem lectionem mensalem conducere sciat, ad hanc sicut vi professionis religiosæ conniti obligatur, ita ineptis garrulitatibus & strepitu abstinere tenetur.

6. Servato silentio attentè lectionem mensalem quilibet audiat propter institutum regulare, cui munus concionandi, catechizandi, docendi, monita spiritualia privatim, & in confessionali aliis dandi incumbit. Qui lecta sub mensa bene notaverit, & in cubiculo postea in communes locos redegerit, brevi tempore, & labore exiguo variorum exemplorum, innumarerum rerum, & notandarum sententiarum thesauro accumulatum se sentiet. Dein ex lectione attentè percepta facilè eruitur materia utilissima pro discursibus finita lectione inchoandis, & cum fructu protrahendis.

7. Dissimulanda, & silentio supportanda sunt errata à lectore prolata, ne tumultus, & contentationes excitentur. Ubi duo sunt notanda: unum ex parte lectoris, alterum ex parte correctoris. Quoad 1. facilè contingit lectores, juniores præsertim in le-

gendo ad mensam peccare, vel ex incuria unum pro alio simile verbum efferendo, vel ex inscitia syllabas breves producendo, & longas corripiendo, vel aliqua perperam mutando. Quoad 2. ipse corrector ex inconsideratione non advertens animum ad lectoris lapsum vel ex tenuitate vocis legentis, aut hebetudine aurium potest nonnunquam deesse officio suo. Utrique compatiendum est, nec statim aures erigendæ, nec capita invicem inclinanda in signum notati erroris, vel strepitus excitandi, aut risus movendi sunt. Dissimulatione ergo opus est, qua ejusmodi impetus cohibeatur, molestus lapsis, inimicus chatitatis, violator disciplinæ, modestiæ perturbator. Compatiendum est errantibus, non errores exprobrandi sunt, & cachinnis ineptis explodendi. Homines enim sumus omnes ad errores proni, & qui fortè hodie alteri exprobrat defectum, cras in turpiorem labitur. Tu qui notas, subrides, qui nutu oculorum sodali significas lectoris, aut correctoris lapsum, nonne aliquando legens, & corrigens peccasti? Putasne tam doctum aut accuratum, aut consideratum te esse, ut si legeres, aut emendares, non alii te observare, atque irridere possent? Valeat apud Religiosos in his eventibus *Ecclesiastici 32. v. 12.* Monitio: *in multis esto quasi inscius, & audi tacens simul & quærens.* In ordine Prædicatorum *S. Vincentii tract. de vita spirit. c. 10.* doctrina est: *Si aliquis malè legit, vel cantat, vel quocunque modo ineptè se habet, non submurmures, vel corrigas. Est enim species cujusdam jactantiæ talis correctio. Idem in lectione quantumcunque quis malè & ineptè legat, nec etiam aliquod signum facias: quia hoc est signum mentis vento elationis inflata.* Ita quoque S. Bonaventura agens de præsumptionis ac superbiæ signis *p. 1. spec. c. 5.* hæc ait in rem nostram: *præsumptio etiam gestus in signis & nutibus frequenter agnoscitur, ut e.g. si quis in choro, vel alibi, pro fratrum defectibus satyricè nubilum vultuositatis assumat, vel levi cachinno, id est, risu, vel motu capitis, oculorum circumlustratione narium contractione, labiorum compressione, vel alio quovis modo defectum fratris tacitè arguat, vel subsannet.*

Quæres, si Prælatus præceperit 304
silentium verbis verè præceptivis, quomodo & quantum pecces, venialiter vel mortaliter?

R. 1. Silentium juxta statuta, sicut & alia, quæ continentur in regula extra materiam votorum deficiente speciali præcepto non obligare subditum religiosum in foro interno, nisi præceptum simul positivum in locutione lædatur, ideoque qui non observaverit silentium teneri solùm ad pœnam à Superiore infligendam. Ita omnes D.D. ex ratione Superiùs *a. 1. §. 3.* & alibi assignata. Atque de

hoc

hoc non videtur esse status quæstionis.

R. 2. De speciali præcepto injunctum silentium obligare etiam in foro interno sub peccato, & quidem secundùm quantitatem materiæ. Hinc si in dormitorio silentium, qui contra præceptum Prælati per tres horas garriret, peccaret mortaliter. Fortè qui & paucioribus, nam tametsi *naturalis* Dies 24. horis componatur, *moralis* creditur habere pauciores. Unde qui 12. illum æquinoctialibus constituunt, eum qui in octava ejus parte, hoc est, horâ, & media aut duabus horis integris, & continuis operatur die festo, arguunt de mortali, quod videtur posse etiam de silentio impræsentiarum probabiliter dici. Nomine *præcepti* intelligo illud, quod ponitur ex virtute obedientiæ, quia præceptum formale, quod Prælatus fert *quà Paterfamilias* (duplicem enim personam sustinet ordinarius loci Superior, scilicet *Judicis* & *Patris*: ut *Judex* & Christi Vicarius jurisdictione & potestate præceptiva gaudet; ut *Pater* suos tanquam filios gubernat, hortatur, & illo suaviori modo dirigit, de quo S.P. N. in Regula c.11.) non potest attingere silentium, quis enim uspiam dixit, posse Patrem familias indicere silentium propter se suis filiis? *Si garriret*, dixi, quia si esset necessarium loqui, puta propter hospitem, vel propter aliam causam, non peccaret: quia necessitas, & urbanitas sunt fortiores ipso præcepto monastico. *Caramuel in Theol. Regul. Disp. 50. n. 715.*

FAMES CANINA.

305 SIcut silentii censura, cellæ amor, fuga conventiculorum, & fraternæ charitatis discretus conservandæ cultus ad disciplinam regularem conducunt, eámque continent; ita vice versa loquendi cupiditas illam destruit, elimినátque. Incendit in Religiosorum cordibus *famem* istam colloquendi dæmon præcipuè meridianus molestus, & perniciosus. Nemo ignorat, tunc demum propensiones animi quiescere, cupiditatésque defervescere, ubi obtinent illud, in quod impetu quodam inordinato ferebantur. Quod in fame ac siti accidere in nobismet ipsis advertimus. Nam cibi appetitus non quiescit, donec saturatur: nec sitis, quæ humoris & frigidi est appetitus, nisi potu sedatur. Recreatio spiritualibus & religiosis sermonibus certo tempore, & horâ præscriptâ institutis illam sciendi cupiditatem, colloquendíque proclivitatem quodamodo satiat, paſ-

pascitque. Ast sunt quidam Religiosi, qui videntur *famem caninam* in se alere, ut nullis limitibus arctentur, sed quo plus temporis ineptis colloquiis insumunt, eo plus illis cupiant impendere. Istorum proinde loquacitatis cupido spiritualis morbus meritò appellatur à viris religiosis similis *fami caninæ*. Hæc enim tam vehemens est secundùm doctrinam Hippocratis, Galeni, Aristotelis & Plutarchi à P. Nigrono *tr. 15. n. 27.* relatorum, ut cibos sine modo ac mensura appetat. Proin Religiosus ejusmodi morbo laborans extrema assumere media tenetur, si velit à periculosa, gravique ægritudine reconvalescere, quod tunc fiet, quando silentii leges ex præscripto Superioris exactè observaverit, suúmque os ab inutilibus custodierit colloquiis, ne lingua potiùs instrumentum fiat meridiani dæmonis, quàm Christi ad animam intùs loquentis.

Ut vocem Christi in corde ad animam loquentis frequentiùs, ac sanctiùs audiret B. Stanislaus Polonus, Canonicus Regularis Casimiriæ prope Cracoviam posuit ori suo custodiam, & inanes confabulationes penitus evitavit. Honestis is in eadem civitate parentibus natus, tyrocinium in Universitate Cracoviensi primo posuit tanto profectu, ut æquales omnes scientiâ superarit. Inde inter nostros in Monasterio Casimiriano ad Corpus Christi nuncupato adlectus, tanquam lucerna super candelabrum posita, vitæ sanctimoniâ, & perfectione virtutum adeò effulsit, ut brevi temporis intervallo Concionatoris, paulò post Lectoris, deinde Subprioris munus obire fuerit coactus. His officiis perfunctus, plurimos doctrina, exemplo, charitate inprimis actuosa, Christo lucrifecit: maximè quando misericordiæ opera exhortationis verba comitabantur. Bis tantùm singulis septimanis reficiebatur, cilicium asperrimum gestabat: nuda in humo capiti supposito lapide somnum fallebat: vigiliis, orationibus, contemplationibus in Ecclesia diu noctúque incumbebat, sacrosanctum missæ sacrificium quotidie summa cum devotione litabat. Silentium quasi perpetuum servare videbatur. Ad hæc impensè deditus fuit cultui Magnæ Matris Cælitum Reginæ: in præmium suæ devotionis ipsam Deiparam cum dilectissimo Filio suo, & S. Stanislao Cracoviensium Episcopo ac Martyre sibi apparentem aspicere atque ab eâ hæc verba audire meruit. *Gaude fili Stanislae, de insigni ista tua devotione, qua me, & S. Stanislaum prosequeris. Viriliter age, te etenim unà cum Sanctis meis merces copiosa expectat in cælo.* Ex hac vita migraturo rursus Christus cum Matre sua, Sanctisque Tutelaribus Poloniæ ei se visendum præbuit

buit, blandè ipsum compellans, *Surge*, inquit, *festina fili mi Stanislae, hodie mecum eris in paradiso.* Quibus verbis animatus, cùm se æternitati per usum Sacrorum præparasset, in illis regii Psaltis verbis *In manus tuas*, Domino spiritum exilientem commendavit 3. Maii. An. 1489. Illius sanctitatem declarârunt miracula post obitum ejus patrata, ex quibus primo statim anno per Canonicos dicti Cœnobii centum septuaginta tria fuêre anotata. *Ex vita per P. Christophorum Lonievium Can. Reg. Cracoviæ An. 1610. edita.*

Venerabilis Alardus Pilsum Friso ex Congregatione Windesemensi tantæ mansuetudinis erat, ut cunctas Monasterii S. Agnetis Zwollensis incolas in sui amorem raperet, & stuporem. Ætatis licèt esset decrepitæ, & quasi quotidie foras spectantis, nunquam tamen omisit, quin ad chorum, & commune refectorium inter primos semper esset, dicere solitus, *optimum ferculum, quod haberet in triclinio, esse Sacram lectionem qua tantopere delectaretur, ut sine illa cibi non saperent.* Hinc ne fructu illius careret, nunquam, nisi urgente gravi necessitate, communi mensa abesse voluit. Gaudere se etiam multum ajebat, de præsentia Concanonicorum, tanta morum gravitate mensæ assidentium, & quæ sibi apponuntur, tanta cum modestia comedentium. Senio gravatus, cùm solus incedere nequiret, baculo innixus januam chori accessit, ut religiosos Canonicos laudes divinas persolventes, audiret, tum sumptâ aquâ lustrali flexo poplite, in principe ara latitanti Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramento reverentiam submissam exhibuit. Frequens ac mirè devotus extitit in celebrandis ad aram divinis mysteriis, sub quibus cœlesti suavitate, ac mirâ replebatur dulcedine. Et quia mori optabat in festo inventæ Crucis juxta vota à Deo exauditus hoc die An. 1436. ætatis 76. Religionis 30. animam pientissimè exhalavit. *Ex Thoma Kemp. in Chronico Montis S. Agnetis c. 24.*

Illustrissimus Petrus Franciscus Maletus Vercellensis, cùm Congregationi Lateranensi An. 1580. juvenis nomen dedisset, virtutibus religiosis tam sedulam navavit operam, ut brevi Religiosi absolutissimi exemplar esset, haustisque altioribus studiis præcipuus suo ævo Orator, ac Theologus. Astæ apud Insubres cùm *S. Secundi* illius civitatis Protectoris solemnis Translatio fieret, ipseque de laudibus ejusdem Divi inter uberes Sanctæ lætitiæ lachrymas perorarer, gratiam tantam apud Catharinam Austriacam Hispaniarum Infantem & Carolum Emanuelem Serenissimos Sabaudiæ ac Allobrogum Duces promeruit, eorúmque pietati atque religioni suâ dicendi facundiâ fecit satis ita, ut illius alloquio plurimùm delectati, cum

eum sæpius in aulam evocatum privatum moderatorem conscientiæ, colendæque pietatis adhibuerint. Porro Vir erat animi semper sereni, in sermo paucus extra suggestum, multus tamen in opere. Præfuit An. 1615. toti Congregationi Lateranensi Abbas generalis, inde postmodum à Gregorio XV. Episcopus Niceæ in Provincia constitutus, piissimè obiit. Cùm à Serenissimo Carolo Emanuele Sabaudiæ Duce extraordinarius apud Pontificem orator fuisset, primo quidem loco ad curandum de B. Amadeo in apoteosin referendo, deinde verò ad cætera negotia statûs pertractanda, & promovenda, scripsit 3. libros Italico idiomate *de vita B. Amodei tertii Sabaudiæ Ducis* Anno 1613. *Taurini impressos. Ex Lyceo Lateran. l. 14.* Ubi in laudem Petri Francisci quædam afferuntur anagramata.

Blasius Lusitanus ex Congregatione Conimbricensi magnæ virtutis Vir. Quadraginta Annos in summa vitæ austeritate, & regulæ observantia in Ordine nostro, nec ullum toto vitæ tempore sive ex præcepto Ecclesiæ, sive ex Instituto Religionis jejunium omisit, silentium diurnum sanctè custodivit. Officium divinum in Ecclesia nunquam, nisi gravi ægritudine detentus intermisit, solis Vesperis unius diei exceptis ex causa vehementis doloris intestini, ut ipse morti proximus narravit. Beato fine quievit 30. Aprilis An. 1571. *Ex Gabr. Pennotto nostro in Histor. tripart. l. 2. c. 61. n. 5.*

B. Robertus Canonicus Regularis Vulpeti propter eximias virtutes in Religione exercitas florem virginitatis illibatum tumulo intulisse, & Virgo ad Sponsum Virginum pro Virginitatis corona perrexisse scribitur à Joanne de Nigravalle, & à Constantino Ghinio in Natalibus S. S. Canonicorum ad diem *29. Aprilis* commemoratur.

Non desunt imitanda virtutum exempla, modò non desint imitatores.

ARTICULUS V.

De Cubiculo.

SUMMARIUM.

306. *Bona Cubiculi custodia ex fructibus comendatur.*

307. *Documenta observanda.*

308. *Cella est officina Sanctitatis.*

Cubi-

506 CUbiculum seu cella multorum causa est bonorum, quia est universale remedium distractionis, ariditatis, & perturbationum; profectum & lachrymas gignit, Deum & Angelos associat homini, consolationes affert, Deum & res spirituales facit cognoscere, devotionem creat, conscientiam serenat, & mundam efficit.

Ven. *Thom. Kemp. l. de disc. claust. c. 7.* ait: *sicut stabili homini cella est paradisus, ita vago videtur carcer & cippus.* Hieronymo *de Vit. Monach.* scribenti, *oppidum carcer, & solitudo paradisus est.* Perpulchra & Sancta scribit præfatus Ven. Thom. *l. 1. imit. c. 20.* de solitudine sacra, ejúsque necessitatem pro consecutione Sanctitatis, & interioris pacis deducit. Sicut etiam alibi *to. 2. op. 4. c. 18.* docet: *latere & tacere bonum est pro pace cordis & obtentu orationis.* Sicut enim piscis extra aquam citò moritur, ita Monachus extra cellam leviter distrahitur, & inquinatur. Candela ardens à vento citò extinguitur, in lucerna latens custoditur. Sic fervor devotionis in secretiario cubiculi tutiùs servatur, & in negotiis æternis faciliùs dissipatur. Hinc pro majore haurienda divinæ bonitatis dulcedine fatetur Sponsa *Cant. 2.* se *introductam* fuisse *in cellam vinariam & ordinatam* simul fuisse *à Sponso charitatem*, quæ foris sæculi tumultibus distracta & minùs fuisset custodita. Sequitur ergò, si silentium religiosum sit observandum, æquè secretum cubili sanctè esse custodiendum, ubi veniunt observanda sequentia.

1. In cubiculo tuo viriliter & 307 sanctè peragas ea, quæ ibidem fieri obedientia injungit, ut suo tempore dormias, surgas, ores, mediteris, recollectioni vaces, examina conscientiæ instituas, imperfectiones corrigas, litteris operam des, omnia ex præscripto ordinis diurni. *In Cella*, ait Kemp. *op. 11. c. 8. aut legens, aut orans, aut operans inveniaris.*

2. Cubiculo numquam exeas, nisi cogat necessitas, quod benè persuadet tanquam aptissimum remedium Ven. Kemp. op. 4. c. 18. *ad cavendum distractiones cordis in multis rebus visis & auditis; quia, quæ oculus non videt, nec auris audit, cor non dolet, nec cito turbatur.* Enimverò ob levissimas causas cubiculum relinquere, & evagari, idem est, ac si opifex suam officinam, & miles stationes suas desererent. Periculosus sæpè exitus cellæ, mansio ejus quies devotissimæ vitæ, ut ait Kemp.

3. Si oportet exire, non exeas, nisi oratione brevi priùs fusa, qua te obarmes contra peccatum, postules gratiam, ad Dei gloriam conversandi, & bona intentione opera tua perficiendi.

4. Ad Cellam obedientiâ duce re-

rediens in genua prostratus orationem brevem & ferventem è cella in cælum jaculare, prout monet S. Th. Kemp. *op. 10. c. 4. rediens ad cellam velut ad tranquillitatis portum, fige in ea stabilitatis anchoram per orationem ferventem & lectionem devotam.* Inclina caput ante imaginem crucifixi, B. Virginis, vel alterius Sancti, & dic: *hæc requies mea in sæculum sæculi, hìc habitabo, quoniam elegi eam. Domine bonum est nos hic esse.* Si ex hominum convictu maculam contraxeris, dole, emenda, propone meliora, & veniam pete.

5. Alterius confratris tui cubiculum nunquam ingredere, clauso post te ostio, & si necessitas compellit intrare, citò expedi, quæ petenda, insinuanda, vel tractanda sunt.

6. Ne unquam fastidium pariat cubiculum, cogita, quasi quotidie te moriturum, & Deo redditurum rationem. 2. Meditare te in cubiculo velut in carcere propter Christum inclusum, nam *bonum est & laudabile, si quis velit ibi propter Deum incarcerari*, ut ait Kemp. *de exercit spir. cap. 11. qui* enim adeò *voluntariè carceris religiosi Molestias propter Christum æquô fert animô, & cùm curiosum oculum claudit, ne sæculi vanitates aspiciat, tunc mercedem cum Sanctis recipiet, quorum oculi fuerunt à tyrannis excæcati,* Ita rursus illuminatissimus asceseos Magister Th. Kemp. *p. 2. ser. ad Novit. 2.* 3. Perpende cæli & cellæ cognationem, & ex cella in cœlum migrationem. *Cella & cæli habitatio cognatæ sunt*, inquit S. Bernar. de vit. solit. quia sicut *cælum & cella ad invicem videntur aliquam habere cognationem uti nominis sic & pietatis.* 4. Converte te modò ad æterna gaudia, modò ad horrenda supplicia, & fastidium non creabit cubiculi solitudo. 5. Sordes non patiaris, nec malè dispositum cubiculum, quasi fætidum, & insalubre. Serva munditiam, & sanctè exorna, ut magis placeat tibi quàm displiceat. 6. Pone ob oculos tuam data occasione peccandi proclivitatem, quo fiet, faciliùs te contineas intra cellæ angustias, tanquam imbecilliorem. 7. Cogita divinas gratias & suavitates cœlestes, quibus abundare soles, si diligentiùs custodias te à mundanis deliciis, & nihil de te præsumendo, sed potiùs omni humiliatione dignum existimando sacris lectionibus incumbas. Hæc si altiùs animo tuo imprimas, frequentiùs consideres, & rationes has asceticas ritè perpendas, quin & fructus spirituales ex ista cubiculi custodia uberrimè promanantes degustes, procul abscedet omne tædium cellaris ac religiosæ solitudinis. Otium tantummodo fuge veluti pestem, & inter Sanctos labores *cella continuata dulcescet, sicut malè custodita tædium generabit.* Ut ait incomparabilis Th. Kemp. *l. 1. imit. c. 20.*

OFFICI-

OFFICINA SANCTITATIS.

308 S. Basilius cellæ, & vitæ solitariæ amator planè eximiam laudem tribuit diligenti custodiæ cubiculi, eámque *eremum sanctarum mentium*, *paradysum deliciarum*, *cœlestem Apothecam*, *mirabilem officinam spiritualium exercitiorum mortem vitiorum, & vitam virtutū* appellat. Degustemus ex ipso fonte stillantem verborum dulcedinem. Ita enim tractatum de laudibus eremi, sive solitariæ vitæ inchoat: Solitaria vita cœlestis doctrinæ est Schola, ac divinarum artium disciplina. Illic Deus est totum, quod discitur; via, qua tenditur: totum, per quod ad summæ veritatis notitiam pervenitur. Eremus est paradysus deliciarum, ubi spirant ornamenta virtutum. Ibi rosæ charitatis igneo rubore flammescunt; ibi lilia castitatis niveo candore candescunt, cum quibus etiam humilitatis violæ: ibi myrrha mortificationis non solùm carnis; sed, quod gloriosiùs est, propriæ voluntatis exundat, & Thus assiduæ orationis indesinenter emanat. - - - - - O Eremus Sanctarum mentium delectatio, & intimi gustûs inexhausta dulcedo! tu Caminus ille Chaldaicus, ubi Sancti pueri ferventis incendii vires orationibus reprimunt, & extinguunt. Tu fornax, ubi superni Regis vasa formantur, & ad perpetuum nitorem malleo pœnitentiæ percussa, & lima salutiferæ correctionis erasa perveniunt. O Cella negotiatorum cœlestium apotheca! felix commercium, ubi terrenis cœlestia, transitoriis mutantur æterna. *Et inferius*. O cella spiritualis exercitii mirabilis officina, in qua humana anima creatoris sui imaginem in se restaurat, & ad suæ redit originis puritatem! Tu das, ut homo mundo corde Deum conspiciat, qui suis obvolutus tenebris, Deum & se ipsum prius ignorabat. Tu facis ut homo in mentis arce constitutus, cuncta sub se videat terrena defluere, semetipsum quoque prospiciat in ipsa rerum labentium decursione transire. O Cella, Castrum Dei, turris David, Angelorum spectaculum, palæstra fortiter dimicantium! O Eremus mors vitiorum, fomes & vita virtutum! Tibi Moyses debet bis acceptæ legis decalogum. Per te Elias novit Domini pertranseuntis adventum. Per te Elisæus duplicem Magistri sortitus est Spiritum. Tu scala illa Jacob, quæ homines vehis ad cœlum, & Angelos ad humanum deponis auxilium. O vita eremitica, balneum animarum, purgatorium sordidorum, cella nempè est conciliabulum Dei & homi-

hominum. *Et sub finem.* O Eremus mundi persequentis felix effugium, laborantium quies, mœrentium consolatio, ab æstu sæculi refrigerium, peccandi repudium, reclusio corporum, libertas animarum, exedra gemmarum cœlestium, curia cœlestium senatorum. Ubi victor dæmonum socius efficitur Angelorum: exul mundi, hæres est paradysi, abnegator sui, sectator est Christi.

S. Basilium insecutus est S. Bernardus in prolixa laude *Cella* ac *vita solitaria*, quando melleo calamo hæc encomia adornavit in *Epistola ad fratres de Monte Dei. Cella*, inquiens, *& cœli habitatio cognata sunt: sicut enim cælum & cella ad invicem videntur habere aliquam cognationem nominis, sic & pietatis. A celando enim cœlum, & cella nomen habere videntur: & quod celatur in cœlis, hoc & in cellis. Quod quæritur in cœlis, hoc & in cellis. Quidnam est hoc? vacare Deo, frui Deo. Quod cùm secundùm ordinem piè & fideliter celebratur in cellis, audeo dicere, Sancti Angeli Dei cellas habent pro cœlis, & æquè delectantur in cellis, ac in cœlis. - - - à cella in cœlum sæpè ascenditur: vix autem unquam à cella in infernum descenditur: quia vix unquam nisi cœlo prædestinatus, in ea usque ad mortem perstitit.* Et inferius. *Cella terra Sancta, & locus Sanctus est, in qua crebrò fidelis anima cum Verbo Dei conjungitur, Sponsa Sponso sociatur, terrenis cœlestia, humana divinis uniuntur. Siquidem sicut templum Sanctum Dei, sic Cella est Servi Dei. In templo enim & in Cella divina tractantur, sed crebriùs in cella.* Idem *tract. de Modo bene vivendi ad Sororem c. 58. si*, ait, *propter Deum in terra vitaveris Societatem Virorum, per Deum in cœlo habebis Societatem Angelorum.*

Deinde *Serm. 40. in Cant.* solitudinem seu cellæ custodiam non ad iners silentium, sed ad operationem spiritualem pertinere probat, cùm ita prosequitur. *Sola*, inquit, *indicitur tibi mentis & Spiritûs solitudo. Solus es, si non communia cogites, si non affectes præsentia, si despicias, quod multi suspiciunt, si fastidias, quod omnes desiderant, si jurgia devites, si damna non sentias, si non recorderis injuriarum. Alioquin nec, si solus corpore es, solus es.* Nam rectè animadvertit Magnus Pontifex *l. 30. moral. c. 12.* exsplicans illud Jobi. 39. *qui dimisit onagrum &c.* Nullum profectum adferre cellam & solitudinem corporis, cui non accesserit voluntaria à rebus mundialibus segregatio mentis.

Quid enim prodest solitudo corporis. Si solitudo defuerit cordis? itaque benè conversantibus, & religiosam vitam tanquam statum perfectionis professis, *primùm solitudo mentis tribuitur, ut exurgentem intrinsecùs strepitum terrenorum desideriorum premant &c.*

Porrò, ut refert Cornelius *in c. 2. Osee.* Cornelius Musius illustris suo

ſuo ævo Delfis in Hollandia Christi Martyr carmen ſcripſit in laudem vitæ ſolitariæ, quod ita coronat:

Vive, ut vis, ſed, cùm ægrotabis,
Juſtis lacrymis damnabis
Omnes mundi incolas.
Et cùm morti propinquabis,
Tunc, ſed ſerò, provocabis
Ad beatas cellulas.
O beata ſolitudo!
O ſola beatitudo
Piis ſeceſſiculis!
Quàm beati Candidati,
Qui ad te volant alati
Porrò à mundicolis.

Fructus Sanctos cuſtoditæ cellæ, ſilentii, & ſolitudinis noſter Joannes Mauburnus Abbas Linriacenſis *in Roſeto 1. c. 3.* ſub finem ex eo demonſtrat, quòd varii Sacri Ordines iſta non obſervantes varios caſus, & diſciplinæ ruinas experti ſint. Cur verò Carthuſienſes in antiqua perſeverent Ordinis obſervantia, tria, ait, uno complexa verſiculo eſſe. Nimirum

Per tria, ſi, ſo, vi, Carthuſia permanet in vi.

Nempe per *ſi* intelligit ſilentium, per *ſo*, ſolitudinem per *vi* viſitationem. Per ſilentium & ſolitudinem fit, ne ſubditi ſuas murmurationes, & tentationes invicem communicent, & affricent. 2. Ne mentem terrenis & vanis phantaſmatibus, quæ concupiſcentiarum ſunt excitamenta, impleant. 3. Diſponunt animum, ut inſpirationes divinas excipiat. Deus enim hoc ſuum balſamum non infundit niſi animo libero, puro, à facibus terræ ſecreto, & ſoli Deo attendenti. Nam Theodidacto Aſceta noſtro docente *l. 1. de immit. c. 20.* quilibet dicere poterit: *quoties inter homines fui, minor homo redii.*

Hanc doctrinam alto inbibentes animo Sanctioris diſciplinæ zelatores Cellam, & Silentium veluti *officinam Sanctitatis* agnoverunt, ac proin ſeverius longè ſtudium adhibuerunt, ut utrumque Sanctè obſervarent. Inter alios nunc B. Seſnandum Luſitanum teſtem produco, cui vel ideo Martyrii Laureolam divinus Arbiter præparavit, quòd vivum ſe jam Martyrem feceritin ſolitudinis carcere, & ſilentii cuſtodia.

Fuit is unà cum fratre ſuo Moulone Fundator Cœnobii S. Mariæ de Villabona, quod & ampliſſimis redditibus donavit. Egit in eo aſceterio & ipſe Canonicum Regularem, ex quo poſtmodùm ad Cathedralis Eccleſiæ Portugallenſis Antiſtitem evectus eſt. Deditus erat totus orationi, contemplationi, ac aliis piis exercitiis, quorum intuitu Martyrii aureolam promeritus eſt, quod in hunc ferè modum accidiſſe probati perhibent Scriptores. Mos illi etiam Epiſcopo erat, ſtatis hebdomate diebus Sacellum quoddam in monte

monte octo stadiis à cœnobio distante ad rem sacram faciendam petere, id Mauris vicina loca incolentibus cùm innotuisset, positis insidiis, ut primùm opportunitatem nacti sunt, illum sacris vestibus indutum, atque ad aram litantem crudeli nece interemerunt, sicariis fuga sibi consulentibus.

Id cùm rescriverunt Canonici, protinus accurrerunt, verùm jam animam exhalâsse deprehenderunt: unde multis lacrymis perfusis illius cadaver in loculo lapideo ac eodem Sacello terræ mandârunt, quod post multos annos ad monasterium translatum plurimis claruit miraculis. Inter quæ illud silentio haud prætereundum, cùm post aliquot annos à die translationis corporis ipsius ad cœnobium Vilæ-bonæ agricola quidam ejus è lapide confectum sepulchrum è Sacello jam diruto, plaustro impositum efferret, à quodam interrogatus, quo illud deduceret, respondit, ut suibus pastum præberet. Vix verba hæc protulerat, illicò plaustrum in frustra confractum est. Perstitit ille in arrepto proposito, aliúdve plaustrum adducit, ac sepulchrum imponit. Verùm etiam bobus adhibitis loco nunquam potuit moveri, ídque tertia, & quarta vice frustra semper ab eo attentatum fuit plaustris ac funibus itentidem disruptis, atque concisis. Agricola proinde tædio affectus, tumbam in media via reliquit, ubi plus quadraginta Annis ad Annum 1596, quo Anno Monasterii tunc commendati Vicarius, facultate illud in cœnobium transferendi sibi facta ad Dei ter Opt. Max. & Sancti sui gloriam sine labore, sine bobus, duabus duntaxat vaccis plaustro suppositis eò detulit. Ubi nunc maximo honore afficitur. Dies Martyrii incertus est, non ignota vitæ Sanctimonia. *Ex Gabriele Pennotto l. 2. l. 61. n. 3.*

ARTICULUS VI.

De usu temporis.

SUMMARIUM.

309. *Tempus ex multis rationibus pro acquirenda sanctitate & ad obsequium divinum benè collocandum est.*

310. *Rationes pro usu temporis impendendi afferuntur.*

311. *Varia temporis descriptiones, ejusdemque bona locatio exemplis S S. PP. ostenditur.*

Rectè

309 RECtè ait Leo Papa: *mens otiosa, nihil aliud cogitare novit, quàm de escis & ventre*; otiosus enim est, qui tempus insumit aliter, aut in alium finem, quàm à Deo acceperit scilicet illa agendo, quæ ex vi proprii instituti non possunt referri ad obsequium Dei, vel in utilitatem proximi. Unde S. Chrys. *hom. 34. in Matth.* exsplicans illa verba (*quid hic statis tota die otiosi*) otiosum describit: *otiosus dicitur, qui opus Dei non operatur*: nam paulò infra inquit: *mercenarii sumus conducti, unde sine opere esse non possumus. Et sicut, si Mercenarius, qua die opus non fecerit, erubescit intrare domum, & petere sibi panem, quomodo tu non confunderis intrare in Ecclesiam, & stare ante conspectum Dei, quando nihil boni in conspectu Dei gessisti?* de otiosis certe conquerentur Fundatores, dum tempus inutiliter perditum à Religiosis, atque sine tendentia ad perfectionē sine fervore in meditationibus ad actus virtutum insumptum cognoverint. Ne verò otium foveatur, & tempus utiliter impendatur, regulæ sunt observandæ, iam *p.1.C.6 A.5.n360.F.447* & præcipuè *n367*. ibidem de septima circumstantia *quando* traditæ, cui doctrinæ addenda veniunt sequentia.

310 I. tempus vocationis tuæ ad statum religiosum ita impendas, ut actiones sint conformes statui *age quod agis*, ut fert adagium. Cogita te non intrasse Religionem, ut vaces ab operibus, & totum tempus vitæ tuæ nugis, confabulationibus, compotationibus, ludis, & somno consumas, nam otiosus non tantum est ille Relgiosus, qui cessat ab opere, sed etiam is, qui vanis detinetur occupationibus. 2. Quæcunque exercitia suis & præscriptis temporibus peragas cum reflexione actuali vel virtuali directa in illum scopum, in quem referenda sunt opera. 3. Nullus abeat dies, quo non insigne saltem unum mortificationis opus persolveris; generosa enim sui victoria attentum etiam reddit ad alia. Cogita illud, quod canit Pictorius poëta:

Quo te cunque die nil Sancti egisse videbis,
Hunc tibi vel penitus deperiisse puta

4. Post singula opera, & exercitia spiritualia brevi te reflecte, qua intentione, quo fervore, quo modo, cum quo fructu impenderis illud tempus, & dicito oratione jaculatoria: *O Domine Deus meus jam iterum unam horam temporis consumpsi, de qua oportet me reddere tibi rationem.* 5. Ad sonum horologii eleva mentem ad Deum varios actus fidei, spei, charitatis, contritionis, humiliationis, confidentiæ in Deū, gratiarum actionis, adorationis, glorificationis, &c. elice, & pii, oratiunculis assuesce. Sæpè illud quod monet S. Bern. *in form. honest. vita* cogita: *pro tempore, quod perdis, illi, qui in inferno sunt,*

sunt, *darent totum mundum, si haberent*. Omne punctum pretiosum, nullum momentum otiosum est homini, vel ex instanti pendet laurea, vel æternitatis pœna. Hæc frequenter meditare, & detrimentum temporis non patieris.

Denique tempus ritè ut impendas, præ omnibus ordinem diurnum exactissimè observes, qui in statutis est præscriptus.

MOBILE PERPETUUM.

311 M. Hugo Victorinus tempus describit *to. 3. l. 1. Elucid. Theolog. ex miscellan. tit.* 175. quòd sit *numerus motuum ordine sibi succedentium*, ut adeò perpetuò instans instanti conjunctum *mobile perpetuum* veluti continua gyratione sua efficiat. Hoc *mobile* actionum humanarum mensura est, quia *omnia tempus habent & suis spatiis transeunt universa, Eccles.* 3. Tempus est continuum sed actio transit, cessat, finitur bene, si bona fuerit, malè, si mala. *Cùm igitur omnia tempus habent certum ac definitum vel quando incipiant, vel quando finiantur, prudens animus in his omnibus putet aliquid esse, ut in eo fiduciam ponat, sed potiùs veris, & permanentibus bonis se conformans ita rerum mutabilium vanitatem despiciat, ut licèt unaquaque re pro tempore utatur, dum præsens est, nunquam tamen in ejus transitu animum à statu suo declinare permittat. Ille enim prudentissimus est, qui sic scit transeuntia in usum vertere, ut tamen non novit in eorum defectu mentem à sua stabilitate declinare.* Ita Hugo to. 2. *Just. Monast.* de vanit. mundi l. 4.

Pro benè locando tempore lectioni utilium librorum, salubri studio, sacrisque scripturis evolvendis incubuêre SS. PP., qui nihil pretiosius tempore existimârunt, patet ex vastissimis eorum operibus posthumo mundo relictis. Profundissima volumina S. P. N. Augustini satis indicant ingentem illuminatissimi ingenii laborem, quem diebus noctibúsque impendisse videtur ob tam mira doctrinarum abdita, materiarum varietatem, scientiarum soliditatem, & opusculorum numerositatem. Secuti sunt Sanctissimum Doctorem doctissimi discipuli innumeri, quorum in hoc tractatu brevem subinde mentionem pro tenuitate nostra ingessimus.

His modò adnumeramus Virum pietate religiosissimum eruditione omigena refertum, & spiritualibus documentis insignem Joannem Maurburnum Bruxellensem Belgam Congregationis Windesemensis præclarum sidus. Is omne ferè tempus Spiritu alibus exer-

exercitiis, & saluberrimis studiis insumpsit.

Assumptus ex Monasterio S. Agnetis propè Zwollas in Abbatem Liuriacensem & Doctorem Parisiensem, in Abbatia S Severini juxta castrum Nantonis in Francia quoque regularem disciplinam restituit, & denuo reflorere fecit. Eundem S. Joannes Bollandus S. J. in S. Severini *Virum inclyta Sapientia, eruditione ac Sanctimonia clarum* appellat, *qui notus ac celebris libris Asceticis, cum quibus nominis sui famam vulgavit, ut inter vitæ spiritualis magistros præcipuos numerari mereatur.* Absentia, & quæ aliis in locis acciderunt, illum cognovisse argumento est, quòd mortem Prioris Cœnobii Windesemensis in Hollandia siti, eâdem, quâ contigerat, horâ suis in Gallia ipse constitutus indicârit, diéque insequenti pro defuncti anima Sacra à Sacerdotibus fieri jusserit. Ipse verò animam pientissimè exhalavit 30. Decembris Anno 1502. dum ex sacra dominicæ passionis historia illa verba, *& milites comprehenderunt JESUM*, ei prælegerentur. Fertur, ad ejus sepulchrum, quod ante Summam aram visitur, febri maligna affectus, sanus discessisse. Scripsit insigne opus *Rosetum exercitiorum spiritualium*, & *Venatorium de antiquitate Ordinis Canonicorum Regularium. Ex Myræo, & Leandro de S. Martino Ord. S. Benedicti Theologiæ Doctore & Professore in Academia Duacena, qui Rosetum emendatiùs edi curavit Anno 1620. Duaci.*

Gabriel Pennottus Novariensis ab ingressu Congregationis Lateranensis acutissimi specimina ingenii dedit. Cùm tempus omne Philosophicis ac Theologicis scientiis impenderet, tantus evasit, ut, quæ didicerat, communicare aliis sine invidia in variis academiis Cremonensi, Ticinensi, Patavina fuerit jussus, tanto fructu & laude, quantum credibile vix est, quota in pectora Juvenum omnis usquequaque nationis transfuderit Sacræ Sapientiæ thesauros, & quantâ lectiones ejus fuerint excepta aviditate & discipulorum admiratione. Nullus illo clarior in enotandis difficultatibus, nullus pressior, nullus fundatior. Dum præsulari dignitate sublimatur, cuditur Derthone ab Hispano in Italicum idioma translatus liber cujusdam Joannis Marquez Eremitæ Augustinensis, in quo sumpta occasione disputandi adversùs Antonium Dazam Minoritam de institutione Ordinum Fratrum Minorum & Eremitarum, acerbè & expressò insurgit contra dignitatem & decus totius Ordinis Canonici, à S. Augustino Ecclesiæ Doctore Regulis illustrati. Marquezium alii succenturiati antiquam refricantes fratris Ambrosii de Cora damnati antesignani, Pauli, Jacobive Philippi Pergomensis fabellam, cámque de pulvere ac sordibus extra-

hentes longa Canonici Ordinis præjudicia moliebantur.

Hinc ne censerentur tanquam canes muti non valentes latrare, qui super gregis custodiam excubant, Canonici, conatus adversariorum infringere irritâque molimina reddere statuerunt. Ast obstitit decretum Sixti IV. Pontificis Anno 1484. emanatum, quo universaliter prohibebatur, ne inter prædictos Ordines, eorúmque assSeclas & fautores de ejusmodi argumentis quocunque modo imposterum pertractaretur. Ea propter ad Apostolicam Sedem confugere necesse erat, ut illa certior reddita de personato recenter classico, déque indicta pugna post tot annorum decades, alto sub silentio ductas, quid agendum, decerneret. Re cognita discussáque per Sacram Indicis Congregationem decrevêre Eminentissimi Patres, licitum Canonicis Lateranensibus stare ex adverso, jura tueri propria, & quæcunque adversarii in eorum præjudicium prætulissent, eliminare. Generalis Faseoli mandato proin hæc Provincia Abbati Gabrieli Pennotto imposita est, qui adversæ partis ictus tam feliciter suscepit, & molimina Marquezii ita destruxit, ut nulli re insurgere licuerit, dum *generalem totius S. Ordinis Clericorum Canonicorum historiam Tripartitam* typis Cameræ Apostolicæ An. 1624. publici juris fecit. Scripsit insuper *propugnaculum humanæ libertatis. Lugduni sumptibus Jacobi Cardon, & Petri. Cavellet An. 1624. Defensionem censuræ factæ à Card. Baronio, & Bellarmino & à Theologis Lovaniensibus super sermones ad Eremitas D. Aug. suppositos. Venetiis An. 1630. Refutationem libelli Apologetici pro asserto Chronico Lucii Dextri. Ibidem.* Et alia Theologica opera. Obiit An. 1632, ætatis 64. *ex Lyceo Lateran. l. 7.*

ARTICULUS VII.

De vita activa, contemplativa & mixta.

SUMMARIUM.

312. *Actiones vitæ activæ referuntur.*
313. *Duo deducuntur corollaria.*
314. *Duo cavenda sunt vitæ activæ studiosis. Et moderanda actio, ne perturbatio, indiscretio, & vanagloria irrepant.*
315. *Actiones vitæ contemplativæ. Et*
316. *Ejus præstantia in M. Magda-*

dalena adumbratur.

317\. *Vita mixta eminet, & Religiosis Clericis convenit.*

318\. *Hinc isti Sponsæ, & Pastoris munus exprimunt.*

VIta spiritualis varias habet actiones, quibus mediantibus ad perfectionem charitatis tendat: aliæ sunt actiones externæ, aliæ prorsus internæ: in illis consistit vita activa, in istis vita contemplativa: dum actiones utræque conjunguntur, coalescit vita mixta, quam Christus tenuit & docuit, Apostoli quoque exhibuerunt. Nunc de quavis in particulari.

312 Actiones vitæ activæ, prout in S. Martha fuerunt expressæ *Luc. 10.* dum Christum excepit in domum suam, tria habent obsequia. 1. Præparando Christo tum in anima propria, tum aliena dignum hospitium. In propria anima fit isthæc præparatio per emendationem illius à peccatis, quod fit per opera pœnitentiæ. Postea tumultus auferatur, ut hospes quiescere possit, quod fit compressis passionibus inordinatis. Tandem ornetur virtutibus moralibus, ut gaudeat hospes divinus animæ hospitio.

2\. Obsequium est Christum accipere in pauperibus, quod fit per opera misericordiæ corporalis.

3\. Est in anima aliena dignum Deo præparare hospitium, quod fit per opera misericordiæ spiritualis, ministrando salutarem doctrinam, sacramenta administrando, concionando, consolando. &c.

Exquibus facilè deduces vitam 313 activam in eo præcipuè consistere, ut homo post seriam conversionem sui, post mortificatas passiones proprias, post stabilimentum virtutum in se, ad conversionem proximi sui se conferat, eúmque lucretur Christo per varia ministeria, & obsequia charitatis activæ.

Deduces 2. actiones semper opus habere contemplatione, sine qua illæ cum devotione, & suavitate non perficiuntur. Contemplationis defectum satìs ostendit activa Martha, dum satagens circa frequens ministerium stetit, & ajebat ad Christum: *Domine non est tibi cura, quod soror mea relinquit me solam ministrare: dic illi, ut me adjuvet.* Petierat nempe actionem adjuvari per contemplationem, quæ spiritualibus subsidiis, divinis charismatibus, & suavissimis cumulata est dotibus, ut abundantem consolationis divinæ dulcedinem etiam transfundat in ipsam actionem, eámque suavem, facilem, & ardentem reddat, unde abs dubio cor proximi trahitur, ut potentiùs etiam currat viam mandatorum Dei, & in odorem unquentorum

divinæ dulcedinis. uti *p. 1. c. 5. a. 5. n. 311.* ostendimus.

314 Duo cavere debent vitæ activæ studiosi. 1. Ut nimiùm occupati in actione sine ulla ad respirandum quiete, defectum contemplationis non conquerantur, sed Deo humiles agant gratias, quòd se totos impendere valeant actionibus sanctis ad Dei gloriam. 2. Contemplativos velut otiosos, inutiles, nihil Ecclesiæ Dei conferentes non judicent; Christus enim contra arguentem Martham, Magdalenam contemplativam defendit. Dein duplex est ad perfectionem via, sive tunc fiat mediante actione, sive contemplatione, quarum utraque omnino bona est.

Deduces ex his 3. moderandam esse actionem, ne nimia sollicitudo inquietudinem & perturbationem causet. Quidam ferventes, sed inquieti, quos charitas refrænare debet, ardorem cohibeant; alii pacati ad contemplationem faciles, à charitate provocari debent ad actionem. 2. Rursus alii zelosi indiscretionem in actione habent, quod provenit ex defectu experientiæ, & hi otium suo tempore captare debent, & non nihil vacare à curis. 3. Quidam effunduntur ad multa aggredienda & prosequenda ex impulsu solùm vanæ gloriæ, hi proin indigent mortificatione amoris proprii, & humilitatis studio pro ordinanda actionis indiscretione; quia universalis est regula, cum proprio spiritûs detrimento spiritualem actionem non esse exercendam juxta illud Matth. 16. v. 26, *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur.*

Actiones vitæ contemplativæ exprimuntur in S. M. Magdalena, quæ sedens secùs pedes Domini audiebat verba illius. Luc. 10. Obsequia seu officia propria contemplativæ sunt. 1. Propinquiorem esse Christo, ejúsque inhærere pedibus. 2. Sedere, quiescere absque distractione uni rei intendere curis omnibus sepositis. 3. Secùs pedes Christi manere, ubi hauriri possunt affectus singulares *humilitatis*, quia ad infimam corporis partem recumbit: *reverentiæ* erga Christi Majestatem, eam demississimè adorando: *subjectionis*, ad obsequium illi paratum se sistendo: *imitationis*, Christi vestigiis insistendo. 4. Audire verbum ad cor loquentis Christi, sive fiat per S. libros, spirituales Magistros, conciones, sive per meditationes, aliáque colloquia spiritulia. Et hæ sunt functiones & obsequia vitæ contemplativæ. Porro unum est necessarium, quod triplici ratione ad contemplativam pertinet. 1. Unum perfectæ paupertatis & abnegationis, sui, quò parciùs enim rebus istis utimur, eò liberaliùs à Deo donamur spiritualibus bonis, & majori cordis quiete fruimur. 315

2.

2. Unum intentionis, quâ omnia & singula ad Dei gloriam dirigimus. 3. Unum potentiarum, & actionum animæ, quæ adeo dirigantur & colligantur, ut animam contemplantis ab unione cum Deo nullo modo avertant, sed potiùs sint in obsequium virtutis, & omnia cooperentur in bonum.

316 Præstantia *vitæ contemplativæ* ex eo cognoscitur, quòd divinus Magister eam *optimam partem* dixerit, quæ non auferetur ab anima. Ideo verò est optima pars hominis, quia ipsum conjungit summo bono Deóque & Angelis reddit similiorem, simùlque perficit secundùm nobilissimas potentias intellectûs & voluntatis, idque per actus excellentissimos, contemplationem nempe primæ veritatis, & amorem summi boni, ex quibus derivatur amor proximi, fervor, & devotionis sensus in operibus. Unde provenit aliqua perpetuitas, dum non auferetur ab homine, cui optima hæc pars à Deo fuit concessa, sed est jam inchoata vita æterna, *cognoscere* nempe *Deum*, ipsúmque *amare*, quæ in æternitate ultimato perficientur, ubi *cessante actione toti Deo vacabimus, amabimus, & laudabimus*: uti S. P. N. civitatis cælestis contemplatione defixus, & influenta fontis vitæ æternæ inhians in fine dicit de civitate Dei. Præstantiam vitæ contemplativæ docet etiam S. Th. 2. 2. q. 188. a. 6.

317 Vita mixta contemplationem & actionem continent, hinc contemplativam Christus solam *partem* vocavit, quia sola contemplatio, quamvis sit nobilissima pars vitæ, non tantú bonú est hominis. Hæc vita mixta significata est per Scalam Jacob, qua *Angeli ascendebant, & descendebant. Genes. 28.* Intelliguntur verò sub figura angelorum homines Angelis similes, modò se ad cælum per contemplationem attollentes, modo se ad terram demittentes causa juvandi proximos per opportuna ministeria. Hanc vitam mixtam Christus expressit, deinde S. Joannes Bapt. Apostoli, eorúmque successores secuti sunt, dum vitam contemplatione suavem, & actione laboriosam pro salute proximi instituerunt. Simile vitæ genus instituit S. P. N. in Ecclesia Hipponensi, cùm Clericos ad communem vitam Apostolicam convocavit, paupertatem, castitatem, & obedientiam, quæ sunt unum necessarium contemplativæ, præscripsit, suósque sectatores contemplationi, & cælestium rerum studio apprimè vacare, ac ita paratos ac inflammatos spiritu Dei ad actionem & clericalia ministeria progredi voluit secundùm exemplum Christi, qui 30. annos delituit, variis operibns humilitatis & obedientiæ, atque altissimæ contemplationis actibus occupatus fuerat, antequam munus prædicationis in se suscepit. Ex his pa-

patet nos Canonicos Regulares ex Christi & Apostolica institutione vitam agere mixtam, quia per contemplationis studium, per orationis in publica Ecclesia frequentiam contemplativam vitam ita profitemur, ut etiam ad actionem, animarum curam, & sedulam instructionem proximi progrediamur, de quibus mox capite sequenti.

SPONSA ET PASTOR.

318 PErfecti amoris quatuor sunt gradus & status, qui in libro *Cantici Cantic.* ex ordine describuntur. Primus status amoris, est actuosæ vitæ, in quo anima affectibus nondum edomitis Deum quidem odoratur, & quasi degustat, currens in odorem unquentorum ejus, non eo tamen ad arbitrium, & voluptatem suam fruitur. *Et mirabar*, inquit S. August. *lib.* 7. *Confess. c.* 17. *quòd jam te amabam, & ipsistebam frui Deo; sed rapiebar à te decore tuo, móxque diripiebar abs te pondere meo, & ruebam in ista cum gemitu · & pondus hoc, consuetudo carnalis.* Et infrà: *Aciem figere non valui, & repercussa infirmitate redditus solitis, non mecum ferebam nisi amantem memoriam, & quasi olfacta desiderantem, qua comedere nondum possem.* Hic amoris status describitur *cap.* 1. & 2. *Cantic.* Unde ibidem sponsa ait sponso: *trahe me, post te curremus in odorem unquentorum tuorum.* Et, *nolite me considerare, quòd fusca sim, quia decoloravit me sol.* Et hic status est sponsæ purgantis. Secundus amoris gradus, & status animæ Deum amantis, est vitæ contemplatricis. In hoc collocatur anima, facto sibi ad eum gradu vitiosorum habituum demolitione, passionum propriarum compressione, & perfecta rerum omnium, suique abnegatione: & in eo statu constituta non solùm sicut in priore statu, Deum aliquando complectitur contemplationis & amoris actu, sed eodem continuato aliquamdiu ipsum contemplans amánsque penè possidet magna mentis tranquillitate; fitque suavissimus lectus pacifici Salomonis, & quasi nuptiale ferculum, in quo sponsus requiescit, ac vehitur, animam in se quiescentem. Et hic amoris gradus *cap.* 3. & 4. *Cantic.* descriptus propriè sponsæ convenit.

Tertius amoris, & amantis status, est conflatus ex actione & contemplatione, *sponsa, & pastori* conveniens, quia in eo anima sic jubente sponso, à contemplatione divulsa, se conjicit in turbam, & gregem pastoris illius, qui *propter nimiam charitatem, qua dilexit nos,* è sinu Patris in terras descendit, quæsiturus magnis laboribus, & proprio sanguine redempturus oviculas, quæ perierant, procellam nullam

lam, acerbissimorum temporum periculum nullum, pœnámve subterfugiens aut dedecus, dum illas recuperaret. Hic amoris status describitur *cap. 5. 6. & 7. Cantic.* Unde ibidem sponsus sponsam ad campos & villas invitat, *ut quasi bonus pastor pascat gregem suum, lassos allevet, revocet errantes, infirmos lucretur*, ait *S. Ambrosius lib. de Isaac & anima c. 8.* Licet enim ibidem sponsa negligentiæ insimuletur, quòd sponso ostium pulsanti non statim apperuerit, tamen mox facti pœnitens ipsa in majorem sponsi amorem exarsit, perinde ac *amantium iræ, amoris redintegratio sunt.*

Quartus status est animæ plùs, quàm humanam, ac penè divinam, supradictis longè superiorem, inexplebili desiderio appetentis, divini amoris incendio flagrantis, tantáque veluti zelotypia æstuantis, ut manere in carne mori illi videatur. De quo *Cant. 8. fortis est ut mors dilectio, dura sicut infernus æmulatio: lampades ejus, lampades ignis, atque flammarum.* De hoc ultimo non procedit noster discursus, sed magis de prioribus, ubi anima figuram *sponsæ* in statu activæ vitæ præsefert, dum nævos & maculas in se abstergit, ut placeat magis dilecto. In altero statu contemplationis depurata, & jam perfecta cælestis vocem sponsi ad pedes ejus prostrata inter millenas spiritus dulcedines percipit, & *optima*, quam elegit, *parte* fruitur. In tertio verò statu divinis inspirationibus satis instructa pastorale munus subit, & sponsi amantissimi greges saluberrimis doctrinis veluti pinguibus pascuis nutrit, fovet, à rapacibus infernalium luporum dentibus tuetur, nullóque parcit labori, ut dilectam oviculam, si fortè à grege aberrâsset, in viam veritatis reducat, cæteris reuniat, & divino pastori ac sponso conservet, ut aliquando commissum sibi gregem illibatum repræsentet *Sponsa & pastor.*

Quàm sanctè, & exactè sponsæ, & Pastoris officium impleverit, Sanctus Floridus Episcopus *Tiphernensis in Umbria*, ex prolixiori ejus vitæ tenore abundè constat. Is in eadem urbe Christianis, & piis genitoribus prognatus, eorum sollicitudine Sanctis moribus, ac literis ita ab ineunte ætate fuit institutus, ut in primis adolescentiæ annis ambobus parentibus orbatus, statim seipsum cum bonis paternis Ecclesiæ Tiphernensi offerret, ubi inter Clericos ejusdem Ecclesiæ tunc Regulares benevolè exceptus, non multò pòst illucescentibus virtutum ejus radiis Diaconus fuit ordinatus. Verùm cum Totila Gothorum Rex Italiam ferro, flammáque vastans, ipsum quoque Tiphernum vi captum everteret, Floridus cum Amantio ejusdem Ecclesiæ Presbytero Barbarorum tyrannidem declinans ad

Ecclesiam Perusinam tunc quoque regularem commigravit, sub S. Herculani disciplina ibidem vixit, à quo licet etiam invitus, & indignum se proclamans, Sacerdotali charactere fuit insignitus. Inde ad B. Fortunatum Tudertinum Antistitem ob gravia quædam negotia missus, cùm in fano idolorum, secùs viam constructo, reperisset hominem à Dæmone crudeliter vexatum, fusâ oratione inquilinum illum malignum excesse jussit, atque loci incolas ad fanum illud demoliendum, nec non lucum vicinum sacrilegis superstitionibus dicatum succidendum eo miraculo adduxit. Captâ intereà Perusiâ à barbaris, sanctóque Herculano ab iisdem neci dato, copia fit Perusinis civibus post quadraginta diale exilium ad urbem revertendi. Repetit proinde Floridus eam civitatem, ac multa diligentia conquisitum gloriosi Martyris Herculani corpus tandem reperit, quod ad S. Petri Ecclesiam delatum, ibidem terræ mandavit. Inde Tiphernum reversus, cùm totam civitatem igne exustam, ac solo æquatam non sine multis lachrymis conspexisset, convocatis ex locis propinquis, qui reliqui erant, civibus, illorum animos piis adhortationibus erexit in spem divini auxilii nunquam eis defuturi. Unde factum, ut ipsa civitas cum Ecclesiis, quas barbarorum furor everterat, denuo sit reparata. Civibus verò de novo Episcopo deligendo deliberantibus Floridum Presbyterum ob morum sanctimoniam ea dignitate decorandum statuerunt, quam accipere cùm is renuisset, piam fraudem illi excogitantes, Romam saltem pro impetrando à Summa Sede Episcopo iret, rogant. Eorum votis dum annuit, Romámque pergit, nihil sinistri suspicatus à Romano Pontifice jam priùs à civibus per literas de Floridi virtutibus edocto, Episcopus Tiphernatensis constituitur. Ea in dignitate constitutus, quanta sanctitate claruerit Gregorius ille Magnus *in Dialogis suis* scripto reliquit. Senio confectus, cùm in castro quodam suæ Diæcesis gravi pleuritidis morbo decumberet, rei famâ divulgatâ, ex finitimis quibusque civitatibus Episcopi, ac alii Clerici advenerunt: quorum unus Laurentius nomine Episcopus Aretinus de vicino illius egressu ab Angelo admonitus sacrum viaticum illi subministravit, quo percepto mox è corporis ergastulo solutus ad cælestem Patriam abiit, in vita, & post funera miraculis clarus. Florentes ex horto spirituali flores abundè etiamnum ad sacra sua lypsana orantibus porrigit S. Floridus, eò florentior post mortem, quo utraque vitâ activâ, & contemplativâ exercitatior. Utinam tot prodigia patriæ cognita universo

verso prostarent orbi! Hæc & non plura nobis constant *ex Officiis Can. Reg. Lateran. & Notis Pennotti*, *atque ex vita S. Floridi edita Anno 1627. à R. P. Angelo de Comitibus Capucino.*

CAPUT XI.

De Statu Canonicorum Regularium.

QUàm conveniens est, ut Tyrones Canonicum Ordinem profiteri volentes, ejusdem originem, essentiam, seu naturam Instituti, propagationem, antiquum & modernum vivendi modum, & spirituales quosdam à Summis Pontificibus largissimè concessos favores pro modulo saltem suo cognoscant, tam arduum videtur (prout ipsimet adversarii nostri hucusque sunt experti) antiquitatem è gloriosis cineribus eruere, novísque monumentis descriptionum exornare. Neque opus est in *Tyrocinio* hoc *Canonico* integros includere tractatus, nullo non sæculo à Canonicis nostris (propter tot, tantósque hostiles impetus à præpotentibus adversariis) sed non impunè lacessitis gnaviter conscriptos, vulgatósque, dum adhuc laborant alii in historiâ Canonici Ordinis erudito orbis hujus sagacis arbitrio suo tēpore præsentandâ. Neque, inquam opus est, neque ascesi nostræ conveniens (utpote quæ tantùm sacram amat historiam, in qua virtutum insignium deprehendat vestigia ad sequelam non cupiat controversias propagare excitatas ad provocandam denuò aliorum invidiam) plura hic tractare, quàm quæ ad scientiā Novitio Canonico pro professione Canonica necessaria omniū judicio requiruntur, ne quisquā sub prætextu ignorantiæ à suis resilire votis postea valeat. Quapropter in compendio, quantū erit possibile, Institutū nostrum indagabimus, illúdque ab institutione, & tempore Apostolorum usq; ad Reformationis à M. Augustino factæ Annos, abhinc usque ad sæculum XI. & tandem ab hoc ad nostra usque tempora propagatum, variatúmque considerabimus

mus absque variatione essentialis sui statûs. Post hæc de geminata nomenclatura, de habitu speciali, atque de novissimis quibusdam derivatis gratiis aliqua afferemus. Nunc sit

ARTICULUS I.

De Origine Canonicorum Regularium.

SUMMARIUM.

319. *Varii modi proprietati bonorum temporalium renuntiandi.*

320. *Clerici paupertatem Evangelicam sectantes non habuerunt particularem, ac determinatam institutionem.*

321. *Neque Therapeutæ, neq; Clerici Alexandrini, Aquileienses, Antiocheni, Carthaginenses, Vercellenses &c. Sed solùm juxta directionem Episcoporum.*

322. *Præclara testimonia de Regulari vita S. Eusebii Vercellensis, & S. Augustini.*

323. *Apostoli emiserunt 3. vota substantialia, & etiam Clerici S. Aug.*

324. *Factum Januarii presbyteri contra paupertatem ex verbis S. P. Augustini demonstratur.*

325. *Item ex Thomassino, & 326. B. Pii IV. & Suarezio.*

327. *Moderni Canonici à Clericis S. Augustini non sunt diversi.*

328. *Licèt nunc solemnia sint vota, quæ tunc tantùm fuerunt simplicia.*

329. *Vivendi norma à S. Aug. Clericis suis præscripta non fuit novi ordinis institutio.*

330. *Quomodo fuit propagata per S. Gelasium.*

331. *Defenditur historia S. Gelasii.*

332. *Regula S. Augustini in Germania & Gallia diversimodè fuit acceptata.*

333. 334. 335. *De Regula Aquisgranensi, & paupertate Clericali.*

336. *Successivè relaxata, & 337. sæculo XI. restituta.*

338. *Divisio inter Clericos Sæculares & Regulares.*

339. *Non tamen nova & particularis Canonici Ordinis institutio facta est, quod ostenditur 340. 341. 342. 343. 344. & 345.*

346. *Objectiones solvuntur.*

347. *Vita S.P. Augustini. Anno Christi 354. 13. Novemb. nascitur.*

348. *Mediolani convertitur & 387. 24. Aprilis. baptizatur.*

349. *Factus Episcopus Clericos reformat.*

350. *Mira de ejus corde, & 351. contemplatione S. S. Trinitatis.*

352.

352. *Integrum etiamnum asservatur illius Cor.*

353. *Quomodo S. P. libenter in vulneribus Christi habitavit.*

Cùm *Canonicus Regularis*, sive *Clericus Regularis* exinde dicatur, quòd vel dominio, vel usui rerum propriarum renuntiet, se séque abdicet in ordine ad servandam paupertatem Evangelicam, ante omnia perspicere oportet, qua ratione antiqui Clerici renunciarint, & quamdiu perseveraverit iste status, proinde distinctis §. id explicandum est.

§. I.

De Clericis renuntiantibus à tempore S. S. Apostolorum.

319 Ad hoc, ut quis Evangelicam paupertatem sectari dicatur, sufficit unus n. 257 supra assignatorum graduum, qui etiam satis est ad constituendum Regularem quendam Ordinem, quia humanam curam & temporalium sollicitudinem sufficienter deprimit, neque impendit, quo minùs ejusmodi paupertatis gradum vovens ad perfectionem charitatis tendere possit, quod requirunt S. S. P. P. cum S. Thoma 2. 2. Q. 86. a. 3. Igitur *Clericus renuntians* ille jure vocari potest, qui ex firmo animi proposito vel etiam coram Episcopo aut alio Superiore Ecclesiastico paupertatem Evangelicam sequi intendit, vel juramento se ad illam servandam obstringit, 1. si quis omnibus bonis relictis tantùm labore manuum necessaria ad victum, & vestitum quærat, hísque contentus sit. Talis erat aupperta s S. Pauli. 2. Si quis omnibus suis bonis relictis de aliena liberalitate vivat, sicut Apostoli tempore prædicationis. 3. Qui omnibus bonis relictis contentus est jure exigendi congruam statui suo sustentationem ex communibus & stabilibus Ecclesiæ redditibus. Ita fratres Sportulantes, & plurimi Clerici primitivæ Ecclesiæ contenti erant communi bonorum Ecclesiæ proprietate. Qua ratione S. Cyprianus *Epist.* 36. de quantitate sua *propria* scribit, se pauperibus sumptus suggessisse. 4. Qui majori bonorum parte relicta proprietatem quorundam sibi retinet, ita tamen, ut ea ad necessitatem vitæ & in usus pios convertere proponat. Ejusmodi paupertas quorundam infirmorum fuit Clericorum, qui *salvo inter collegas pacis & concordiæ vinculo quædam propria, quæ apud eos semel fuerant usurpata, retinuerunt*, tolerante id S. Cypriano, ut constat ex ejus *Ep.*

72. Sic etiam talium meminit Pomerius l. 2. c. 10. *de vit. contem.* Qui vixerunt quidem in communi cum aliis, sed *Ecclesiæ nutrici suæ ex multis bonis, quæ possederunt, tantum aliquid præstiterunt velut pro expensa alimentorum.* Denique fuerunt quidam clerici, qui pro sustentatione congrua bona Ecclesiastica *labori, aut ordini suo debita* Ecclesiæ aut pauperibus reliquerunt, ut l. c. idem Author animadvertit Atque similes paupertatis Evangelicæ assèclas ab exordio in Ecclesia continuò fuisse ab inductione constat, & patet ex actis Apostolorum, quos proin, si clericatus gradu insigniti erant, *clericos renuntiantes* appellare fas est. De reliquo cum communi D. D. videtur dicendum, clericos renuntiantes ante sæculum XI. quoad genus vitæ nullam determinatam legem præter arbitrariam directionem suorum Episcoporum, & Conciliorum agnovisse, adeoque nulli institutioni particulari ex se stabili ac perpetuæ quoadmodum vivendi subjectos fuisse. Ad istum probandum consideratione opus est Clericalis & Regularis statûs à tempore Christi usque ad S. Augustini.

320 Quod ab institutione generali Evangelicæ paupertatis facta à Christo usque ad S. Augustinum Clerici renuntiantes, sive Regulares quoad modum vivendi nulli institutioni particulari fuerint subjecti, ex eo colligitur 1. quod Regula Apostolica toties à SS. PP. adducta non potuerit agnosci pro institutione particulari Clericorum renuntiantium quoad modum vivendi, quia regula illa nihil continebat, quàm communitatem bonorum ex pretio immobilium scilicet domorum, & agrorum divenditorum, de cætero non determinavit modum vivendi Clericis. Nam non determinavit illis communem habitationem separatam à laicis, & fæminis: non determinavit commune dormitorium, & refectorium, non commune oratorium, aut tempora orationis, præterquam ea, quæ aliunde omnibus judæis communia erant; si enim omnes vivebant in communi, mulieres à viris, clerici à laicis separari non poterant, si frangebant circa domos panem tot credentium millia, utique in uno refectorio comedere non poterant?

2. Non determinavit abrenuntiationem omnimodam bonorum mobilium, quia substantiæ & possessiones divenditæ distribuebantur singulis, *prout cuique opus erat*, ut habetur *act. c. 2. v. 45.* Si proin non cibus, & vestitus distribuebatur, sed pretium bonorum venditorum, regula apostolica non determinavit modum abrenuntiationis uniformem, sed pro-

proportionalem, *prout cuique opus erat.*

3. Regula illa non determinavit praxes speciales, quia in multis tunc christiani adhuc se conformabant consuetudinibus judaicis; non vestes aliæ, non nomina, non ceremoniæ receptæ sunt, quia in judæa nondum omnino recessum erat à legibus, & traditionibus Moysaicis; hinc quando S. Paulus à conversione gentilium rediens introivit ad S. Jacobum, collectósque ad eum seniores, dixerunt ei: *vides frater, quot millia sunt in judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis; audierunt autem de te, quia discessionem doceas à Moyse eorum, qui per gentes sunt judæorum, dicens, non debere eos circumcidere filios suos, neque secundùm consuetudinem ingredi. Act. c. 21. v. 20. & 21.*

4. Regula apostolica non determinavit aliquam actionem principalem, quæ uniformiter ab omnibus Clericis, eidem regulæ adstrictis, servari deberet, nam tot millia virorum & mulierum ad unam uniformem actionem obligari non poterant: adeoque, cùm regula apostolica clericis & laicis communis fuerit, vi regulæ præcisè ne clerici quidem ad unam actionem obligabantur. Proin satis constat regulam apostolicam non continuisse particularem institutionem à clericis observandam. In Ecclesia Alexandrina sub D. Marco etiam non reperitur aliquid speciale qnoad institutionem particularem clericalis ordinis, sed sicut Clerici Jerosolimis, ita Alexandriæ Evangelicam paupertatem observabant, & omnibus Regulæ locò sola D. Marci directio sufficiebat, quæ tamen nullas firmas, stabilésque, sed tantummodo opportunitati temporum convenientes leges sustinere poterat.

Et quamvìs therapeutæ ex pu- 321
ro Dei servitio famulantes, sive *Esseni Alexandrini* tanquam Religiosi haberentur, & cum quadam solemnitate serviendi Deo obligationem susciperent, prout de illis testatur S. Dionysius Areopagita *c. 6. Ecclesiast. Hierarch. p. 1.* ita scribens: *Alii quidem Therapeutas, id est, Dei famulos ex puro Dei servitio, & famulatu: alii verò, monachos ipsos nominant ex indivisibili & singulari vita unigente ipsos indivisibilium sanctis convolutionibus, id est, contemplationibus ad Deiformem unitatem, & amabilem Deo perfectionem. Propter quod perfectam ipsis donans gratiam sancta legislatio quadam ipsos dignata est sanctificativa invocatione.* Ista tamen sancta legislatio nondum erat firma, stabilis ac determinata particularis institutio, siquidem tantùm erant christiani tam laici, quàm clerici servantes consuetudines conjunctas cum paupertate Evangelica, & directioni suorum Episcoporum suberant.

Si-

Similiter Clerici Ecclesiæ Aquileiensis, Antiochenæ, Carthaginensis, Vercellensis, Mediolanensis coluerunt quidem paupertatem evangelicam, sed modis & mensuris variis juxta directionem arbitrariam cujusvis Episcopi; nulla adhuc intercessit particularis institutio, nulla lex, nulla regula ordinis Clericalis, nisi ea, quæ fundabatur in jurisdictione necessaria Episcopi, lex talis ac regula cum morte Episcopi expirabat; novus Episcopus potestatem habebat præscribendi novas directiones prioribus sublatis; nec clerici se ad priores ulteriùs obligatos credebant.

Ex quibus omnibus clarè patet usque ad tempora S. Augustini nullam particularem institutionem clericorum renuntiantium intercessisse, quia, si semel addicti fuissent ejusmodi particulari institutioni, recedere ab illa licitum non erat. Et quamvis ab authoribus conscribantur Clerici Regulares instituti in Jonia à S. Policarpo circa Annum Christi 101. in Syria ab Ignatio Anno 109. in Africa à Cypriano Anno 250. &c. propriè tamen non erat nova & specialis institutio, sed voluntas Episcopalis hisce suis clericis pro lege erat: deinde varii gradus evangelicæ paupertatis ab illis servabantur partim in communitatibus, partim extra, neque ulla stabilitas, & uniformitas erat.

Quando verò S. Augustinus in sua Diœcesi instituit communitatem clericorum evangelicam paupertatem sectantium, & bonorum proprietatem abdicantium, non tamen in his particularis institutio, sed arbitraria directio, & Episcopalis jurisdictio solùm intercessit. Nam regula Augustiniana rationem particularis institutionis habere non poterat, esto, scripta foret pro Clericis Hipponensibus, non tamen imposuisset illis obligationem stabilem ultra mortem Augustini. Quod si alii Episcopi eandem directionem tanquam Clericali statui renuntiantium & paupertatem strictiùs observantium convenientem in suis Diœcesibus receperint, non propterea Regula Augustiniana vim specialis & novæ institutionis, sive universalis Regulæ excedentis limites Hipponensis Diœcesis tunc temporis obtinuit. Sicut, quando S. Caroli Borromæi constitutiones Synodales in quibusdam Episcopatibus Italiæ, Galliæ, & Germaniæ recipiuntur, ea propter non habebunt rationem universalis Regulæ, nec obligabunt Clericos independenter à dispositione Episcoporum, à quibus acceptantur.

Ex his istud colligitur, quòd 322
tempore S. Augustini ob notissimam famam tam præcellentis Ecclesiæ Doctoris, ejúsque authoritatem in Africa apud vicinos Cleri-

ri-

ricos invaluerit consuetudo servandi paupertatem in suis Ecclesiis modo convenientiore ac strictiore, scilicet in communitate, utendo communi refectorio, vestiario, cellario, dormitorio. &c. Quale vitæ clericalis & Regularis genus in Ecclesia Vercellensi, Novariensi, ac Mediolanensi jam priùs fuerat observatum, uti constat ex historia Novar. ubi de S. Eusebio Vercellensi, & Gaudentio Novariensi Episcopis hæc referuntur: *S. Gaudentius discipulus fuit S. Eusebii Episcopi Vercellensis, lectoris officio in ea Ecclesia functus. Eo duce, & Magistro vel suscepit, vel jam susceptam perfectius coluit Canonica vitæ disciplinam. Hoc ei tribuitur sacris literis, quibus Ecclesia Novariensis ejus laudes canit ac celebrat, hæc in antiquis membranis habentur, hæc in ore Novariensium adhuc sonant, positus in juventute B. gaudentius studiose rectam secutus est normam Canonicæ vitæ. Boni sacerdotes veteres, sequentes verbum Domini, renuntiabant iis, quæ possidebant, abnegabant semetipsos, quod quidem præcipuum est. Non omnes tamen canonicis quibusdam sese devinciebant institutis: iis, inquam, institutis, quæ perfecto, & ab Apostolis instituto perfectæ vitæ canone continentur. Hoc S. Ambrosius Epist. 82. appellat officia monachorum cum Clericorum institutis conjungere: cujus rei auctorem in occidente facit S. Eusebium Vercellensem Episcopum Gaudentii nostri Magistrum. Præclarum sanè testimonium & valde observandum, ex quo fatendum est, perfectiorem Clericorum disciplinam, & Monasteria clericalia in occidentalibus Ecclesiis ab eo profecta esse, & ipsum Augustinum ejus disciplinæ sanctissimum, præcipuúmque cultorem, unà cum Evangelio in hac Regione eam didicisse.* Joan. Molanus. *l. 1. de Canonicis c. 7.* eadem scribit: *Memini quidem Ambrosium scribere ad Vercellenses, Eusebium eorum Episcopum in occidentis partibus primùm clericis Monachorum instituta conjunxisse: ut quamvis communi sententia dicatur Augustinus primus Clericali vitæ Monasticam adjecisse, non tamen absque anteriori exemplo, quod ei, cùm Mediolani sub Ambrosio versaretur, innotuisse credo, hoc fecisse videatur. Neque verò hac de causa vulgata sententia velut erronea est perstringenda. Nam cùm Eusebius Vercellis uno in loco Clericos effecerit monachos, hoc idem S. Augustinus addita Regula ita fecit in clero suo Hipponensi, ut ad eandem pietatem multorum aliorum locorum clerum attraxerit: ut cùm Eusebius sui Vercellensis cleri fuerit reformator, divique Augustini in ea re præcursor, hic tamen paulo post præcursoris vestigia secutus tam copiosum multorum locorum Clerum ad Monasticæ vitæ exercitia attraxerit: & nihilominus in officio clericali permanere voluerit: ut meritò primus non hujus, aut illius cleri, sed ipsius Canonici Ordinis reformator in occidente, ut Basilius Magnus in oriente habeatur.* Eadem scribit Baronius *to. 3. Annal. sub An. 328. Qui verò in orbe occidentali monachismum conjunxerit Clericatui, prædica-*

dicatur à D. Ambrosio S. Eusebius Episcopus Vercellensis, & infra. *Quod ipsum præstantissimum vitæ genus S. Martinus Episcopus Turonensis transvexit in Gallias, & S. Augustinus in Africam. &c.* Videatur Pennottus *General. Histor. Ord. Can. l. 2. c. 10.* Ex quibus omnibus inclarescit, clericorum Vercellensium, Novariensium, Turonensium, Mediolanensium, & Hipponensium reformationem directioni & jurisdictioni suorum Episcoporum esse adscribendam, quæ quidem non erat nova & particularis institutio clericalis ordinis ab Apostolis derivati & propagati. Neque uniformis erat ubique lex, & paupertatem servandi modus, neque ista vivendi ratio ultra mortem Episcopi se se extendebat. Unde deducitur à tempore Apostolorum semper fuisse in Ecclesia Clericos renuntiantes, & aliquo modo in communi viventes, bonorum proprietatem abnegantes, evangelicam paupertatem sectantes, & sicut Apostoli (qui juxta *S. Th. 2. 2. Q. 88. a. 4. ad 3. intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum relictis omnibus sunt secuti*) evangelica consilia tenuerunt, pariter tenuisse eadem.

§. II.

De Clericis renuntiantibus tempore S. Augustini.

323 S. Apostolos tria substantialia Religionis vota emisisse, adeò constans est DD. Catholicorum sententia, ut nonnisi Calvinus & Lutherus, aliique heterodoxi, votorum hostes id in dubium vocent, prout animadvertit R. P. Cornel. à Lapide in c. 5. Act. Etenim clarè id insinuat S. Clemens I. S. Petri Discipulus & successor in c. *Dilectissimis* 12. q. 1. Urbanus I. Pont. & Mart. circa An. 224, prout refertur in c. *scimus*. eadem. Insinuat idquoque S. P. N. Aug. L. 17. de Civit. c. 4. Ubi de S. Apostolorum votis ita proloquitur. *Dixerant enim potentes illi* (Apostoli nempe) *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te! Hoc votum* (quod evidenter est paupertatis, cui reliqua socientur) *potentissimi voverant. Sed unde hoc eis, nisi ab illo, de quo hic continuò dictum est, dans votum voventi? Alioquin ex illis essent voventibus, quorum infirmatus est arcus. &c.* Ast quis Catholicorum credere potest, illos ipsos à Christo Domino electos discipulos sui Magistri doctrinam, institutionem, & consilia saluberrima secutos non esse, vel rejecisse, nec aliis successoribus suis ad ea observanda commendasse? Nonne *infirmatus esset arcus* in maxima intensione? Insinuat id quoque

que

que S. Thomas q. cit. & *2. 2. q. 186. a. 6.* ubi apertè oſtendit, *ſolemnitatem voti attendi ſecundùm aliquid ſpirituale, quod ad Deum pertineat, id eſt, ſecundùm aliquam ſpiritualem benedictionem vel conſecrationem, quæ NB. ex inſtitutione Apoſtolorum adhibetur.* Id inſinuat. S. S. P. P. Chryſoſtomus, Epiphanius, Baſilius, aliique innumeri, quos ſequuntur cum Navar. *to. 4 de Reg. n.* 30. Suar. *to.* 3. *de Relig. c.* 1. *n.* 9. Et reliqui ex diverſis SS. Ordinibus, ut legere eſt apud Pennottum in hiſt. tripart. Cujus veritatis evidens videtur ratio, quam adfert Cornelius à Lapide l. c. Act. 5. v. 2. *Si primævi fideles etiam conjugati vovebant paupertatem, multò magis eam voverant Apoſtoli, eorum in virtute duces, ſanctitatis & perfectionis Magiſtri, ac Evangelicorum conſiliorum præcones exemplo magis quam verbo.* Videant ergo illi ſcriptores, qua veritate nitantur, qui aſſerunt S. Apoſtolos ſolùm lege ſocietatis, aut communitatis paupertatem tenuiſſe!

Pariter ex iiſdem Auctoribus certum ſtatuitur, Apoſtolorum Succeſſores, & Diſcipulos paupertatem voviſſe, licet propter prædicationem & diſperſionem Evangelii certum ac determinatum modum in ſervanda paupertate tenere non potuerint, uti hucusque §. priore oſtendimus. Dubium movetur tantùm, an perſeveraverit iſte ſtatus uſque ad tempora S. Auguſtini, & an etiam ab ipſo ſtrictè obſervatus, propagatúſque fuerit in Diœceſi Hipponenſi?

Rationem dubitandi affert Mabilonius aliique ejus confratres, S. Aug. Clericos ex lege ſocietatis ad paupertatem ſervandam fuiſſe tantùm obſtrictos, uti deducitur ex facto Honorati Presbyteri & Clerici Tagaſtenſis, qui ad Eccleſiam Thianenſem vocatus omne ſuum patrimonium ſecum tulit. Dein ex facto Januarii ejuſdem communitatis Presbyteri, qui teſtamentum publicum confecit ex pecuniis Monaſterio S. Auguſtini illatis. Denique teſte S Auguſtino, habebat Diaconus Severus in patria ſua agellos, quos diſpoſuit illi pauperi Eccleſiæ largiri: ergo Communitas Clericorum S. Auguſtini ad votum paupertatis non obligabatur. Sed Reſponſionis loco ipſum audiamus Magnum Religioſæ, ac Canonicæ vitæ Zelatorem, qui ſuiſmet verbis ſatis claris demonſtrat, & ſe emiſiſſe vota, & Evangelica ſervâſſe conſilia, eadémque ſervanda à ſuis Clericis regularibus requiſiviſſe. Ita ille *ſermon. 49. de divers. de communi vita Clericorum cap. 2. perorat.*

„Ecce quomodo vivimus. Nul-
„li licet in ſocietate noſtra habere 324
„aliquid proprium, ſed fortè ali-
„quid habent. Nulli licet: ſi qui
„habent, faciunt, quod non licet.
„Bene autem ſentio de fratribus
„meis, & ſemper bene credens,
„ab hac inquiſitione diſſimulavi:

 „quia

„quia & ista quærere, quasi malè „sentire videbatur. Noveram „enim, & novi omnes, qui mecum „viverent, nosse propositum „nostrum, nosse legem vitæ nostræ. Venit etiam ad nos Presbyter Januarius, qui videbatur „sua honestè erogando quasi consumpsisse, sed non consumpsit. „Remansit illi, quædam pars pecuniæ, id est, argentum, quod diceret esse filiæ suæ. Filia ipsius „Deo propitio in monasterio fæminarum, & bonæ spei est. Gubernet illam Dominus, ut impleat, quæ de ea jam speramus, in illius misericordia, non in ejus meritis. Et quia infra annos erat, „& de sua pecunia nihil facere poterat (quamvis enim videremus „fulgorem professionis, tamen „lubricum timebamus ætatis) factum est, ut ipsum argentum quasi puellæ servaretur, ut cùm ad „legitimos annos veniret, faceret „inde, quod virginem Christi deceret, quando optimè jam facere posset. Dum hæc expectantur, cepit ille morti propinguare, „qui diu tanquam de suo vivens, „quia ipsius erat, non filiæ, testamentum fecit. Testamentum, „inquam, fecit Presbyter, socius „noster nobiscum manens, de Ecclesia vivens, communem vitam „profitens: testamentum fecit, „hæredem instituit. O dolor illius „societatis! O fructus natus non „de arbore, quam plantavit Dominus, sed Ecclesiam scripsit hæredem. Nolo munera ista, non „amo amaritudinis fructum. Ego „illum in Deo quærebam, societatem professus erat, hanc teneret, hanc exhiberet, nihil haberet, testamentum non faceret: „habebat aliquid, non se nostrum „socium quasi Dei pauperem fingeret. Magnus inde mihi dolor est, fratres. Dico charitati „vestræ, propter hunc dolorem „statui hæreditatem ipsam in Ecclesia non suscipere. Filiorum „ipsius sit, quod reliquit, ipsi inde „faciant, quod voluerint. Videtur „enim mihi, quia si eam suscepero, „in isto facto, quod mihi displicet, „& quod doleo, ejus particeps „ero. Hoc volui non latere charitatem vestram.„ Quisquis hæc verba cum attentione perlegerit, haud dubiè absque ulteriori ratiocinio professionem paupertatis in S. P. N. intelliget, & in suis clericis pariter eandem professis advertet. Ad quid enim illa verba, *nulli licet in societate nostra habere aliquid proprium*, si non intercessisset voti sacramentum? Ad quid tantus dolor, tantáque indignatio mitissimi Patris, ut nolit munera ista, nec amet amaritudinis fructum, nec hæreditatem ipsam in Ecclesia suscipere velut sacrilegam pecuniam statuat, si sola lege societatis adstrictus erat Januarius ad servandam paupertatem? postquam verò Januarii Presbyteri lap-

lapsum contra votum pauperta- tis retulit, subjungit; „Qui socie- „tatem vitæ jam susceptam dese- „rit, à voto suo cadit, & à profes- „sione sancta cadit, observet De- „um judicem,non me. &c.„ Dein in Reg. c. 7. jubet omnia habere in communi, & illum qui *rem sibi collatam celaverit,furti judicio condemnari. &c.* Ast si voti juramentum nullum adsit, sed sola lex societatis, certè & dominium, & rei proprietatem, & usum liberum absque ullo peccato habere poterant Hipponenses Clerici, nec ullus *à voto suo & à professione sancta* cadere valebat, nec opus fuerat, ut *observet Deum judicem.*

325 Neque nostri tantummodò hujus sunt sententiæ, sed etiam alii authores, qui expresse docent votorum emissionem à clericis sancti Augustini factam, inter quos ab ipsis Adversariis tanti æstimatus continetur Thomassinus p. 1. l. 3. f. 6. 2. 6. ita scribens. „Seminarii „Augustiniani Clerici *continentiam* „non vovebant, nisi dum sacro in- „itiabantur ordine.*Obedientiam* non „profitebantur, nisi Episcopo ipsi, „qui Superior, Præpositúsque ip- „se erat eorum immediatus, nec „non profitebantur nisi in ordina- „tione ipsa sua. Unde & quod ad „*obedientiam* & *continentiam* perti- „net, omnia ipsis cum Clericis „quibuslibet aliis majoribus com- „munia erant. Evangelicam pau- „*pertatem* Clerici Augustini tum „profitebantur, cùm ordines sac- „ros susciperent, qui ea demum „lege eis conferebantur. Votum „erat implicitum & tacita profes- „sio, ejus persimilis, qua Subdiaco- „ni nunc latini continentiæ lege „vinciuntur, dum initiantur sac- „ro eo ordine.„ Unde nemo nostrûm mirari desinit, cur quidam exactè non penetret rationes circumstantiarum, queis Thomassinus vota Clericorum Gongregationis S. Augustini limitat, cùm tamen alii claram veritatis lucem ab ipso sole, scilicet à S. Augustino hauriant, & clarè deducant ex textu supra cit.

Ne verò ex doctrina Thomas- 326 sini vanè jactare possit aliquis, emissionem votorum tempore S. Augustini factam instituto modernorum Canonicorum Regularium prorsus esse dissentaneam, ut institutum istud ab hujusmodi Congregatione Clericorum propagata probari non possit; 1. ex Bulla Pii IV. quæ incipit: *Sedis Apostolica Providentia circumspecta.* demonstrationem placet adducere; ubi ita Pontifex decernit, & sententiat: „Dictis partibus, earúm- „ve Procuratoribus, & Advocatis „pluries auditis, dubiísque emer- „gentibus ad plenam discussis, & „resolutis, comperto satis, per „eos, ex compluribus literis Apo- „stolicis, diversisque aliis docu- „mentis, rationibus, & probatio-

„nibus, quòd ipsi Canonici fuerunt, & sunt de illis Clericis à S. „Augustino, quinimmo à S. Apostolis institutis. Eosdem Canonicos tam suæ antiquæ institutionis hujusmodi, quam etiam dignitatis Clericalis, qua eos statim, „quòd professionem regularem „emittunt, insignitos esse oportet, „aliarúmque qualitatum in eis existentium ratione &c. *Et mox infra.* Unde nos illorum (*Cardinalium*) relatione intellecta, eáque „per nos diligenter examinatâ, „quoniam eam in omnibus suis „partibus veritati, & juri consonam comperimus, per nostram „difinitivam sententiam pronuntiavimus, sententiavimus, decrevimus, & delaravimus &c. *Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 18. Januarii M. D L. XIV. Pontificatus Pii VI. Anno V. Habetur in l. Indult. Congreg. Lateran. f. 530.*

Ex quibus definitivæ sententiæ verbis ita infert sapientissimus Suarez. *l. 3. de Relig. c. 3. n. 6.* „Ecce ex Pontificis & Cardinalium „testimonio, Apostolos Religionem Clericorum instituisse, vel „potiùs congregâsse, quod testimoniū non sola relatione dicentium, sed magnis rationibus & „probationibus, ac antiquioribus „literis Apostolicis dicitur fuisse „fundatum; Et in eodem insinuasse, Clericos illos ab Apostolis „institutos continua successione „usque ad Augustinum, & ab Augustino usque ad Pium IV. durasse, sicut à Pio IV. usque ad nostram ætatem conservati sunt. „Et huic etiam consonat, quod „Possidius in vit. Aug. c. 5. ait „Augustinum, Presbyterum factum servos Dei juxta Apostolorum Regulam secum congregasse.„

2. Modernos Canonicos Regulares ab instituto, & norma vivendi Clericorum S. Augustini diversos non esse demonstrat Bulla Eugenii IV. quæ incipit: *Cùm ad sacratissimam venerand. Lateran. Basilicam.* & habetur in l. *Indult. ac. Privileg. Congreg. Lateran. f. 315.* Ubi post enarrata insignia privilegia, quibus alii Pontifices sublimaverunt, & decoraverunt Can. Ordinem prosequitur: „Divinam in „terris familiam Clericorum, qui „religiosam vitam ducerent, & ad „exemplum nascentis Ecclesiæ „sanctam institutionem servarent, „quos *Canonicos Regulares* appellamus, & sacrum inter Clericos & „ministros Christi vivendi modum in sacrata Basilica instituerunt, firmaverunt, erexerunt, & „perpetuò deputârunt, ut hi primæ in terris Ecclesiæ & matris „sanctorum Apostolicâ providentiâ curam gererent, qui primorum Christianæ Religionis Clericorum normam, traditiones, „& instituta sectantur. Hujus „profectò sacri ordinis, & sancti propo- 327

„propositi, post sanctos Apostolos „primum in Alexandrina Ecclesia „Marcus Petri discipulus fuit insti„tutor, & conditor, ac gloriosus „Doctor Augustinus Episcopus, „divinis Regulis, & doctrina de„coravit, & f. mem. Urbanus in„signis Martyr. & sanctissimus „Pontifex, generalis decreti ordi„ne reformavit: & beatissimus „Gregorius Augustino Anglorum „Episcopo, veluti plantationem „sacram in commisso sibi populo „præcepit institui, & in Occiden„tis finibus ampliavit. Hi sunt „profectò, qui SS. Patrum vitam „probabilem imitantur, & Apo„stolorum instituta instinctu spiri„tûs sancti renovant; qui ad ex„emplum illorum credentium „convenerunt in unum, quibus „erat cor unum, & anima una, qui „pastoribus suis juxta Ecclesiasti„cas, & Apostolicas traditiones „obediunt. Sicque hæc sancta, „& placens Deo institutio antiqui„tùs, & ab ipsis fere primordiis ob„servata extitit, & sacram Basili„cam per dicti Ordinis Clericos „per longa tempora, sanctè, & sa„lubriter gubernatam fuisse NB, „certissima scientia, & veritate „comperimus, & evidentissimè „attestantur innumerabilia docu„menta, &c.

Quod si certissima Pontificis scientia, & ex evidentissimis documentis comprobata veritas tibi non sufficiant ad demonstrandam identitatem modernorum Canonicorum Regularium cum Clericis S. Augustini, quin & cum illis à S. Marco in Ecclesia Alexandrina introductis, ampliùs nescio, qua ratione tecum agamus.

Quæres, qualenam votum 328 Clerici S. Augustini emiserint, simplex an solemne? Si tantùm simplex, omnino discrepant à modernis, utpote qui solemne emittunt. &c. R. vota Clericorum S. Augustini fuisse tantùm simplicia, quia solemnitas primùm circa annum 1140. ab Innocentio II. in Concilio Romano stabilita fuit: ergo solemne votum antea emittere non potuerunt. R. 2. votum simplex istud (nam votum castitatis in susceptione SS. Ordinum robur suum acquisivit, sicut defactò in Ecclesia obtinet) paupertatis diversum habuisse gradum, sicut jam supra notavimus. Solùm enim voverunt abdicationem liberi usûs suorum bonorum temporalium, quod utique sufficiebat ad evangelicam paupertatem religiosè servandam, non verò dominium omne rejiciebant. Unde tunc temporis Januarius Presbyter validè quidem condere potuit testamentum, ast sacrilegè illud confecit, quia contra professionem erat, in qua usus proprietatis sine licentia Episcopi graviter interdictus erat, ut constat ex lamentabilibus verbis S. P. N. supra citatis. Unde cùm *Honoratus* Presby-

byter & Clericus *Tagastensis*, ad Ecclesiam *Thianensem* vocatus, omne suum patrimonium secum tulisset, *Alipius* verò id ob *Honorati* votum non licere affirmasset, *Thianenses* autem bona illa de jure civili ad se pertinere contenderent, hanc tulit sententiam Augustinus Epist. 239. *In hoc casu & similibus ea jura servanda esse censeo, quæ talibus habendis, vel non habendis secundùm civilem societatem sunt instituta.* Hinc nulli quidem licebat in foro poli, sive conscientiæ habere proprium in societate S. Augustini, jure tamen civili in foro fori valebat, quod intellegendum est tam de *Honorato*, quàm *Januario* Presbyteris. Nec propterea diversitas est inter antiquos & modernos Canonicos, cùm voti simplicitas & solemnitas specificam non introducant ordinis differentiam, aliàs ipsimet Monachi antiqui (antequam votorum solemnitas introducta fuit) distinquerentur specificè à modernis, nec amplius idem esset; Ordo Monasticus.

§. III.

De Clericis renuntiantibus post tempora S. Augustini, & propagatione illius Regulæ.

319 AB eo tempore, quo S. P. N. Augustinus Clericis Hipponensibus quandam vitæ communis imitationem proposuit, & normam vivendi præscripsit, quamvis ex sola jurisdictione, & directione Episcopali processerit, non tamen erat particularis novi ordinis Institutio, etiamsi limites Hipponensis Diœcesis egressa certatim à vicinis Episcopis pariter acceptata sit. Solùm ex ea propagatione Augustinianæ Regulæ colligere est, quòd etiam post mortem tanti Doctoris communitatis vitæ (consuetudine in vim legis evecta) à multis synodis approbata, & in plerisque Ecclesiis custodita sit, cùm tamen nec modus renuntiandi, nec vivendi per omnia uniformis observaretur.

Antequam ulteriùs progressum faciamus, videamus obiter Africanæ & Augustinianæ Regulæ propagationem in Italiam factam. Wandalis Africam vastantibus & Clericos crudeli martyrio passim enecantibus, ac Religiosos Clericos, Episcopósque in exilium mittentibus, contigit S. S Quodvulteum Carthaginensem, Gaudiosum Bitinensem & Gelasium, plurimos Episcopos & Clericos circa Annum Domini 240. Neapoli Campaniæ appulisse. Inde Gelasius Romam veniens, à S. Leone I. hujus nominis Pontifice perbenignè susceptus, & in SS. Basilica Late-

Lateranensi collocatus, secundùm Augustini Regulam morem à B. Sylvestro introductum, aliqualiter relaxatum cæpit instaurare ex mandato S. Pontificis, atque ita per Italiæ & Galliæ regiones regularis vivendi modus à S. Augustino præmonstratus in Ecclesiis Cathedralibus & Collegialibus susceptus fuit. Ita refert Pennotus *Hist. tripart, l. 2. c. 14.*, ubi pro veritate rei (nam A. A. quidam veritatem hanc nituntur, sed perperam in dubium vocare) Onuphrium Panuinum in libro de Eccl. Lateran. ita scribentem inducit.

„Gelasius Papa (*intellige, qui „postea Summus in Ecclesia Pontifex fuit*) „circa Annum Dñi 440. Clericos, „qui ab arctiori vitæ instituto Ca„nonici, id est, Regulares vocati „sunt (*hi Apostolorum, & primitivæ „Ecclesiæ more secundùm Beati Augusti„ni regulam in communi vivebant*) La„terani collocavit, qui Presbyte„rorum veterum tam Cardinali„um, quàm non Cardinalium lo„co, Basilicæ Lateranensis spe„ciatim addicti quotidie deservi„rent in administrandis præcipuè „Sacramentis, & publicis preci„bus fiendis. In quibusdam verò „solemnitatibus Romanus Ponti„fex antiquum cum Presbyteris „Cardinalibus, & aliis Basilicarum „Urbis Prælatis morem retine„bat: nam veteri instituto in Ba„silica Lateranensi rem divinam „facere solebat. Canonicorum „porro priscis illis temporibus „præcipuum (ut dixi) munus erat „Sacramenta plebi Dei administra„re: nam in psallendo minùs e„rant occupati, quum eo tempore „psalmodiam adhuc fideles popu„li frequentarent. Cæterùm cùm „Religionis zelus paulatim decre„visset, Lateranensisque Basilica „non ita in psalmodia frequenta„retur à populis, & Canonici ma„joribus occupati rebus cantiones „frequentare nequirent, optima „occasione accidit, ut haud longè „post Gelasii tempora à Monachis „id munus Laterani susciperetur. „Qui paulo ante à Beato Benedi„cto Abbate in occidente institu„ti optimè vivendi normam acce„perant. Is enim in monte Cas„sino Monachorum Cœnobio æ„dificato, eis primus omnium „Occidentalium jura vivendi de„dit, qui quum nullis sacris tum „initiarentur, orationibus tantùm „precibus, hymnis, psalmis, & can„tui in Ecclesia vacare solebant &c.

Dubium hic movetur à quibusdá circa historiam Gelasii, qui sese in quadam Epistola ad Anastasium Imperatorem *sicut Romanum natum* scribit: ergo non fuit Africanus. 2. Dicitur Valerii Hipponensis filius, cùm tamen Valerius senex rexerit Ecclesiam dictam jam An. 391 Gelasius verò Petri solium conscenderit An. 492. nempe 62. Annis à morte S. Augustini. Sed R. quod liber vetustus Pontifica- 331

lis Damaso adscriptus, Anastasius, Platina, Onuphrius, Baronius, Binius, Labbè, Spondanus, Natalis Alexander, Palatius, Pennottus &c. aliique Gelasium I. clarè asserant Afrum. Proin illa verba epist. ad Imperatorem: *Quia gloriose fili, te sicut Romanus natus, Romanum Principem amo, colo, suspicio &c* commodè explicantur. Nam *Romanus natus* juxta generalem acceptionem, & communem veterum sensum significat Gelasium natum in districtu Romani Imperii subditum Imperatoris, quem propterea tenebatur diligere, ac venerari. Omnis natus Hippone poterat dici Romanus, quia Augustinus ipse hanc urbem semel & iterum vocat *Romanam civitatem Ep. 35.*, alibíque, & D. Paulus *Civem Romanum* sese vocabat, esto, natione Judæus patria Tharsensis fuerit. Mos siquidem erat omnem regionem Romanæ ditionis *Romanam* nuncupari. Hoc sensu Gelasius erat *Romanus natus*, licèt natione Africanus. Anno salutis 492. electum fuisse se scribit ipse Gelasius in epist. ad Episcopos Dardaniæ, ubi cùm se Dardanis nuntiaret electum in Romanum Pontificem ante Annos fere 45. errorem Eutychetis recenset exortum. Quod si ortum Eutychianæ hæresis ad electionem enumeres, annum invenies ab Incarnatione 492. Interea conveniunt omnes authores Gelasium fuisse Afrum, & Augustino contemporaneum, prout novissimè in dubium non vocat R. P. Gregorius Kolb facultatis historicæ in Academia Friburgii Brisgoiæ Cæsareo mandato noviter erectæ Professor Ordinarius in *l. de Roman. Pontificibus* ita scribens. *Divi Augustini quondam Discipulus à Wandalis ex Africa pulsus Romam venit secum ferens D. Augustini Regulam, à Clericis Regularibus jam antè observatam, & à Leone I. confirmatam.* Ita quoque scribunt alii cum P. Christophoro Ott, & P. Ant. Foresti in hist. de S. Pontif. ut mirum sit, quòd solùm Canonici Ordinis Adversarii errores notare velint in historia de S. Gelasio.

Hinc Baronius de Parente *Valerio*, & alii non addunt, quod fuerit *Episcopus Hipponensis*, qui error fortè irrepserat, quod Episcopi Valerii tempus incidisset cum vita Valerii Parentis S. Gelasii.

Cæterùm non solùm Romæ in Laterano à Canonicis Regularibus acceptata & observata fuit adnitente S. Pontifice Leone I.; sed etiam à S. Patritio Româ in Hiberniam translata & latè propagata. Atque Canonicæ vitæ observantiam suo tempore floruisse testis est Venerabilis Beda. l. 4. *hist gentis Anglorum*, ubi cap. 4. de suis confratribus Monachis in Hibernia novum Monasterium erigentibus ita

ita scribit: *relictis in præfata Insula Scotis, quod videlicet monasterium usque hodie ab Anglis tenebatur incolis. Ipsum namque est, quod nunc grande de modico effectum in Jugeto consuetè vocatur. Et conversis jam dudum ad meliora instituta omnibus egregium examen continet Monachorum, qui de Provincia Anglorum ibidem collecti NB. ad exemplum Venerabilium Patrum sub Regula & Abbate Canonico in magna continentia & sinceritate proprio labore manuum vivant.*

332 Propagatam Augustinianam Regulam (ex consuetudine & acceptatione aliarum Ecclesiarum in vim quasi legis evectâ) non solùm Italia, sed etiam, ut vidimus, longinquæ regiones, & Germania quoque acceperunt, sed modo diverso, quia jurisdictionem Episcopalem non excessit Clericalis & Regularis vivendi ratio, etsi à Gelasio I. Pontifice sicut alia opera S. Augustini, ita & illis inclusa Clericorum Regula, approbata fuerint. Hinc accidit statum Clericorum Regularium multis obnoxium fieri mutationibus. Clerici quarundam Ecclesiarum evangelicam paupertatem ita custodiebant, ut omne dominium & proprietatem abjicerent, alii verò in aliis Ecclesiis retinebant aliquod dominium abjecto usu proprio, ita tamen, ut non repugnaret paupertati evangelicæ. In aliquibus communitatibus Clerici morabantur ac convescebantur, quorum alii omni proprietati, aliqui verò tantùm alicui renuntiabant. Fuerunt insuper plurimæ Ecclesiæ, quarum renuntiantes Clerici non vixerunt in communitatibus, sed in Parochiis ruralibus, aut domibus privatis, ita tamen, ut præcisè victum ac vestitum à dispensatione Episcopali acceperint, ut patet ex communi historia. Cæterùm usque ad Regulam metensem, & Aquisgranensem ex directione Episcoporum à zelo remittentium in plerisque Ecclesiis plurimum recessum est à modo convenientiore paupertatis evangelicæ Clericalis à Hipponensi Præsule præmonstrato. Hinc Regula Metensis & Aquisgranensis suis Clericis renuntiantibus permisit aliquam proprietatem paupertati evangelicæ non contrariam, eò quòd modus paupertatis evangelicæ severior nulla lege aut institutione Ecclesiastica Ordini Clericorum renuntiantium præceptus sit. Factum igitur est, ut ex directione Ecclesiæ in Concilio Aquisgranensi Clericis renuntiantibus certæ praxes uniformes præscriptæ sint; interim tamen singulis communitatibus, aut membris communitatum permissa fit optio, num vellent sequi modum paupertatis evangelicæ rigidiorem, vel mitiorem, quorum uterque in Ecclesia usitatus antea fue-

rat ſine diſtinctione Ordinum. Talis uſque ad undecimum Clericorum renuntiantium ſtatus fuit.

Solùm probare incumbit, proprietatem à Regula Aquisgranenſi permiſſam quoad ſubſtantiam paupertati evangelicæ contrariam non fuiſſe.

333 Oſtendo proin Aquisgranenſes non obſtante proprietate aliqua reverà quoad ſubſtantiam aliquo modo obſervaſſe conſilium paupertatis evangelicæ.

1. Enim firmo animi propoſito ſe obligabant ad relinquendum uſum divitiarum præcipuum in ordine ad comparandas commoditates vitæ in victu, veſtitu, habitatione, ſuppellectili &c; nam vi regulæ idem victus dabatur divitibus, qui pauperibus. cap. 121. veſtitus pariter communis erat divitibus & pauperibus; dicitur enim cap. 124. Non præſumi debet ab aliquo, quod non *generaliter teneatur ab omnibus.* Habitatio planè difficilis erat; dormiebant enim in communi dormitorio, id eſt, in uno cubili, prout tunc moris erat. Hæc omnia clarè ſupponunt uſum divitiarum in tantum Clericis Aquisgranenſibus reſtrictum eſſe, ut non dubitem comodiorem eſſe modernam multorum Religioſorum paupertatem, quàm Aquisgranenſium proprietatem.

334 2. Proprietarii Aquisgranenſes firmo animi propoſito ſe obligaverunt ad dimittenda omnia bona Eccleſiaſtica aliunde ratione laboris aut Ordinis ſibi debita, quia cap. 120. jubentur contenti eſſe victu & veſtitu & Eleemoſinarum partibus, nec alios Eccleſiæ ſumptus appetere; proponitur illis illud Pomerii l. 2. c. 11. Qui ſua poſſident, & dari ſibi aliquid volunt, ſine grandi peccato, unde pauper victurus erat, non accipiunt. Cùm proin idem Pomerius ſtatim ſubſequente cap. 12. dicat, eos quodamodo ſua relinquere, qui propriis contenti rebus nihil eorum, quæ labori vel ordini ſuo deberi arbitrantur, accipiunt. Non dubitandum eſt Aquisgranenſes proprietarios aliunde jam uſu bonorum ſuorum libero privatos fuiſſe, & ad Clericos renuntiantes ſpectaſſe, cùm ſermo S. Auguſtini de communi vita Clericorum ſuorum ad populum Hipponenſem in Concilio Aquisgranenſi ſub Ludovico Imperatore celebrato An. 816. productus fuerit ad normam vivendi Clericis.

3. Proprietas Clericis Aquisgranenſibus ſolùm permittebatur à Concilio eo fine, ut bona cuivis propria ad uſus pios applicentur: ergo proprietas illa, in quantum fuit permiſſa à Concilio, tam parum repugnabat paupertati evangelicæ, quàm parùm eidem repugnabat paupertas Nepotiani ab ipſo D. Hieronymo epiſt. ad Nepot approbata. Quod verò proprietas tantùm ad uſus pios conceſſa 335

fuerit

fuerit, constat imprimis ex cap. 122, ubi dicitur, qui vero & suis & Ecclesiæ abundant rebus, instante sterilitatis tempore eis, quos pauperes pascit Ecclesia, suis facultatibus cum charitate & humilitate suffragari procurent. Eodem cap. præcipitur, ut vinum aut quilibet alius potus in eleemosinam datus in communi recondatur cellario, quatenus iminente sterilitatis tempore suffragentur communiter necessitatibus. Secundò cap. 141. dicitur: Canonici tam de frugibus, quàm de omnibus eleemosinarum oblationibus in usus pauperum decimas libentissimè ad ipsum conferant hospitale. Tertiò Cap. 142. dicitur; oportet, ut cæteri fratres infirmis & senibus de propriarum rerum facultatibus adminicula necessaria præbeant. Quarto cap. 145. dicitur: oportet, ut Canonici hospites colligant, pauperes recreent, nudos vestiant, in tribulatione positis opem ferant. &c. Qui hæc Concilii jussa ac præcepta servaverit, cur inter Clericos renuntiantes computari non mereatur, cùm propriorum suorum bonorum administrator potiùs quàm Dominus esse videatur? num S. Hieronymus Nepotiano suo majorem præscripsit paupertatem evangelicam? Quintò eodem Cap. dicitur: è claustris non nisi per licentiam egrediantur, non pompis, non spectaculis sæcularibus intersint; non aleæ, non quibuslibet venationibus inserviant: caveant summopere, ne extra claustra moras faciant, nisi ut sibi à Priore constitutum fuerit; intra claustra positi non otio vacent, qui non vult operari, nec manducet; singuli juxta capacitatem suam diversarum artium instruantur disciplinis, ut nullus in Collegio Canonicus inutilis appareat. &c. Observatis hisce præceptis & Canonibus Aquisgranensis & Metensis Regulæ quæri potest, ad quem usum bona propria servire potuerint, nisi ad usus pios, vel ad donationem, aut legationem, Ecclesiis vel pauperibus, sicut etiamnum simplicia vota emittentibus Scholasticis in Societate JESU dominium servit? dum alius usus assignari nequeat, dicendum est, tam parum proprietatem Aquisgranensium repugnasse paupertati evangelicæ, quàm parùm repugnat dominium Societatis. Nam, uti bene observat Haunoldus *tract. 4. Instit. c. 1. n. 12. ille, qui habet dominium ligatum, verè affectu & effectu pauper est, quia spontaneo voto reddit sibi turpem usum cujuscunque rei sine consensu, & licentia Superioris; in æstimatione enim morali non aliter suis bonis gaudet, quàm si illorum dominium non haberet; & in effectu censetur omnium rerum usum, qui illi conceditur, habere precariò.*

§. IV.

§. IV.
De Statu Clericorum renuntiantium à sæculo undecimo.

336 Constat ex hucusque dictis à tempore Apostolorum Clericos renuntiantes nulli determinatæ Regulæ & institutioni particulari fuisse subjectos, similiter à tempore S. Augustini illius Episcopali directioni, & Clericali regulæ quidem paruisse variarum Ecclesiarum primùm in Africa, deinde in Italia Clericos, ut tamen nunquam uniformitas, eadémque vivendi ratio fuerit observata, sicut defactò ab Ordinibus Clericalibus observatur. Constat porro Regulam Aquisgranensem Clericis sæculo renuntiantibus nondum modum ac mensuram paupertatis evangeliæ determinâsse; cuivis enim libertatem permisit vivendi in communitate sine omni proprio, vel vivendi cum proprio, quod tamen paupertati evangelicæ non repugnaret, vel saltem à paupertate evangelica non omnino, & eo usque recederet, ut proprietarii à communitate, statu, Ordine ac Regula verorum renuntiantium excluderentur.

Effectus tamen monstravit licentiam proprietatis præbuisse occasionem pluribus abusibus. Hinc etiam Clericorum rigorosam abrenuntiationem sectantium numerus plurimùm fuit diminutus; abusus proprietatis adeò invaluit, ut etiam pro lege custodiri, & ipsa authoritate conciliari communiri cœperit; Clerici, qui antea in eadem societate, communi refectorio & dormitorio, idem institutum cum perfectè renuntiantibus sequi se profitebantur, relicta communi vita evangelicæ paupertatis observantiam quoque reliquerunt subinducto propriorum bonorum usu libero.

Tandem sæculo undecimo pau- 337
pertatem evangelicam commendare Clericis, & numerum perfectè renuntiantium augere laborârunt viri sanctissimi, & Apostolicæ vitæ zelo pleni, præcipue Ivo Carnotensis, & Petrus Damiani Monachus; prior in Gallia exemplo S. Augustini Clericis Ecclesiæ suæ Cathedralis illam paupertatem persuasit, aliósque ad sui imitationem pertraxit; posterior auribus Romanorum Pontificum tam vehementer institit, ut in duobus Conciliis Romæ 1059. & 1063. habitis, solemnibus decretis Clericos ad abrenuntiationem omnis proprietatis revocaverint. Inde factum est, quòd in tota Ecclesia plurimi monitis Apostolicis parentes genus vitæ ab Aquisgranensi regula commendatum, à S. Augustino præmonstratum assumpse-

ſumpſerint, proprietate omni à communitate excluſa, reliqui, qui ſe licentia Aquisgranenſi tuebantur, in regula Aquisgranenſi perſtiterunt, ita tamen, ut horum proprietariorum magna pars ad libertatem vitæ paupertati Evangelicæ omnino contrariam prolapſa ſit. Succeſſu temporum factum eſt, quòd regula Aquisgranenſis omnino obſervari deſierit. Extinctæ aut diſſolutæ ſunt, aut reformatæ illæ communitates, in quibus vi regulæ Aquisgranenſis Clerici perfectè renuntiantes cum proprietariis communi regula ac inſtituto utebantur; in omnibus Eccleſiis non cernebatur ampliùs aliud genus vitæ, quàm Clericorum perfectè renuntiantium, aut Clericorum proprietatem liberam, evangelicæ paupertati contrariam, ſectantium.

338 Diviſio talis Clericorum, qui antea ſub communi regula, & inſtituto *Aquisgranenſi* vixerant, diverſa nomina produxit: nomen *Canonicorum*, quod antea omnibus commune erat, etiam poſt diviſionem omnibus permanſit; ſed ii, qui paupertatem rigoroſam amplexi fuerant, vocari cæperunt *Canonici Regulares*; reliqui, qui in *Aquisgranenſi* regula perſiſtebant, pergebant priori denominatione retenta, ſimpliciter ſine addito, vocari *Canonici*; qui verò etiam *Sanctiones Aquisgranenſes* (uſum proprietatis reſtringentes) vel conſuetudine invaleſcente, vel diſpenſatione Pontificia intercedente ſepoſuerunt, *Canonici Sæculares* denominabantur. Denominationes quidem varias mutationes ſubierunt; ſæpe omnes indiſcriminatim ſine addito vocabantur Canonici; Canonici Regulares verò hoc inſuper ſortiti ſunt, ut Ordinis S. Auguſtini vocari cæperint, eò quod modus in communitate ſine proprio vivendi in Concilio Aquiagranenſi ex duobus ſermonibus de communi vita Clericorum plurimùm commendatus ſit. Regula enim S. Auguſtini ubique aut nondum erat cognita, aut certè non recepta, quando ex uſu privatorum Ordo Canonicus perfectè renuntiantium *Canonicorum Ordinis S. Auguſtini* denominationem obtinuit. Atque in iſto ſtatu Ordo Canonicus uſque in præſens perſtitit, Regulæ Aquisgranenſi Regula Auguſtiniana moderna ſubſtituta. Neque alius ſtatus ſive Ordo Clericorum renuntiantium tunc agnitus erat præter Canonicorum Regularium, Benedictinorum, Baſilianorum Monachorum, aut Eremicolarum, donec particulares Ordines inſtituti ſunt à S.S. Romualdo, Brunnone, Dominico, Franciſco, Ignatio Societatis Fundatore &c. Exorti quidem fuerunt etiam Clerici, qui abrenuntiationem imperfectam Aquisgranenſium æmulari videbantur, quales ſunt

Clerici Congregationis Oratorii à S. Philippo Nerio instituti, Clerici Oratorii Berulliani, Clerici sæculares in communi viventes, & Clerici P. P. piarum Scholarum à Gregorio XV. approbati &c. Ast isti statum Aquisgranensium non assequuntur, quia non vivunt permixti cum reliquis perfectè renuntiantibus, nec iisdem utuntur legibus, nec rigorem evangelicæ paupertatis, sicut illi retinuerunt. His perpensis

339 Dicendum & concludendum, Clericos à divisione Aquisgranensium exortos, qui postea dicti sunt *Canonici Regulares*, aut *Ordinis S. Augustini*, nulli particulari institutioni Sacramentum dixisse, sed soli directioni arbitrariæ, ac provisionali Episcoporum, Summorum Pontificum, & Conciliorum subjectos fuisse, & permanere.

Ostenditur 1. Genus vitæ, quod præter Christum & Apostolos nullum particularem institutorem agnoscit, & à jurisdictione ordinaria Summorum Pontificum, aut Episcoporum dependet, non debetur institutioni particulari; atqui status Canonicorum Regularium, illorúmque genus vitæ præter Christum & Apostolos nullum agnoscit institutorem particularem, & insuper unicè dependet à jurisdictione ordinaria Summorum Pontificum aut Episcoporum: ergo status Canonicorum, illorumque genus vitæ non debetur institutioni particulari. Probatur minor imprimis ante S. Augustinum, & ab hoc ad Concilium Aquisgranense usque ad præsens sæculum nulla Ecclesia Cathedralis vel Collegialis, aut communitas Clericorum, sive Monasterium Canonici Ordinis Sanctum aliquem vel Pontificem vel Episcopum particularem agnoverunt Ordinis Regularis Clericalis sive Canonici institutorem, neque S. Augustinum, multò minus Chrodogangum, aut Ivonem Carnotensem vel Petrum Damiani, vel Arnolphum Avenionensem &c. uti omnium Canonicorum Regularium antiquorum & modernorum una est vox. Et insuper ex eo probatur, quòd illi non possint dici institutores, qui non habuerunt animum instituendi Canonicum Ordinem, sed tantùm restaurandi illum: atqui prædicti viri Sancti non habuerunt animum instituendi Canonicùm Ordinem, sed tantùm restaurandi illum, uti patet ex constitutionibus Pontificiis, ipsique restauratores protestati sunt se tantùm reparare velle vitam Clericalem Apostolicam: ergo &c. Quod autem Canonici Clerici à jurisdictione S. S. Pontificum vel Episcoporum semper dependerint, & etiamnum dependeant evidens est. Sic statuitur in Concilio Turonensi III. An. 813. Can. 23, ut *Canonici & Clerici civitatum, qui in Episcopiis conversantur*

tur in Claustris habitantes simul omnes in uno dormitorio dormiant, simulque in uno reficiantur refectorio, quo faciliùs possint ad horas Canonicas celebrandas occurrere, ac de vita & conversatione sua NB. admoneri & doceri, victum & vestitum juxta facultatem Episcopi accipiant, ne paupertatis occasione compulsi, per diversa vagari, ac turpibus se implicare negotiis cogantur, dimissóque Ecclesiastico Officio incipiant indisciplinatè vivere, & propriis deservire voluptatibus. Item in Concilio Romano 1063. sub Alexandro II. ita Pontifex: *præcipientes statuimus, ut prædictorum Ordinum, sicut oportet religiosos Clericos, simùl manducent, & dormiant, & quidquid eis ab Ecclesia competit, communiter habeant, & rogantes monemus, ut ad Apostolicam communem vitam summopere pervenire studeant.* Gregorius VII. verò, ùt refertur *Cap. quoniam. De vita & honest. Cler.*, dicit: *statuimus, ut facultatibus Ecclesiarum vestrarum* (Episcopos alloquitur) *proventibus, & impensis diligenter inspectis, in eis valeatis ponere numerum Clericorum, & statuere, ut bona eorum veniant in communi; & in una domo vescantur, atque sub eodem tecto dormiant; siqui verò contradictorès extiterint, licitum sit vobis per suspensionem Officii ac beneficii, aut graviori etiam pœna, si opus fuerit eos ad hanc observantiam compellere.* Ex his colligitur communitatem bonorum Ecclesiasticorum in plurimis Ecclesiis provenire à Jurisdictione ordinaria Episcopali, aut Pontificia; perfectam verò abrenuntiationem bonorum propriorum secundùm rigorem vitæ ac paupertatis Apostolicæ provenire ab adhortatione, non institutione Pontificia; verba hæc *rogamus, monemus* non important institutionem, sed directionem Pontificiam mutabilem. Colligitur 2. hoc genus vitæ Canonicorum Regularium ad solas adhortationes Summorum Pontificum, aliorúmque religionis zelo insignium Virorum sub sæculo XI. refloruisse non tanquam novum, sed semper antea in Ecclesia usitatum, ut propterea nullam à priori diversitatem in æstimatione morali hominum coævorum acceperit, sed solùm majorem perfectionem, & ad plures Ecclesias propagationem, uti constat ex tot, tantis erectis Cathedralibus & Collegiatis Regularium Ecclesiis.

Ostenditur 2. Genus vitæ, cu- 340
jus nulla assignabilis pars, quæ adscribi non possit alicui directioni Pontificiæ, Conciliari, Episcopali, vel privatæ consuetudini, non debetur particulari institutioni; sed status Canonicorum Regularium, illorúmque genus vitæ non habet ullam assignabilem partem, quæ adscribi non possit alicui directioni Pontificiæ Conciliari, Episcopali, vel privatæ consuetudini; nam comunitas dormitorii & refectorii inter Clericos renuntinates partim privatorum zelo, partim

tim directionibus dioecesanis, partim authoritate conciliari, aut Pontificia jam ante S. Augustinum introducta, aut post S. Augustinum revocata in usum est. Communitas bonorum Ecclesiasticorum omni tempore viguit in multis Ecclesiis, communitas bonorum propriorum, aut eorundem in pauperes distributio, aut in pios usus conversio à plurimis semper Clericis custodita, perpetuò ab Episcopis & Ecclesia commendata est. Quomodo igitur locum habet nova institutio, ubi jugis in Ecclesia observatio? Ecclesia semper spiritum paupertatis Evangelicæ suis Clericis inculcavit, multos semper ad eam tam intrà, quàm extra communitates permovit: hæc vota Ecclesiæ sæculo XI. pluribus Clericis, quàm antea, placere cæperunt, ut nulla propterea nova institutione opus fuerit.

341 Ostenditur 3. genus vitæ & status Clericorum, cui nulla uniformis & de se stabilis convenit obligatio quoad habitum, actionem, rigorem claustralem, votorum emissionem, & observantiam legum, non debet, neque potest particulari, & novæ institutioni adscribi: atqui Ordini Canonicorum Regularium nulla uniformis, & de se stabilis convenit obligatio &c. ergo.

1. Non *quoad habitum*, quia solùm requiritur habitus Clericalis, qui pro diversitate regionum, & Episcopatuum in colore est diversus, & tantùm requiritur, ut exterior vestis sit linea, sive sit *Rochetum*, sive *Saroccium*, sive *Talaris*. &c. de quibus infrà à sequenti, qualem tantùm habitum gestâsse compertum est.

2. Non *quoad actionem*, quia illorum actio, quamvis debeat esse Clericalis, unicè tamen dependet à dispositione Episcoporum, & Pontificum aut consuetudine, aut privato affectu in unam comunitatem Clericalem conspirantium. 342 Divinum officium & sacra mysteria reverenter peragere omnium Clericorum præcipua actio est: scientiis sacris vacare, juventutem instruere, & ad Clericatum instituere, missionibus intentum esse, curam animarum in parochiis gerere. &c. congruunt quidem statui Clericali, sed non singulis Clericis, nec singulis communitatibus. Verùm quidem est statum Clericalem, adeoque etiam statum Canonicorum Regularium per se, ac essentialiter ad omnes enumeratas actiones ordinari: sicut integrum corpus ordinatur ad omnes actiones corpori convenientes, sed ridiculum foret dicere, cuilibet membro per se ac essentialiter competere omnes actiones: corpus clericale non est totum aliquod potestativum, sicut animal, quod dividitur in brutum & hominem, ita ut quævis

vis pars divisi contineat rationem integram divisi, sed est totum actuale constans partibus heterogeneis. In hoc corpore non omnes Apostoli, non omnes Doctores, non omnes Parochi. Divisio donorum est dantis, non accipientis. Hinc, si plurimæ communitates canonicorum Regularium quietem contemplationis actionibus aliis prætulerunt, tam parùm rem statu clericali indignam fecerunt, quàm parùm Clericus sæcularis animo sibi soli & Deo vacandi suscipiens cleritatum rem clericatu indignam committit: status clericalis, adeoque & status Canonicorum Regularium activus quidem est, sed non per omnia sui membra, sicut corpus humanum est progressivum, sed non per oculos, non per linguam, sed per membra ad motum progressivum convenientia. Ita pariter membra alicujus corporis moralis destinati ad vitam activam, uniformem actionem habere non possunt. Si quidem ante & post sæculum XI. fuerunt quidam Canonici Regulares sibi soli & Deo divina mysteria reverenter peragendo vacantes, alii instructione juventutis & animarum cura occupati, ut de quibusdam collegiis in specie de Pollingano in membrana descripta testantur statuta, & de Collegio. S. *Nicolai* prope Passavium observat Raderus in vita *gerhobi*, de Gallicanis verò Ecclesiis testimonia affert liber *Disquisitionum de Can. Ord. Parisiis* 1697. editus.

3. Non *quoad rigorem Claustralem,* 343
quia nulla invenitur lex & præceptum, quod austeritatem Regularis disciplinæ intendat, vel rigorem restringat. Sola consuetudo, usus temporum, privata pietatis affectio, peculiaria statuta modum ac mensuram diversam Canonicis dictaverunt. Aroasienses Canonici magnam severitatem Sanct-Victoriani clericalem rigorem, Windesemenses monachilem austeritatem amplexati sunt. Conimbricenses adhuc in disciplinæ Clericalis rigore perseverare, scribitur. Statuta Canonicis Regularibus in germania urgentibus maximè Legatis Apostolicis Episcopo Placentino de Branda, & Nicolao de Cusa Cardinalibus, præscripta fuerunt, sicut & alia ab Episcopis Frisingensibus approbata in Canonia nostra Beyrbergensi moderatum disciplinæ Canonicæ rigorem continentia leguntur. Statuta Viennensia ad *S. Dorotheam* & *Pollinga ad S. Salvatorem* Clericalis austeritatis præclarum præbent testimonium. Sed in nullo Collegio determinata, stabilis, & uniformis mensura rigoris claustralis reperiri valet, manifesto argumento, nullam esse institutionem particularem, sed mensuram perfectionis canonicæ vel in privata consuetudine, in pio usu & tracta-

tatione, vel in directione Episcopali aut Pontificia fundari.

344 4. Non *quoad emissionem votorum* ex determinata formula, quia ex sequenti Cap. a. 2. variæ reperiuntur professionis Canonicæ formulæ, in quibus præscribitur mensura votorum paupertatis, & obedientiæ aut loci stabilitas. Hinc in Bibliotheca Bollingana & in nostra Beyrbergensi variæ leguntur literæ dimissoriales, quibus ex rationabili causa Cononici è Claustro dimittebantur ad alia collegia, ut ibi ad tempus conversarentur. Similes dimissiones à Prælatis sine auctoritate Ordinarii factæ leguntur in Diessensi Canonia, aliisque Bavariæ Monasteriis apud *Hund. in sua Metropoli.* Nec viguit ante Concilium Tridentinum *uniformis mensura paupertatis*, quia in multis locis dominium bonorum, & peculium aliquod permissum fuit. *Author disquisitionum* testatur se legisse literas Episcopi *Maclovienſis, qui sæculo XIV. necdum inclinante Abbatem Montisfortis apud Armoricos pietatis ac fervidæ devotionis laudabat ideo, quòd in Regulari canonica sua statam missam quotidiano cantu celebrandam fundasset, providissetque, ut certa pecunia, eleemosinarum instar, adstantibus canonicis inæqualiter pro ordinum suorum inæqualitate dispartirentur.*

Udalricus I. Præpositus Ecclesiæ *Pollingana* fundavit Anniversarium Anno 1339. pro se perpetuò celebrandum tradendo conventui in *oblagium* curiam in Perghofen, quam dicit proprietatis titulo ad se pertinere. Circa idem tempus *Conradus I.* cognomento *Glaner* Beyrbergensis Præpositus duo prædia Conventui dicavit, & proprietatis jure attribuit suis Canonicis *oblagium* seu peculium, quibus vel vestes vel alia sibi procurare poterant. Et hoc vivendi genus circa sæculum XII. & paulò ante inchoatum aliquamdiu perdurabat absque scrupulo læsæ paupertatis. Quin non solùm iste Conradus, sed etiam alii Successores ejusmodi peculium proprium Religiosis permiserunt, quod etiam invenire est apud Canonicos Diessenses & alios *Hund. in Metr.* Plures tales bonorum divisiones ac varios paupertatis modos in variis provinciis observatos recenset Author Disquisitionum fol. 315. ubi citat Navarrum nostrum *conſ. 3. de Reg. l. 3. to. 3.* docentem, *eò res jure, vel consuetudine deduci potuisse in multis Ecclesiis tam Abbatialibus, quàm Pontificalibus, ut ibi Canonici Regulares, atque Augustiniani prabendas suas quarundam quasi obedientiarum instar privatim administrarent.*

5. Non *quoad observantiam legum*, 345 quia etiam obligatio de se stabilis, ac uniformis ad modernam Regulam Augustinianam Canonicis Regularibus non conveniebat, utpote ante Augustini tempora renuntiantes Clerici erant, & postea non ab omnibus mox acceptata il-

la

la fuit. Quin etiam contigit nominari Canonicos S. Augustini in Germania, cùm tamen Augustini Regula non haberetur. Sic *Urbanus II.* in Bulla ad Rottenbuechenses Canonicos An. 1090. vocat Monasterium illud *secundùm regulam S. Augustini*, & Canonicos *Canonicam vitā professos secundùm Deum, & B. Augustini regulam*, cùm tamen tunc temporis Augustini regula in Bavaria ignoraretur & postea à Gerhoho maximè desideraretur. Dein regula, quæ non assumitur animo mutandi statum, non constituit novum statum, nec mutat essentiam; sed regula moderna non fuit assumpta à Canonicis animo mutandi statum, sed solùm priorem statum perficiendi: ergo. Ulteriùs obligatio & assumptio alicujus regulæ tam diu non arguit vim constitutivam novi Ordinis, quamdiu non acquirit confirmationem Ecclesiæ constitutivam novi ordinis: atqui obligatio & assumptio Regulæ Augustinianæ nunquam hucusque obtinuit talem confirmationem quis enim Pontificū talem confirmationem sive expressam, sive tacitam dedit cū animo introducendi & approbandi novum Ordinem? ergo obligatio & assumptio Regulæ Augustinianæ non arguit vim constitutivam novi Ordinis.

Perpensis itaque omnibus, Canonicorum Regularium Ordinem nomine Clericorum renuntiantium à Christo & Apostolis deductum, à M. Augustino reformatum, propagatum, & Conciliaribus statutis postea munitum, inter varios fortunæ & bellorum casus sine variatione essentialis statûs conservatum, sæculo XI. ad majorem perfectionem reductum, & ad nostra usque tempora incorruptum perstare brevibus rationibus & historicis argumentis ostensum videtur. Plura enim hìc superaddere non licuit ob angustias foliorum, nec decuit integras dissertationes contexere, quales Rmus D. *le Large in Disquisitionibus de Ordine Can. A. 1697.* editis, *Claudius Molinetus*, & novissimè Rmus *Don. Raymundus Chappanelli* in historia Canonicorum Gallicè A. 1699. edita, & à R.R. & Clariss. *D. Eusebio Amort* Canonico Regulari Pollingensi SS. Theol. Professore latinitate donata, mihíque amicissimè communicata integris continent libris. Sufficiat igitur hoc compendium tyronibus.

Dices 1. Christus instituit Apostolos priùs Monacho-Clericos. 346
2. Institutio Christi fuit institutio Episcoporum *formaliter*, & Religiosorum *idealiter*. 3. Si Christus primario non intendisset, purè Clericali statui, & Hierarchico ordini tanquam fini præcipuo imponere ædificium Ecclesiæ suæ, sequeretur, statum Hierarchicum Ecclesiæ defacto non esse Apostolicum, & consequenter illum à Christo institutum defecisse, quod me-

meritò hæretici criminari possent.

R. 1. an istud assertum minùs in detrimentum Cleri sæcularis cedat, dum adversarii nituntur asserta Canonicorum Regularium pro conciliando tam cathedralium, quàm aliorum clericorum in illos odio, ratione instituti regularis ab Apostolis derivati impugnare sub titulo tam specioso, videant omnes Clerici? Certè omnes sive cathedrales, sive Collegiales Canonici magis accedunt ad ordinem Canonicum, quàm ad Ordinem Monachicũ uti est evidens. Velint igitur suum statum à Monachismo inchoatum, per nos licet.

R. 2. Eo ipsò, quòd Christus instituisset Monacho-Clericos, ii non fuissent alii, quàm Clerici Regulares, passivam vitam cum activa conjungentes. Sed quid aliud sunt Canonici Regulares?

R. ad 2dum cum distinctione. Fuit institutio Episcoporum *formaliter* & *immediatè* conceditur formaliter & *non mediate* aliorum Clericorum consilia evangelica sectantium, negatur. Quorum enim fuissent Episcopi Clericorum, si in institutione Episcoporum non etiam includeretur institutio Clericorum? Certum est in ultima cæna accepisse Apostolos tantùm potestatem Sacerdotalem, scilicet consecrandi Eucharistica Mysteria, ut constat ex verbis in Missæ Canone immediatè post verba consecratoria appositis: *hac quotiescunque feceritis. &c.* Igitur & Episcopos tanquam Pastores destinavit Apostolos, & Clericos coadjutores mediatè voluit esse Apostolorum discipulos, utrosque Regulari & Clericali gradu insignitos. Unde dictum illud Magni Augustini. *Dixerant potentes illi,* Apostoli: *ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Hoc votum potentissimi voverant. &c.*

R. ad 3tium negando sequelam. Quæro enim, an Modernus Pontifex sit summus Pontifex ejusdem speciei, seu Apostolicus cum S. Petro, qui juxta Adversarios fuit *Monacho-Clericus*, sicut cæteri Apostoli? Quæro item, utrùm tot Summi Pontifices ex Ordine S. Benedicti, vel alterius, fuerint Apostolici & Clerici ejusdem speciei tum cum Clericis ac Summis Pontificibus primitivæ Ecclesiæ, tum cum Clericis & Summo Pontifice nostræ modernæ Ecclesiæ? si hoc non, sequitur statum Hierarchicum Ecclesiæ tunc non fuisse Apostolicum, & ab institutione Christi defecisse. Si verò dicatur esse ejusdem speciei, non video, quomodo negari valeat Clerum, ac Summum Pontificatum, totiúsque Ecclesiæ statum Hierarchicum modernũ esse ejusdem speciei cum illo primitivæ Ecclesiæ non obstante, quod iste status constitutus fuerit ex Clericis renun-

nuntiantibus, sive re ipsa Canonicis Regularibus? Magis planè scandalizantur hæretici, si dicatur Apostolos illicò post Christi mortem evangelica consilia rejecisse, & perfectiorem vitam à divino Magistro præmonstratam mox deseruisse, eósque *ex illis fuisse voventibus, quorum infirmatus est arcus.* Ut observat S. Augustinus loco supra cit. Dico ergò statum Hierarchicum non fuisse mutatum, sicut etiamnum non est mutatus, licèt ex diversis Sacris Religionibus assumpti Cardinales, Archi Episcopi, & Episcopi cum aliis statum Hierarchicum conficiant.

Atque hæc de Clericis renuntiantibus sive Regularibus, eorumque origine & progressu, sicut & de variis reformationibus vitæ Clericalis Canonicæ dicta sufficiant.

Cùm diversas sanctorum vitas, & virtutum exempla ex Ordine Canonico per decursum Tyrocinii Canonici varii Scriptores nobis subministraverint, conveniens etiam videtur, vitam Præclarissimi Ecclesiæ Doctoris, Africæ Sideris illustrissimi, & Clericorum Regularium Restauratoris devotissimi abbreviato calamo huic Tractatui inserere, ne ingrati tanti Patris filii, & immemores audiamus. Quod ut commodiùs præstemus, placet in hoc capite per Articulos eam dividere, iísque juxta usitatum hucusque modum in fine annectere.

VITA S. AUGUSTINI.

Clericorum sanctè vivendi norma.

347 TAgasta Augustini Patria, sive tagestum oppidum (ut Plinius ait) Numidiæ liberum sub ditione Romani Imperii & jure suo præditum apud Affricam. Hic Anno Christiano 534. Idibus Novembris scilicet 13. natus est Patritio, & Monica parentibus tenuioris quidem fortunæ, ast isto nobilitate, hac pietate insignibus: quæ dum pareret, visa est sibi lumen peperisse viro suo teste Theophilo Raynaudo S.I. *Proloquii 2. N. 1.*

Nomen sortitus est Augustinus non temerè, sed bono omine, ac veluti per vitæ præsagium, ab *augendo* scil. sic dictus, quia ejus invicto labore longè, latéque refutatis hæreticorum erroribus nec non doctrinâ præstanti contra sectarios Ecclesia Catholica defendenda, & *augenda* foret.

Cognomen *Aurelii* non vivus, sed post mortem accepit, cùm ob doctrinæ præstantiam, atque splendorem, tum propter virtutum

tum excellentiam. Est enim *Aurelius* (festo) idem, quod *Ausedius* id est *aurea sedis* vir, & inter suos ut *aurum* splendore coruscans omni Sapientiæ Gloriâ. Juventutem, ac Adolescentiam impendit litteris inferioribus, & altioribus addiscendis, indulgens interim genio, ac concupiscentiis suis, quibus inescatus incidit in *Manichæorum* errores anno ætatis suæ decimo nono *L. 3. Confess. 4. 5. 6.* in quibus novem annorum spatio persistens errorem agnoscit, Romæque Rhetoricam docet, dum agit annum vigesimum octavum: 4. *Confess. 1.* famâ autem doctrinæ illius Mediolanum perlatâ, eò ab Urbis Præfecto *Symmacho* nomine, accitur, humaniores litteras, & dicendi rationem ibi docturus. Quo loco summis viris, atque adeò *Valentiniano Juniori* Imperatori fuit pergratus 5. *Conf. 13. & 6. Conf. 11.* Celebris certè etiamnum ibi viget ejusdem memoria; locúsque, in quo Rhetoricam fuit professus, *Cathedra S. Augustini*, appellatur.

Præerat tum temporis Mediolanensi Ecclesiæ *Ambrosius*, cujus conciones sæpius frequentans *Augustinus*, tandem in ipsius amicitiam pervenit, quæ subsecutæ conversionis suæ fuit exordium. Ex eo quippe tempore magis ac magis ad catholicam fidem amplectendam se intus trahi sensit, stimulum postremum addente gemina illa voce, *tolle lege*, quam in horto sub ficu solus considens, percipiebat, nesciens unde originem traheret. Nihilominus eidem obtemperandum ratus, librum (fuêre Epistolæ Tarsensis Pauli) commodè ad latus jacentem, manu arripit, legit, statimque primo obtutu in illa ad *Romanos cap. 13.* verba incidit; *Non in commessationibus, & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione, & æmulatione: sed induimini Dominum JEsum Christum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiscentiis.* His lectis tanquam sibi dicta accipiens, quid sibi contigerit, *Alipio*, qui in interiore horti parte morabatur, narrat, is rei miraculo perculsus, instituit videre, quid legisset, sententiámquue deinceps persequens, legit. *Infirmum autem in fide assumite.* Quod ille ad se referens *Augustino* Socius esse decrevit. Inde ad *Monicam* Matrem ab exultantibus præ gaudio festinatum est, ordine res enarrata, animáque firmiter concepta, sanctioris vitæ sententia declarata: quæ vicissim, supra quàm dici potest, lætitia repleta Deo misericordi gratias egit, à quo receperat, quod assiduis precibus, lachrymisque rogârat.

Contigêre hæc anno Christi 386. ætatis Augustini 32. qui Professione Rhetorica, cæterísque impedimentis jam expeditus, in *Verecundi villam*, quieti aptissimam, cum *Monica* Matre, *Alipio*, *Nebridio*, 348

&

& *Adeodato* filio secessit. Eo in loco ad Baptismi Sacramentum suscipiendum se disposuit, & exclusis vitæ præteritæ tumultibus libros aliquot composuit, videlicet *Academicos*, *soliloquia*, *de Ordine*, *vita Beata*, *Immortalitate animæ*, & alia, quæ adhuc supersunt, commentaria. 9. *Conf. c.* 2. 3. 7.

Biennium non exegit in eo secessu, cùm paschales feriæ Anni 387. advenerint, quo tempore Catechumeni Sacrâ undâ ablui solebant. Mediolanum proinde cum suis repetens, baptisma ex manibus Ambrosii Præsulis 24. Aprilis Sabbatho S. recepit, quod subsequebatur canticum illud toto orbe celeberrimum ab *Ambrosio* & *Augustino* alternis vocibus felicissima extemporalitate sub processione decantatum.

Eodem anno Mediolano discedens in Affricam perexit, in via apud ostia Tiberina piissima Matre *Monica* non sine mœrore *Augustini* Filii defunctâ.

349 Non diu latuit sub modio Augustini pietas, & doctrina, quin ea ad aures Hipponensis Episcopi Valerii pervenerit, qui eum invitum Presbyterum inunxit, cujus bona venia in horto suo prope Ecclesiam primum *Monasterium Clericorum instituit*, *capitque vivere juxta regulam à Sanctis Apostolis constitutam*, ut canit Ecclesia *in ejus Officio*.

Declinârat in grande senium Valerius Præsul, hinc viribus suis diffidens, ab Aurelio Carthaginensium Antistite Provinciæ Affricanæ Primate per litteras obtinuit, ut *Augustinus* Hipponensis Ecclesiæ Episcopi Coadjutor constitueretur, essetque, quoad viveret ipse *Valerius*, ejusdem in rebus omnibus locum tenens. Quam arduam provinciam pro sua modestia multùm reluctans *Augustinus* in se suscepit. Moritur interea Valerius, cui Augustinus hactenus adjutor, pleno jure in Episcopali munere successit, Sacris Episcopatûs insigniis à *Megalio Calamensi* Antistite donatus.

Non reliquit tamen semel inchoatam vitam communem, sed in Episcopali domo & Ecclesia. Alterum Clericorum regulariter viventium Monasterium constituit, cum quibus uti in primo, eadem mensa, eodem dormitorio, ejusdem generis vestimentis utebatur, certâ etiam postea conscriptâ regulâ, juxta quam mores ac vitam Canonici sui componere deberent.

Præfert Augustinus insigne toti mundo cognitum, videlicet *cor sagittis transfixum*, ut eo ardentissima ejus in Deum charitas omnibus innotescat, quæ tanta fuit, ut facilè omnium hominum (Deiparam, ac Christi Apostolos excipio) longè pluribus spatiis antecesserit. Unde illius ab amore dictata verba *lib.* 50. *hom.* 50. *scis*, ait, *occultorum Cognitor Deus, quoniam* 350

non solùm terrâ, sed omnibus, quæ in ea sunt, tu mihi charior es, sed etiam ipso cælo, & omnibus quæ in eo sunt, tu mihi acceptabilior es. Ad ineffabilem illius amorem spectat, desiderium audiendi D. Paulum concionantem, & Servatorem nostrum amabiliter cum hominibus in terra ingredientem.

Seraphinum non hominem sonant sequentia ejus ab amore dictata verba. *Tanta te, Rex gloriæ, dilectione prosequor, ut, si (quod esse quamquam non potest) ego Deus forem, & tu Augustinus esses, omnino vellem ego fieri Augustinus, ut tu fieres Deus.* Nec in verbis duntaxat stetit flagrans ipsius erga Deum amor, omnes actiones talem redolebant: libri ejus ubique spirant Divinum amorem, ut eorum serius Lector non eruditionem modò, sed & ardentissimam charitatem inde queat ad se derivare. Merito proinde Augustinum nostrum appellat *Limensis* ille Doctor P. *Ildephonsus Penafiel* è Soc. JESU Presbyter in Epistola dedicatoria *Cursus sui Philosophici tomo 3. Cherubicum Doctorem Doctorum omnium.*

Asserunt nonnulli Viri graves apud P. *Cornelium Lancillotum* in vita Sancti Augustini *lib.* 3. *c.* 43. adducti verbis ejusdem S. P. N. *sagittaveras tu Domine charitate tuâ cor meum &c.* Cor illius non tantùm spirituali vulnere, seu tralatitio, verùm etiam arcanis Sacrorum vulnerum JESU Christi stigmatibus sauciatum fuisse. Certè donatum ejus amori, quo totus in Deum ferebatur, totúsque æstuabat, ut facie ad faciem eum videret, saltem per transennam objectum illud amoris beatifici, Divinam scilicet essentiam, ut est in se ipsa clarè, & intuitivè, quod omninò paucis concessum. Refert id R. P. *à Sancto Martino Ordinis S. Augustini* Religiosus & Sacræ Theologiæ in Academia Tolosana Professor Regius in vita Sancti Augustini *N. 61. apud P. Jacobum Lobbetium S. J. in Gloria Patriarcharum in Augustino §. 5.*

In contemplatione S. S. 351
Triados mysterii animus illius
totus fuit absorptus. „Rem nar-
„rat Lancillotus *lib. 3. c. 22.* Fuit
„in cæteris, *inquit*, fœmina quæ-
„dam honestiore loco nata, quæ,
„cùm falsò traducta esset à quibus-
„dam malevolis, Augustinum ad-
„iit consilii gratiâ, ac nemine ad
„ostium reperto, subintravit in-
„teriora domûs, petiitque con-
„clave, in quo tam erat S. Augu-
„stinus, & honorem ipsi, ut par
„erat, maximum exhibuit. Ve-
„rùm ille studiis intentissimus, ne
„verbulo respondit, nec ad eam
„se convertit. Mulier istud tri-
„buens suæ verecundiæ, utpote,
„qui nollet solus cum sola loqui,
„viciniùs accessit, cæpitque rem
„ordine referre, ob quam vene-
„rat, sed nec ita quidem respon-
„sum obtinuit, adeò, ut citra ullum
„sola-

„solatium discedens, Augustinum „postridie cogeretur in templo „quærere, ubi eum rei divinæ ope„rantem invenit: cui, cùm illa „magnâ attentione pietatéque in„teresset, sub elevationem San„ctissimi Corporis Christi mente „sublata fuit ante thronum SS. „Trinitatis, ubi conspexit B. Au„gustinum inflexo capite, profun„dissimè de hoc Mysterio dispu„tantem, unáque vocem perce„pit ad se delatam hujuscemodi: „*Augustinus eo tempore, quo eum heri „interpellare voluisti, fuit abreptus in „contemplationem* SS.*Trinitatis*,*ideóque „dum ei loquebaris, absens erat, ani„mo, nec ad interrogata respondit, ac „ne quidem te adesse observavit; verum„tamen ad eum revertere, reperiésque, „erga te propensum, ac benevolum.* Cui „oraculo cœlesti mulier obse„quens, ab Augustino ex animi „sententia consilium accepit.

In ejusdem Mysterii profunditatem raptus, cùm aliquando circa littus maris versaretur, ferunt ei puerculum apparuisse, cochleari conantem mare totum exili includere alveolo: ad quem cùm Augustinus velut puerile, & impossibile subrideret, puer magis impossibile respondit esse immensum mare Mysteriorum Dei, adeóque Sanctissimæ Trinitatis immensitatem ambitu humani ingenii, quantumvis capacis, arctare.

Ne quidem vitâ carens cor Augustini, pronunciato Altissimæ 352
Trinitatis nomine ferias agere, sed intelligentis naturæ ad instar tripudiare, ac saltare visum est. Testem adduco Sigismundum Episcopum Lugdunensem. Expetierat is multis à Deo votis aliquas P. *Augustini* reliquias, quas dum ambit, amátque, sub horam primam in oratorio suo de more, dum in eadem vota, precésque animum explicat, subitò indormit. Et ecce sopito & dormienti adest Angelus, qui manu præfert vasculum crystallinum perelegans, cujus pedunculus ex auro obrizo, circuli circumquaque aurei, pyxis autem ipsa, gemmarum luce, nitoréque spectabilis, quam, cùm in ipso Sacelli Altari reposuisset, sic ad Episcopum. *Et quid dormis Sigisberte?* dixit, & Sigisberto somnum excussit, qui sibi redditus, *ecquis*, inquit, *es?* cui ille, *ego sum Angelus; Augustini quondam Tutelaris, qui & illius in vita curam habui, & à morte etiam cordis, quod Deus in cineres redigi non est passus: quî enim in cineres iret cor illud, quod adeò arsit Divinis amoribus; quod Dei sedes; quod Officina Altissimorum de Sanctissima Trinitate & sensuum & effectionum? Exurge igitur, & quod tibi cœlum donat, munus accipe.* Hæc effatus evanuit. Tum sibi à somno redditus Episcopus, altaríque jam proximus, in eo conspicit velut urnulam vitre-

am, & in ea cor P. Augustini, adeò recens, integrum, vividúmque, ac si modo eductum è pectore esset.

Vidit, & obstupuit, Deóque gratias egit pro tam nobili, sacróque pignore, ad quod visendum etiam alios accivit, primum domesticos, tum populares suos, tum subditos diœcesis totius, ubi convenêre, tam hi, quàm illi. Tunc Episcopus ad publicam gratiarum actionem ab universo Clero acciri jubet illud solenne, lætúmque acroama.

Te Deum laudamus, mirum dictu, visúque! cùm ad eum versiculum deventum est; *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, Ecce! cor palpitare, exilire, exultaréque in Deum suum, & quasi muta voce eloqui, atque inclamare illud S. S. Triadi, *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.*

Similes motus, ac palpitationes pati dicitur illud ipsum Cor Anniversaria die *S. S. Trinitatis*. Imò quoties in altari deponitur ad easdem voces in præfatione legi solitas *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, derepentè palpitat, atque exilit, ac veluti os cordis expandit. Quos motus etiam exercet, quoties vel solum Sanctissimæ Trinitatis Nomen coram eo exprimitur, vel ipse, quem de SS. Trinitate scripsit, liber expanditur. Adhæc eo loci, & temporis, quo Cor illud in Ara publicè venerandum exponitur, si quis hæreticorum, ausu temerario subintret, vel illico emoritur, vel ad sacra templi limina prosternitur.

Ut delicata, sinceráque animi 351
gaudia abundantiùs perciperet, in conclave suum, aliúmve domus suæ secretiorem locum secedens, Sacrarum Litterarum arcana, ac maximè, quæ Christi mortem attinent, contemplabatur. Solebat autem dicere. *Tuta requies est infirmis peccatoribus in Vulneribus Salvatoris. Securus illic habito: patent mihi viscera per vulnera Lib. de contemp. cap. 21.* & eodem loco paulo post. *Copiosa redemptio data est in nobis in vulneribus Salvatoris nostri, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, & perfectio virtutum. Cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cùm Diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordiæ Dei mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Dei mei extinquitur, in omnibus adversitatibus non invenio tam efficax remedium, quàm vulnera Christi, in illis dormio, & quiesco intrepidus.* Hæc & alia plura ibidem. Similia habet *in Meditationibus cap. 6. & 35.*

AR-

ARTICULUS II.

De nomine, & habitu Canonicorum Regularium.

SUMMARIUM.

354. *Duodecim appellationes Canonicis Regularibus conveniunt.*
355. *Cur defacto communi titulo dicantur Canonici Regulares?*
356. *Explicantur varia nomina habitûs Clericalis.*
357. *Quamvis diversi sint habitus, conveniunt tamen omnes essentialiter in uno speciali.*
358. *Objectio diluitur.*
359. *Canonici Reg. non possunt prohiberi à Locorum Ordinariis, ne portent habitum, vel almutias violacei coloris, nec amittunt ejusmodi privilegia per non usum.*
360. *Augustinus nomine & habitu Canonicus S. S. Missa Sacrificium devotissime peragit.* 361. *Erga S. Deiparam mirè affectus.*
362. *Horas Canonicas attentissimè peragit.* 363. *Indefessus in Concionando.* 364. *& scribendo libros.*
365. *Sensus suos quomodo mortificaverit?*

354 VAria quidem obvenerunt nomina Canonicis Regularibus, ut breviter n. 338. insinuatam est, sed præcipuè ex doctrina absolutissima tam à S. S. P. P. & D. D. quàm Juris Canonici testimoniis satis fundata Reverendissimus Pennotus l. 2 hist. tripart. c. 1. duodecim deducit.

1. Dicuntur *Clerici* omnibus sæculi facultatibus renuntiantes, solumque Deum in sortem suam vocantes.

2. In Jure Canonico & alibi frequentissime veniunt nomine, *Clerici Regulares.* S. Th. 2. 2. q. 189. a. 8. Pius IV. constit. 95. &c.

3. Appellantur *Clerici Religiosi* ab Alexandro II. c. *Præter* 32. dist. *juxta Ecclesias, quibus ordinati sunt sicut oportet Religiosos Clericos simul manducent, &c.*

4. Vocantur *Clerici Canonici* in Concilio Romano sub *Eugenio II, Leone III. Alexandro, & Innocentio III.* quia à *Canone*, qui latinè est Regula, *Canonicus* derivatur.

5. Absolutè vocantur *Canonici*, ut patet ex Conciliis Turonensi, Arelatensi, Aquisgranensi, & ex Regula Metensi, & varie probatur à Pennotto l. c. n. 6.

6. Dicuntur *Canonici Regulares* usu hodie etiamnum recepto, quo titu-

titulo ostenditur præcipuè continuo ipsos Clericali habitu incedere, ut infra statim dicemus.

7. Appellantur *Canonici Regulares S. Augustini* non quidem quoad Ordinis institutionem, sed reformationem à S. Augustino factam, de quo plura a. 1. hujus capitis.

8. Dicuntur etiam *Monachi Augustiniani*, ut patet ex Metropoli Salisburgensi, sive etiam *Mystæ Augustiniani*. Unde etiam illorum Ecclesiæ Monasteria dicuntur, quia in jure nomine Monachorum comprehenduntur attenta professione communis vitæ & votorum. Hinc nullum privilegium Monachis concessum Canonicis Regularibus censetur denegatum, sed solùm in odiosis non veniunt nomine Monachorum.

9. Vocantur *Monachi Canonici*, sive Monachi Ordinis Canonicorum ex prædicta ratione.

10. Absolutè vocantur *Monachi* sine addito propter vitam passivam, quàm sunt professi, sed hoc nomen sine addito valde impropriè convenit illis, uti ipsimet fatentur A. A.

11. Vocantur *Fratres* non quidem eo modo, quo Monachi & Laici, prout contradistincti à Clericis *Fratres* vocari solent, cùm nomen *Frater* in professo Canonico Regulari Clericum semper secum trahat. Ex Bulla Pii IV. Quia patet ex relatis, quod Canonicos Regulares dignitate Clericali eo statim, quod professionem Regularem emittant, insignitos esse oporteat, & Clericalis dignitas eisdem sit annexa. Sic etiam sæculo duodecimo vocati sunt Canonici *Fratres Regulares*, ut constat ex variis Bullis Pontificiis in Metropoli Salisburgensi, & nos Canonicos Beyrbergenses in Fundationis nostræ Ecclesiæ confirmatione *Regulares Fratres* nuncupavit Calixtus II. Anno 1121.

12. Vocantur etiam *Domini*, sive etiam *Domni* propter dignitatem Clericalem, quæ illis per se competit, & propter eminentiam Ordinis. Quales titulos optimo jure deductos videre est apud Pennottum loco cit.

De geminata nomenclatura 355
Canonicus Regularis, agit Trullus noster integro cap. 7. in hæc fere verba: solent majores. D. Cypriano teste, infantulis recens natis talia nomina imponere, quæ ex præcedentibus Patrum degenerent. Ita in nominibus Patriarcharum Abraham, Isaac, & Jacob &c. magnarum rerum latebant indicia. Sic Gen. 2. ad Adam adducta sunt singula animalia, ut vocaret ea, ut scilicet aliqua esset in titulis & nominibus ratio. Moyses, quia de aqua eductus est, Samuel, quia Matri suæ risum fecit, nomen tale sortitus est. Quare cùm quidam Canonicos Regulares tanquam linguæ græcæ ignaros deridere vellent, quod nomi-

ne

ne idem significante & duplicato, non solùm Canonici, sed & Regulares appellari velint, quasi sit inutilis repetitio; Canonicus enim idem significat, quod Regularis, & Regularis idem, quod Canonicus, explicatione indiget duplicata etymologia nominis: pro cujus notitia clariori sequens doctrina ex August. Tic. bene percipienda est.

Scribit ergo præcitatus Author *propug.* 3. in hæc verba, ut videre est etiam apud Trullum l. c. Cùm deficiente fervore charitatis inter Ministros Christi quidam Clerici defecerint à primis imperfectione vitæ, & relicta professione solemni ceperint cum dispensatione privatim vivere, & proprium habere, quorum postea numerus per incrementa temporum fuit amplissimus, præsertim in Ecclesiis Cathedralibus, quæ à regulari observantia deviârunt. Idcirco S. Pontifices in S. Conciliis ordinarunt, ut ad illorum differentiam Clerici illi, qui sub Apostolica professione regularem vitam servarent, non Canonici, seu Clerici simpliciter, sed *Clerici Canonici*, vel *Canonici Regulares* dicerentur, & ita in S. Canonibus is nominandi modus paullatim inolevit ob ipsam Apostolicæ regulæ professionem. Hinc Præpositus in apparatu *c.* 1. *dist.* 43. ponit triplex genus Clericorum. 1. Clerici Sæculares dicuntur proprium habentes, & separatim viventes. 2. *Clerici Collegiati*, 3. *Clerici Regulares*, qui primitivum & Apostolicum vivendi modum retinent, in communi viventes, & tria profitentes Religionis vota essentialia: & hi propriè dicuntur *Clerici Regulares*, seu *Canonici Regulares.* Latet igitur magna vis, & emphasis sub hoc duplicato nomine Canonicus Regularis. Ita apud Hebræos moris erât eodem vocabulo bis utendi; unde hæ repetitiones. Abba Pater, *Jerusalem Jerusalem:* & *Psal.* 144. *generatio & generatio laudabunt opera tua.*

Tali nimirum repetitione major vis animi, & affectus mentis exprimi videtur. Quemadmodum magnates, & primæ auctoritatis viros in literarum subscriptionibus bis *Dominos*, *Dominos* appellare consuevimus: ita Canonicos, seu *bis Regulares*, hoc est *Canonicos Regulares* hujus præcellentis Ordinis Viros nominamus.

356 Habitus Canonicorum Regularium proprius ac determinatus est Camisia linea, sive toga linea. Ita *Raphael Volateranus* in *Aug. l.* 21. *de Ord. Can.* differens ait: *amictus est linea toga vesti unicuique superaddita, quam S. Apostolus Jeros. Præsul ex more Levitico, verorúmque Sacerdotum sibi assumpsit, post eum Marcus Alexandria, posteri verò diversis inter se factis*

Con-

Conciliis alii alia simul cum lineis indumenta arripuêre.

Benedictus XII. in sua constitutione pro generali totius ordinis reformatione §. *dignum fore censens, ut Canonici Religionis præfatæ non solùm morum & vitæ, sed etiam habitûs & vestimentorum refulgeant, honestate districtiùs inhibuit, ne dicti Canonici extra septa Ecclesiarum proficiscentes portent alias vestes super habitum, quàm cappas, seu mantellos honestos, vel rotondellos, seu elochias talares, vel circa, juxta usum, vel consuetudinem laudabilem Ecclesiarum. &c.* Cùm ergo varia ibi recenseantur nomina, placet breviter ea explicare.

Camisia linea, sive *Romana* nobis defacto est *Rochetum* prout demonstrat Nicolaus Desnos *l. 4. c. 10.* Gavant. *p. 2. tit. 1. lit. z.* & juxta Cæremoniale romanum est vestis linea alba ad genua usque defluens, strictásque seu angustas habens manicas, cujus explicationem spiritualem illi afferunt.

Sarrocium, sive *collobium*, vel *tunica linea* est vestis usualis quotidiana, prout defacto communiter deferunt Canonici.

Subtile substantivè à Canonicis Regularibus Windesemensibus sumitur, estque idem ac Rochettum

Superpelliceum idem est cum Rochetto, & distinquitur tantùm per manicas latas & amplas, cùm Rochettum habeat strictas.

Almutia olim caput & humeros tegebat, hodie diminuto caputio humeros solùm, cui *cappa choralis* convenit.

Mantellum, sive *Mantelletum* super vestem talarem portari solitum pertingit tantum usque ad genua: à parte anteriori, sicut & ex utroque latere apertum est, ita ut per scissuras brachia extrahi possint. Nebridius à Mindlheim *Epist. 143.* apud quem plura ejusmodi vocabula explicata reperiuntur.

Rotondellus convenit cum *Elochia*, & habet speciem pallii. Sicut etiam *Lacernus* sive *Lacerna* pallium quoddam est talare, quod sub cappa deferri solet, cum quo coincidit *tabartus.*

De *Byrrho* magna fuit authorum controversia. Defactò *Byrrhetum* tanquam diminutivum solum tegit caput. De quibus singulis prolixiùs hic agere non vacat. Videantur *Baronius to. 2. Annal. A. 261. n. 90.* & sequent. *Joan. Molanus l. 3. de Can. Nebridius à Mindlheim, Gavantus,* & alii citati apud *Rmum August. Erath in tractatu Theologico Canonico de habitu Canon. A. 1685. edito.* 357

Quamvis in diversis locis diverso vestiti modo incedant Canonici Regulares, diversum tamen non constituunt ordinem, quia in habitu substantiali conveniunt omnes, qualis est *Rochettum*, sive *toga linea*, *Camisia Romana*, *Sarrocium. &c.* Cæteræ verò vestes sunt accidentales, & pro cujusvis Religionis, & Congregationis consuetu-

tu-

tudine assumuntur. Sic Romæ Canonici Regulares *S. Maria Pacis* deferunt *Rochettum*, & in functionibus quibusdam parochialibus etiam *Superpelliceum*. Windesemenses incedunt continuò *Rochetto* induti, cui nigrum *Mantellum* sive *Almutiam* de panno nigro superaddunt. In Suevia, Bavaria, Austria deferunt quotidianum habitum Clericalem *Sarrocium*, dum verò frequentant chorum, induunt *Rochettum*. *Mozzeta*, sive *Almutia* olim apud Canonicos nostros Beyrbergæ in usu fuerunt, ut constat ex tabulis & antiquis picturis, Canonicos Beyrbergenses referentibus. Similiter Polligenses Canonici Mozzetas A. 1520. deferebant, uti in præsentem diem referunt Canonici Rottenbuechenses. Vi statutorum Canonici Regulares Congregationis Gallicanæ *p. 1. c. 20. n. 2.* statuerunt, ut *linea veste, quam Rochettum vocant, semper intra & extra domum utantur. &c.* Statuta Lateranensia habitum Canonicorum ita explicant de usu Rochetti. *p. 1. c. 3.* „Quoniam hunc S. Ordinem ab Apostolis principium suum habentem, S. S. Pontifices Romani *lineâ Camisiâ*, vulgò dicta *Rochetto* per sua privilegia decorârunt, per ipsum exteriorem candorem, lineum, nive & lacte candidiorem, munditiem interiorem cupientes exprimere, atque Canonicos nostros instruere, ut ipsi considerato habitu suo *fortis Domini*, in qua vocati sunt, memores Angelicam, non humanam sectentur conversationem. Proinde prædicti Canonici *Domûs Tremesnensis* verba Ecclesiastici, *omni tempore vestimenta tua sint candida*, dicentis audientes *Rochettum, qui est ipsorum proprius, & essentialis habitus*, semper deferant, & nullus Canonicus sive extra, sive intra claustra dimittat, neque ita occultet, quin facilè, cujus sit instituti, valeat agnosci, ne pœnam excommunicationis latæ sententiæ per S. Canones transgressoribus impositam, incurrat.

Dices. Clerici sæculares in functionibus Ecclesiasticis, & Clerici Cameræ Apostolicæ etiam extra suas functiones gerunt vestem lineam, & Monachi etiam dum sacra peragunt: ergo vestis linea non est habitus professionis & proprius Canonicorum Regularium. 358

R. Nego consequentiam. Nam vestis linea est habitus & professionis, & simul Clericalis. Ideo Canonici Regulares, quia sunt Clerici, & quia sunt professi, semper habitum deferunt, tam quando munera Clericalia exercent, quàm quando non exercent. Clerici verò sæculares, quia non sunt professi, habitum lineum deferunt solùm in functionibus Clericalibus. Similiter Monachi, licèt sint professi, tamen ejusmodi habi-

bitum non deferunt, nisi in functionibus Clericalibus, quia non sunt Clerici vi suæ professionis. Quòd autem Clerici Cameræ Apostolicæ etiam extra functiones Ecclesiasticas gerant vestem lineam, est pro nobis; signum enim est, omnes Clericos Romanæ Ecclesiæ ab initio talem habitum gestasse, cujus vestigium adhuc etiam à primo instituto relaxati detinent. Itaque vestis linea principaliter retinetur, & servatur à Canonicis Regularibus tanquam in primo analogato, ac deinde in aliis Clericis sæcularibus, qui propiùs ad primum analogatum accedunt, & demum in Monachis, qui naturam Clericatûs per accidens adjunctam habent, unde fit, ut habitus Clericalis, qui est tunica linea, in Canonico Regulari sit quotidianus, & usualis, non item in aliis.

359 Quæres, an, si Canonici Regulares Almuzias sive Mozetas & togam ab hoc judico violaceam deferant id prohiberi possit à locorum Ordinariis. Item an abstrahendum per non usum amittatur privilegium.

R. Non posse. Ita Pyrrhus Corradus in praxi Beneficiaria *l. 2. c. 14. n. 1. & 26.* expresse. *Postquàm sive Canonicis, sive aliis personis concessum est à Papa, deferre sive cappas, sive caputium, aut aliud signum, sive colorem, non possunt illa ab Episcopo prædictis personis mutari, sine Sedis Apostolica licentiâ prout declaravit sacra Congregatio in una Cameracensi 25. Januarii. Et in alia Placentina, 16. Jan. 1604. Item S. Congregatio in Hydruntina. 1. Sept. 1612. & in una Brudruntina Messapio. 10. Novemb. 1612.* Huic assentitur Barbosa, V. *Caputium fol. 153. vers. ult. in Collectan Bullar.* cum communi DD. vide Pelizarium *Tract. 8. c. 1. n. 85.* ubi hanc quæstionem proponit: „*An „Episcopus dubitans de validitate privi„legii concessi Regularibus, possit eos im„pedire, ne illo interim utantur* R. non „posse. Ita Rodriq. Tom. 1. q. „56. a. 12. cum. Innoc. Joann. „Andr. & Heinrico, patétque, tum „quia nemo esse potest Judex in „propria causa (quod tamen præ„staret Episcopus, si modo supra„dicto agere posset adversùs ex„hibentem suum privilegium) „tum quia si Episcopus posset in „proposito casu agere contra pri„vilegiatum, id faceret judicando, „privilegium esse vitiosum subrep„titium, amissum, aut aliter intel„ligendum esse: quod tamen non „est munus Episcopi; cùm illius „tantum sit interpretari privilegi„um, cujus est illud concedere: ut „proinde asserat Imola apud Rod„riq. Episcopum non posse iudica„re de privilegiis Papæ, & si quod „dubium de iis occurrat, consu„lendum esse ipsum Papam. Addit „Rodriq. Tom. 2. q. 63. a. 7. ex „communi Doctorum, penden„te lite super validitatem privile-

„gii

„gii (num scilicet fuerit concesſum, nec ne) non esse privandum privilegiatum sua possessione, vel quasi possessione: idque quantumvis possessio sit contra „jus. Hactenus Pelizarius l. c.

R. ad 2. negativè. Nam privilegium deferendi habitum accidentalem diversi coloris est privilegium meræ facultatis & favorabile, nullíque præjudiciosum, aut in se onerosum; atqui tale privilegium per simplicem non usum non amittitur. Ita Jurisconsultus *Zacharias Ferrerius in Relat. ad Leonem X. n. 64.* Tamburin. *q.* 3. *n.* 23. aliíque citati apud Rm. Augustinum Erath. *in tract. Theol. can.* §. 7. *n.* 55. rationem dat Abbas *in Cap. de Cler. conjug. in fine*, nam *cùm lex non necessitat ad agendum, sed solùm dat facultatem ad agendum, non tollitur per non usum.* Manet ergo privilegium meræ facultatis in suo vigore, adeo, ut illi, qui non sunt usi, semper ad illud redire possint. *Tamb. q.* 14. *Rodriq. to.* 1. *q.* 18. Nec etiam Prælatus renuntiare tali privilegio dato valeat, *ex Gloſſa recepta in c. ult.* 16. *q.* 6. *Sylvest. in Summa. V. Alienatio. n.* 18. Nam *quod in gratiam alicujus conceditur non est in ejus dispendium retorquendum. Reg.* 61. *Juris in S.* Ratio porro est, quia per privilegium non merè conceditur usus, sed verum jus utendi: ergo per non usum non tollitur absolutè jus utendi. Plura hac de re videri possunt in prolixa relatione celeberrimi J. C. Zachariæ Ferrerii *in l. Indult Lateran.* quæ integrè afferre non libet.

AUGUSTINUS NOMINE ET HABITU CANONICUS SANCTUS.

INcruento Missæ Sacrificio addictissimus, illud semper cum
360 Lachrymis, teste S. Vincentino Ferrerio *serm. de S. Augustino* celebrare fuit solitus. Etiam suos exhortabatur, ut quotidiè Dominico corpore se reficerent, dum possent, ne, si forsitan se ab eo elongarent, etiam Dominus se elongaret ab eis, & recipientes illud crebrò ipsum etiam reciperent Salvatorem. Nos ait *lib. de bono perseverantia cap.* 4. & *serm. de verbis Domini* 28. *quotidie Eucharistiam sumimus. Et si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis instar Græcorum in Oriente? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Commendabat autem præ cæteris ex institutione Christi, Dominicæ Passionis memoriam facere, quo illam recordantes attentiùs in talem, tantúmque benefactorem vehementi raperentur homines affectu, ac pro suis viribus tanto re-

ſponderent amori. Hortabatur præterea ſibi ſubditos, aliosvé, ut tanto Sacramento confeſſionem præmitterent, ſi conſcientia peccati mortalis urſiſſet, utque non ſine diligenti præparatione rem adeò tremendam peragerent; Ipſe verò ſummâ curâ, diligentiâque ſe ad tam Auguſtum Sacramentum præparavit, ipſumque pari reverentia ſumpſit, atque inde eam dulcedinem hauſit, eáſque mentis delitias, quas in operibus ſuis abundè nobis (ut ita loquar) eructat.

361 Deiparam Virginem præcipuo cultu proſequebatur, ut nil ſciri, niſi Mariam, nil ſcribere niſi Deiparam videretur. Cujus ſibi nomen in ore eſt Mel ſuper & nectar, & ſuper ambroſium. In cujus laudem etiam officium cum Antiphonis & Reſponſoriis eum compoſuiſſe nonnulli tradunt. Hanc unicam poſt, Chriſtum, *ſpem peccatorum, præmiorúmque exſpectationem* vocat: *Ingens eſt mihi*, ait, *fiducia & amor in JEſum, quoties ejus crucem, & vulnera intueor, ſed parem amorem adversùs Mariam ſentio, ſi ejus ubera, quæ Dei Filium lactârunt, mecum conſidero: ita inter ubera & vulnera medius, quo me potius vertam ignoro. Adeò me hinc Filii ſanguis, inde Maternum lac. Allicit* verba illius ſic habent.

Hinc paſcor à vulnere,
Hinc lactor ab ubere,
Poſitus in medio
Quo me vertam neſcio.

Certè in tantum fiducia ejus in eandem Virginem Matrem aſſurrexit, ut dicere auſus fuerit, ſe præ pietate Mariæ perire non poſſe, niſi ſponte velit.

In perſolvendo horarum Canonicarum penſo accuratiſſimus fuit, non tam metu illius Prophetæ Jeremiæ *cap. 48. maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Quàm amore, quo in Deum, & orationis ſtudiũ ferebatur. Tanta verò animi præſentia, ac attentione illas preces recitabat, ut in Deum abſorptus eſſe videretur quem licèt ſibi ubique & ſemper, maximè tamen orationis tempore præſentem intuebatur. Nec lachrymæ defuerunt, quas ſub precibus largè ob pietatis teneritudinem fudit, ſemel duntaxat multitudine negotiorum obrutus, Completorii recitationis oblitus fuiſſe traditur. Acccidiſſe porrò, ut Diabolum obvium haberet cum oblongiore ſcheda, quem enim pro imperio, quod eſt viris ſanctis in dæmonia, rogaſſet, quidnam in illis ſcriptum ferret, mox Auguſtinum adegiſſe invitum, ut legendi copiam ſibi faceret, in qua cum obſervaſſet oblivionem ſuam, mox dolore animi concepto, perſolviſſe, quas omiſerat, preces: idque ſuum erratum ex eodem catalogo ſimul evanuiſſe. 362

Ne

363 Ne cuiquam defuisse videretur, undecunque sese rectè facti alicujus occasio dedisset, incomparabili suo in Deum & homines amore id perfecit. Quin etiam veri Pastoris muniis liberaliter functus, suorum civium controversias forenses componebat, aliquando usque ad horam refectionis aliquando jejunus tota die permanendô. Cives, ac Diœcesanos suos tantopere amabat ut D. Pauli instar, optandi anathema esse pro Fratribus, clamârit frequenter, eos interpellans. *Nolo salvus esse sine vobis, nolo salvus esse sine vobis.*

Arduum concionandi munus, ut pluribus prodesset, pluresque Deo lucraretur, ad extremos vitæ annos indefessus exercuit, instructus ad hoc doctrinâ & Eloquentiâ: fuêre autem mirabiles prædicationis illius effectus; non enim ad meliorem duntaxat frugem malèviventes catholicos reduxit: verùm etiam ab hæresi multos, inter hos *Firmum*, ad sanam fidem traduxit. Sub Concionibus sæpiùs ex oculis calidæ cecidêre lachrymæ, quæ Auditoribus suis similes expresſêre amoris, & doloris stillas.

Ægerrimè Diœcesin suam egrediebatur, ne in absentia sua gregem lupi rapaces (hæreticos intelligo) invaderent, hinc eos Pastores, qui nonnunquam justo diutiùs aberant, in aula Carthaginensi graviter incusabat, asserens, Pastorem nunquam debere, nisi forsan ob justi ponderis rationem suis ovibus abesse, propter ea damna, quæ solent Episcoporum absentiam subsequi, & cum amicus quidam obnixius eum rogaret, ut Carthaginem proficisceretur, qua in urbe complures Episcopi moram trahebant, respondit ille non ita se liberum à negotiis, & expeditum esse, ut tempore abundaret, sed neque ita sibi dignitatem Episcopalem obtigisse, ut subditorum curam negligeret: Quin & amplius vereri, quantumvis adhiberet diligentiam, ne supremi judicii die negligentia argueretur.

Temporis parcissimus semper 364
extitit, ita, ut ne vel particulam illius sine fructu eum præteriret. Sciebat quippè Vir Sanctus, hoc totum, quod hìc vivimus, nundinationis esse instar, ideóque unicujus nostrum dictum esse à Domino *Luc. 19. Negotiamini dum venio.* Hinc ut cælestes opes sibi compararet, in aliud nolebat diffluere stillas temporum, quæ carò illi valebant. In die laborans, & de nocte lucubrans teste Possidonio. Atque ideò nullum declinabat laborem in juvandis hominibus, nullam occasionem omittebat procurandi rem Divinam ubique fervidus, ubique consilio & auxilio, quoad posset sublevare unumquemque: nullum à se quemadmodum Romanus ille Imperator tristem rogatorem abire passus:

verbô quovis erat tempore Augustinus. Quod eum optimè collocâsse, præterea indicio sunt libri ab eo summa doctrina sumo studio, ac labore conscripti, quorum plus amplius mille & triginta fuisse enumerat Thomas Gratianus *in Anastasi Augustiniana*, qui tamen vel eo vivente periêrunt, vel injuria temporum interciderunt. Si fides Possidonio Præsuli Affricano testi occulato, plura Augustinus scripsit, quàm quis legerit. Hic eum opinione sua falli judicat, qui omnia, quæ Magnus Doctor noster scripsit, legisse se arbitrabatur. B. Thomæ Villanovano vix diuturna hominis vita sufficit ad libros ejus perlegendos. Accessit his Augustini libris tanta Auctoritas, quod felicitati vel Sapientiæ B. Patris assignari possit, ut nullius scriptis secundùm Evangelii historiam & Tarsensis Paulij Epistolas major hominum consensus accesserit. *Doctoris Augusti* proinde nomen jure promeritus est, inquit. Rmus *Adamus VVeberus* noster in suo *itinere cælesti part. 3. Dissert. 5.* sive incredibile perspicacissimi ingenii acumen (quod totum nemo novit, quia totum nemo æquavit) sive exaggeratæ vim sapientiæ (qua quæstiones intricatissimas, & veritates latebrosissimas elaborare consuevit) sive consummatæ eruditionis eminentiam (quæ in Ecclesia D.i auctoritatem oraculi meretur) sive inusitatam Ecclesiæ mentis capacitatem (qua cæpit, omnia præter eum, qui capit, & non capitur) consideres. Doctor Mellifluus *D. Bernardus* Augustinum nostrum *Ecclesiæ linguam* appellat, nec immeritò, in ejus quippe libris, verba sunt: suprà laudati Rmi Weberi, eloquentia relucet tam fortis, & vehemens, ut induratos peccatorum animos fulminis instar feriat, tam suavis & blandiloqua, ut mærore affectis lenissimum consolationis oleum instillet, tam clara, & perspicua, ut rebus obscuris lucem afferat meridianâ clariorem, tam capax & ampla, ut nulla rerum varietate, copiaque vincatur, tam firma & matura, ut nulli negotio quantumvis arduo sit impar, tam fæcunda, & facunda, ut nulla exarescat sterilitate argumenti, tam gravis & modesta, ut effusæ libertati frænum injiciat, eamque ad severiorem componat disciplinam. Certè de Divina gratia S. Augustinus adeò sublimiter & Divinè scripsit, ut (loquor cum P. Benedicto Fideli ex Ordine Minorum In Panegyrico de S. Augustino num. 10.) cùm in aliis operibus omnes reliquos Doctores sapientia & doctrinâ suâ longè superârit, in hac profectò materia vicisse videatur semetipsum. Imò Ecclesia ipsa post S. Paulum Apostolum nullum habuit scriptorem, qui hanc materiam adeò feliciter, sublimiter, & clarè ac perspicuè

trac-

tractârit, uti fecit S. Augustinus, adeò ut perfidus *Pelagius* illam non ita vehementer persequi, ac infestare potuerit, quin is illam longè generosiùs defenderit.

Omnes, quotquot de gratia scripserunt, Doctores suam ex Augustini libris hauserunt doctrinam. Hinc ipsa Ecclesia eodem P. Fideli referente, non nisi calamo Sancti Augustini scribit, nec aliter, quàm juxta ejus doctrinam, docet, aut loquitur, haud secus, ac si illum in propriam sibi
56 linguam adoptâsset.

Nunquam graviter peccavit post acceptam Baptismi gratiam. Quodsi de peccatis in confessionibus de parvis, & venialibus agit post Baptismum, hoc ita contritus præstat, ut suggestionem levissimam laudis humanæ sentiens dicat Deo, *tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum. lib.* 1. *Confess. c.* 37. Statim à Baptismate corpus suum frequentibus, lòngísque jejuniis castigabat, cilicina veste domabat, aliisve mortificationibus exercebat. Hinc aureum illius dictum: *Moriar, ne moriar.* Itémque: *hoc opus nostrum actiones carnis spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frænare, interimere*, Bellum quippe indixerat singulis sensibus. Et ad oculos quidem quod attinet, *resisto*, inquit, *lib.* 10. *Confess. c.* 34. *seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingredior viam tuam Domine & erigo ad te invisibiles oculos, ut tu evellas de laqueo pedes meos. Pulchras formas, nitidos, & amanos colores amant oculi. Non teneant hæc animam meam, teneat eam Deus, qui hæc fecit; bona quidem valdè, sed ipse est bonum meum, non hæc.*

Quantùm verò ad auditum: *Cùm*, inquit, *accidit, ut ne ampliùs cantus, quam res, quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem. L.* 10. *Cap.* 33.

Quantum ad olfactum: *De illecebra odorum non satago nimis: cùm absunt, non requiro, cùm adsunt non respuo, paratus etiam iis semper carere.*

Quantùm ad linguam: *Quotidiana fornax est humana lingua. Imperas Domine, nobis & in hoc genere continentiam: da, quod jubes, & jube quod vis, tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum cap.* 37. *Adversùs autem suavitatem ciborum pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero in jejuniis, sæpius in servitutem redigens corpus meum. Hoc tu me docuisti, ut, quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed cùm salus sit causa edendi, & bibendi adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque praire conatur, ut ejus causa fuit, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo. His tentationibus quotidie conor resistere, & invoco dexteram tuam ad salutem meam.*

Nec lachrymæ Augustino defuêre; præter enim, quod sub sacrifi-

am, & in ea cor P. Augustini, adeò recens, integrum, vividúmque, ac si modo eductum è pectore esset.

Vidit, & obstupuit, Deóque gratias egit pro tam nobili, sacróque pignore, ad quod visendum etiam alios accivit, primum domesticos, tum populares suos, tum subditos diœcesis totius, ubi convenêre, tam hi, quàm illi. Tunc Episcopus ad publicam gratiarum actionem ab universo Clero acciri jubet illud solenne, lætúmque acroama.

Te Deum laudamus, mirum dictu, visúque! cùm ad eum versiculum deventum est; *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*, Ecce! cor palpitare, exilire, exultaréque in Deum suum, & quasi muta voce eloqui, atque inclamare illud S. S. Triadi, *Sanctus, Sanctus, Sanctus &c.*

Similes motus, ac palpitationes pati dicitur illud ipsum Cor Anniversaria die *S. S. Trinitatis*. Imò quoties in altari deponitur ad easdem voces in præfatione legi solitas *Sanctus, Sanctus, Sanctus*, derepentè palpitat, atque exilit, ac veluti os cordis expandit. Quos motus etiam exercet, quoties vel solum Sanctissimæ Trinitatis Nomen coram eo exprimitur, vel ipse, quem de SS. Trinitate scripsit, liber expanditur. Adhæc eo loci, & temporis, quo Cor illud in Ara publicè venerandum exponitur, si quis hæreticorum, ausu temerario subintret, vel illico emoritur, vel ad sacra templi limina prosternitur.

351 Ut delicata, sinceráque animi gaudia abundantiùs perciperet, in conclave suum, aliúmve domus suæ secretiorem locum secedens, Sacrarum Litterarum arcana, ac maximè, quæ Christi mortem attinent, contemplabatur. Solebat autem dicere. *Tuta requies est infirmis peccatoribus in Vulneribus Salvatoris. Securus illic habito: patent mihi viscera per vulnera Lib. de contemp. cap. 21.* & eodem loco paulo post. *Copiosa redemptio data est in nobis in vulneribus Salvatoris nostri, magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratia, & perfectio virtutum. Cùm me pulsat aliqua turpis cogitatio, recurro ad vulnera Christi. Cùm Diabolus mihi parat insidias, fugio ad viscera misericordia Dei mei, & recedit à me. Si ardor libidinis moveat membra mea, recordatione vulnerum Dei mei extinquitur, in omnibus adversitatibus non invenio tam efficax remedium, quàm vulnera Christi, in illis dormio, & quiesco intrepidus.* Hæc & alia plura ibidem. Similia habet *in Meditationibus cap. 6. & 35.*

AR-

ARTICULUS II.

De nomine, & habitu Canonicorum Regularium.

SUMMARIUM.

354. *Duodecim appellationes Canonicis Regularibus conveniunt.*
355. *Cur de facto communi titulo dicantur Canonici Regulares?*
356. *Explicantur varia nomina habitûs Clericalis.*
357. *Quamvis diversi sint habitus, conveniunt tamen omnes essentialiter in uno speciali.*
358. *Objectio diluitur.*
359. *Canonici Reg. non possunt prohiberi à Locorum Ordinariis, ne portent habitum, vel almutias violacei coloris, nec amittunt ejusmodi privilegia per non usum.*
360. *Augustinus nomine & habitu Canonicus S. S. Missæ Sacrificium devotissime peragit.* 361. *Erga S. Deiparam mirè affectus.*
362. *Horas Canonicas attentissimè peragit.* 363. *Indefessus in Concionando.* 364. *& scribendo libros.*
365. *Sensus suos quomodo mortificaverit?*

354 VAria quidem obvenerunt nomina Canonicis Regularibus, ut breviter n. 338. insinuatam est, sed præcipuè ex doctrina absolutissima tam à S. S. P. P. & D. D. quàm Juris Canonici testimoniis satis fundata Reverendissimus Pennotus l. 2 hist. tripart. c. 1. duodecim deducit.

1. Dicuntur *Clerici* omnibus sæculi facultatibus renuntiantes, solumque Deum in sortem suam vocantes.

2. In Jure Canonico & alibi frequentissime veniunt nomine, *Clerici Regulares.* S. Th. 2. 2. q. 189. a. 8. Pius IV. constit. 95. &c.

3. Appellantur *Clerici Religiosi* ab Alexandro II. c. *Præter* 32. cist. *juxta Ecclesias, quibus ordinati sunt sicut oportet Religiosos Clericos simul manducent. &c.*

4. Vocantur *Clerici Canonici* in Concilio Romano sub *Eugenio II, Leone III. Alexandro, & Innocentio III.* quia à *Canone*, qui latinè est Regula, *Canonicus* derivatur.

5. Absolutè vocantur *Canonici*, ut patet ex Conciliis Turonensi, Arelatensi, Aquisgranensi, & ex Regula Metensi, & varie probatur à Pennotto l. c. n. 6.

6. Dicuntur *Canonici Regulares* usu hodie etiamnum recepto, quo titu-

titulo ostenditur præcipuè continuo ipsos Clericali habitu incedere, ut infra statim dicemus.

7. Appellantur *Canonici Regulares S. Augustini* non quidem quoad Ordinis institutionem, sed reformationem à S. Augustino factam, de quo plura a. 1. hujus capitis.

8. Dicuntur etiam *Monachi Augustiniani*, ut patet ex Metropoli Salisburgensi, sive etiam *Mystæ Augustiniani.* Unde etiam illorum Ecclesiæ Monasteria dicuntur, quia in jure nomine Monachorum comprehenduntur attenta professione communis vitæ & votorum. Hinc nullum privilegium Monachis concessum Canonicis Regularibus censetur denegatum, sed solùm in odiosis non veniunt nomine Monachorum.

9. Vocantur *Monachi Canonici*, sive Monachi Ordinis Canonicorum ex prædicta ratione.

10. Absolutè vocantur *Monachi* sine addito propter vitam passivam, quàm sunt professi, sed hoc nomen sine addito valde impropriè convenit illis, uti ipsimet fatentur A. A.

11. Vocantur *Fratres* non quidem eo modo, quo Monachi & Laici, prout contradistincti à Clericis *Fratres* vocari solent, cùm nomen *Frater* in professo Canonico Regulari Clericum semper secum trahat. Ex Bulla Pii IV. Quia patet ex relatis, quod Canonicos Regulares dignitate Clericali eo statim, quod professionem Regularem emittant, insignitos esse oporteat, & Clericalis dignitas eisdem sit annexa. Sic etiam sæculo duodecimo vocati sunt Canonici *Fratres Regulares*, ut constat ex variis Bullis Pontificiis in Metropoli Salisburgensi, & nos Canonicos Beyrbergenses in Fundationis nostræ Ecclesiæ confirmatione *Regulares Fratres* nuncupavit Calixtus II. Anno 1121.

12. Vocantur etiam *Domini*, sive etiam *Domni* propter dignitatem Clericalem, quæ illis per se competit, & propter eminentiam Ordinis. Quales titulos optimo jure deductos videre est apud Pennottum loco cit.

De geminata nomenclatura 355
Canonicus Regularis, agit Trullus noster integro cap. 7. in hæc fere verba: solent majores. D. Cypriano teste, infantulis recens natis talia nomina imponere, quæ ex præcedentibus Patrum degenerent. Ita in nominibus Patriarcharum Abraham, Isaac, & Jacob &c. magnarum rerum latebant indicia. Sic Gen. 2. ad Adam adducta sunt singula animalia, ut vocaret ea, ut scilicet aliqua esset in titulis & nominibus ratio. Moyses, quia de aqua eductus est, Samuel, quia Matri suæ risum fecit, nomen tale sortitus est. Quare cùm quidam Canonicos Regulares tanquam linguæ græcæ ignaros deridere vellent, quod nomine

ne idem significante & duplicato, non solùm Canonici, sed & Regulares appellari velint, quasi sit inutilis repetitio; Canonicus enim idem significat, quod Regularis, & Regularis idem, quod Canonicus, explicatione indiget duplicata etymologia nominis: pro cujus notitia clariori sequens doctrina ex August. Tic. bene percipienda est.

Scribit ergo præcitatus Author *propug.* 3. in hæc verba, ut videre est etiam apud Trullum l. c. Cùm deficiente fervore charitatis inter Ministros Christi quidam Clerici defecerint à primis imperfectione vitæ, & relicta professione solemni ceperint cum dispensatione privatim vivere, & proprium habere, quorum postea numerus per incrementa temporum fuit amplissimus, præsertim in Ecclesiis Cathedralibus, quæ à regulari observantia deviârunt. Idcirco S. Pontifices in S. Conciliis ordinarunt, ut ad illorum differentiam Clerici illi, qui sub Apostolica professione regularem vitam servarent, non Canonici, seu Clerici simpliciter, sed *Clerici Canonici*, vel *Canonici Regulares* dicerentur, & ita in S. Canonibus is nominandi modus paullatim inolevit ob ipsam Apostolicæ regulæ professionem. Hinc Præpositus in apparatu *c.* 1. *dist.* 43. ponit triplex genus Clericorum. 1. Clerici Sæculares dicuntur proprium habentes, & separatim viventes. 2. *Clerici Collegiati*, 3. *Clerici Regulares*, qui primitivum & Apostolicum vivendi modum retinent, in communi viventes, & tria profitentes Religionis vota essentialia: & hi propriè dicuntur *Clerici Regulares*, seu *Canonici Regulares*. Latet igitur magna vis, & emphasis sub hoc duplicato nomine Canonicus Regularis. Ita apud Hebræos moris erat eodem vocabulo bis utendi; unde hæ repetitiones. Abba Pater, *Jerusalem Jerusalem*: & *Psal.* 144. *generatio & generatio laudabunt opera tua.*

Tali nimirum repetitione major vis animi, & affectus mentis exprimi videtur. Quemadmodum magnates, & primæ auctoritatis viros in literarum subscriptionibus bis *Dominos*, *Dominos* appellare consuevimus: ita Canonicos, seu *bis Regulares*, hoc est *Canonicos Regulares* hujus præcellentis Ordinis Viros nominamus.

Habitus Canonicorum Regularium proprius ac determinatus est Camisia linea, sive toga linea. 356
Ita *Raphael Volaterranus* in *Aug. l.* 21. *de Ord. Can.* disserens ait: *amictus est linea toga vesti unicuique superaddita, quam S. Apostolus Jeros. Præsul ex more Levitico, verorúmque Sacerdotum sibi assumpsit, post eum Marcus Alexandria, posteri verò diversis inter se factis* Con-

Conciliis alii alia simul cum lineis indumenta arripuêre.

Benedictus XII. in sua constitutione pro generali totius ordinis reformatione §. *dignum fore* censens, *ut Canonici Religionis præfatæ non solùm morum & vitæ, sed etiam habitûs & vestimentorum refulgeant, honestate districtiùs inhibuit, ne dicti Canonici extra septa Ecclesiarum proficiscentes portent alias vestes super habitum, quàm cappas, seu mantellos honestos, vel rotondellos, seu clochias talares, vel circa, juxta usum, vel consuetudinem laudabilem Ecclesiarum. &c.* Cùm ergo varia ibi recenseantur nomina, placet breviter ea explicare.

Camisia linea, sive *Romana* nobis defacto est *Rochetum* prout demonstrat Nicolaus Desnos *l. 4. c. 10.* Gavant. *p. 2. tit. 1. lit. z.* & juxta Cæremoniale romanum est vestis linea alba ad genua usque defluens, strictásque seu angustas habens manicas, cujus explicationem spiritualem illi afferunt.

Sarrocium, sive *collobium*, vel *tunica linea* est vestis usualis quotidiana, prout defacto communiter deferunt Canonici.

Subtile substantivè à Canonicis Regularibus Windesemensibus sumitur, estque idem ac Rochettum

Superpelliceum idem est cum Rochetto, & distinquitur tantùm per manicas latas & amplas, cùm Rochettum habeat strictas.

Almutia olim caput & humeros tegebat, hodie diminuto caputio humeros solùm, cui *cappa choralis* convenit.

Mantellum, sive *Mantelletum* super vestem talarem portari solitum pertingit tantum usque ad genua: à parte anteriori, sicut & ex utroque latere apertum est, ita ut per scissuras brachia extrahi possint. Nebridius à Mindlheim *Epist.* 143. apud quem plura ejusmodi vocabula explicata reperiuntur.

Rotondellus convenit cum *Elochia*, & habet speciem pallii. Sicut etiam *Lacernus* sive *Lacerna* pallium quoddam est talare, quod sub cappa deferri solet, cum quo coincidit *tabartus*.

De *Byrrho* magna fuit authorum controversia. Defactò *Byrrhetum* tanquam diminutivum solum tegit caput. De quibus singulis prolixiùs hic agere non vacat. Videantur *Baronius to. 2. Annal. A. 261. n. 90.* & sequent. *Joan. Molanus l. 3. de Can. Nebridius à Mindlheim, Gavantus*, & alii citati apud *Rmum August. Erath in tractatu Theologico Canonico de habitu Canon. A. 1686. edito.* 357

Quamvis in diversis locis diverso vestiti modo incedant Canonici Regulares, diversum tamen non constituunt ordinem, quia in habitu substantiali conveniunt omnes, qualis est *Rochettum*, sive *toga linea*, *Camisia Romana*, *Sarrocium. &c.* Cæteræ verò vestes sunt accidentales, & pro cujusvis Religionis, & Congregationis consuetu-

tudine assumuntur. Sic Romæ Canonici Regulares *S. Maria Pacis* deferunt *Rochettum*, & in functionibus quibusdam parochialibus etiam *Superpelliceum.* Windesemenses incedunt continuò *Rochetto* induti, cui nigrum *Mantellum* sive *Almutiam* de panno nigro superaddunt. In Suevia, Bavaria, Austria deferunt quotidianum habitum Clericalem *Sarrocium*, dum verò frequentant chorum, induunt *Rochettum. Mozzeta*, sive *Almutia* olim apud Canonicos nostros Beyrbergæ in usu fuerunt, ut constat ex tabulis & antiquis picturis, Canonicos Beyrbergenses referentibus. Similiter Polligenses Canonici Mozzetas A. 1520. deferebant, uti in præsentem diem referunt Canonici Rottenbuechenses. Vi statutorum Canonici Regulares Congregationis Gallicanæ *p. 1. c. 20. n. 2.* statuerunt, ut *linea veste, quam Rochettum vocant, semper intra & extra domum utantur. &c.* Statuta Lateranensia habitum Canonicorum ita explicant de usu Rochetti. *p. 1. c. 3.* „Quoniam hunc S. Ordinem ab Apostolis principium suum habentem, S. S. Pontifices Romani *lineâ Camisiâ*, vulgò dicta *Rochetto* „per sua privilegia decorârunt, per „ipsum exteriorem candorem, li„neum, nive & lacte candidio„rem, munditiem interiorem „cupientes exprimere, atque Ca„nonicos nostros instruere, ut ipsi „considerato habitu suo *sortis Do„mini*, in qua vocati sunt, memo„res Angelicam, non humanam „sectentur conversationem. Pro„inde prædicti Canonici *Domûs „Tremesnensis* verba Ecclesiastici, „*omni tempore vestimenta tua sint can„dida*, dicentis audientes *Rochet„tum, qui est ipsorum proprius, & essen„tialis habitus*, semper deferant, & „nullus Canonicus sive extra, sive „intra claustra dimittat, neque ita „occultet, quin facilè, cujus sit in„stituti, valeat agnosci, ne pœnam „excommunicationis latæ senten„tiæ per S. Canones transgressori„bus impositam, incurrat.

Dices. Clerici sæculares in functionibus Ecclesiasticis, & Clerici Cameræ Apostolicæ etiam extra suas functiones gerunt vestem lineam, & Monachi etiam dum sacra peragunt: ergo vestis linea non est habitus professionis & proprius Canonicorum Regularium. 358

R. Nego consequentiam. Nam vestis linea est habitus & professionis, & simul Clericalis. Ideo Canonici Regulares, quia sunt Clerici, & quia sunt professi, semper habitum deferunt, tam quando munera Clericalia exercent, quàm quando non exercent. Clerici verò sæculares, quia non sunt professi, habitum lineum deferunt solùm in functionibus Clericalibus. Similiter Monachi, licèt sint professi, tamen ejusmodi habi-

bitum non deferunt, nisi in functionibus Clericalibus, quia non sunt Clerici vi suæ professionis. Quòd autem Clerici Cameræ Apostolicæ etiam extra functiones Ecclesiasticas gerant vestem lineam, est pro nobis; signum enim est, omnes Clericos Romanæ Ecclesiæ ab initio talem habitum gestasse, cujus vestigium adhuc etiam à primo instituto relaxati detinent. Itaque vestis linea principaliter retinetur, & servatur à Canonicis Regularibus tanquam in primo analogato, ac deinde in aliis Clericis sæcularibus, qui propiùs ad primum analogatum accedunt, & demum in Monachis, qui naturam Clericatûs per accidens adjunctam habent, unde fit, ut habitus Clericalis, qui est tunica linea, in Canonico Regulari sit quotidianus, & usualis, non item in aliis.

359 Quæres, an, si Canonici Regulares Almuzias sive Mozetas & togam ab hoc judico violaceam deferant id prohiberi possit à locorum Ordinariis. Item an abstrahendum per non usum amittatur privilegium.

R. Non posse. Ita Pyrrhus Corradus in praxi Beneficiaria *l. 2. c. 14. n. 1. & 26.* expressè. *Postquàm sive Canonicis, sive aliis personis concessum est à Papa, deferre sive cappas, sive caputium, aut aliud signum, sive colorem, non possunt illa ab Episcopo prædictis personis mutari, sine Sedis Apostolica licentiâ prout declaravit sacrà Congregatio in una Cameracensi 25. Januarii. Et in alia Placentina, 16. Jan. 1604. Item S. Congregatio in Hydruntina. 1. Sept. 1612. & in una Brudruntina Messapio. 10. Novemb. 1612.* Huic assentitur Barbosa, V. *Caputium fol. 153. vers. ult. in Collectan Bullar.* cum communi DD. vide Pelizarium *Tract. 8. c. 1. n. 85.* ubi hanc quæstionem proponit: „*An e, Episcopus dubitans de validitate privi„legii concessi Regularibus, possit eos im„pedire, ne illo interim utantur* R. non „posse. Ita Rodriq. Tom. 1. q. „56. a. 12. cum. Innoc. Joann. „Andr. & Heinrico, patétque, tum „quia nemo esse potest Judex in „propria causa (quod tamen præ„staret Episcopus, si modo supra„dicto agere posset adversùs ex„hibentem suum privilegium) „tum quia si Episcopus posset in „proposito casu agere contra pri„vilegiatum, id faceret judicando, „privilegium esse vitiosum subrep„titium, amissum, aut aliter intel„ligendum esse: quod tamen non „est munus Episcopi; cùm illius „tantum sit interpretari privilegi„um, cujus est illud concedere: ut „proinde asserat Imola apud Rod„riq. Episcopum non posse iudica„re de privilegiis Papæ, & si quod „dubium de iis occurrat, consu„lendum esse ipsum Papam. Addit „Rodriq. Tom. 2. q. 63. a. 7. ex „communi Doctorum, penden„te lite super validitatem privile-

„gii

„gii (num scilicet fuerit concessum, nec ne) non esse privandum privilegiatum sua possessione, vel quasi possessione: idque „quantumvis possessio sit contra „jus. Hactenus Pelizarius l. c.

R. ad 2. negativè. Nam privilegium deferendi habitum accidentalem diversi coloris est privilegium meræ facultatis & favorabile, nullique præjudiciosum, aut in se onerosum; atqui tale privilegium per simplicem non usum non amittitur. Ita Jurisconsultus *Zacharias Ferrerius in Relat. ad Leonem X. n. 64.* Tamburin. *q.* 3. *n.* 23. aliique citati apud Rm. Augustinum Erath. *in tract. Theol. can.* §. 7. *n.* 55. rationem dat Abbas *in Cap. de Cler. conjug. in fine*, nam *cùm lex non necessitat ad agendum, sed solùm dat facultatem ad agendum, non tollitur per non usum.* Manet ergo privilegium meræ facultatis in suo vigore, adeo, ut illi, qui non sunt usi, semper ad illud redire possint. *Tamb. q. 14. Rodriq. to. 1. q. 18.* Nec etiam Prælatus renuntiare tali privilegio dato valeat, *ex Gloffa recepta in c. ult. 16. q. 6. Sylvest. in Summa. V. Alienatio. n. 18.* Nam *quod in gratiam alicujus conceditur non est in ejus dispendium retorquendum. Reg. 61. Juris in S.* Ratio porro est, quia per privilegium non merè conceditur usus, sed verum jus utendi: ergo per non usum non tollitur absolutè jus utendi. Plura hac de re videri possunt in prolixa relatione celeberrimi J. C. Zachariæ Ferrerii *in l. Indult Lateran.* quæ integrè afferre non libet.

AUGUSTINUS NOMINE ET HABITU CANONICUS SANCTUS.

INcruento Missæ Sacrificio addictissimus, illud semper cum
360 Lachrymis, teste S. Vincentino Ferrerio *serm. de S. Augustino* celebrare fuit solitus. Etiam suos exhortabatur, ut quotidiè Dominico corpore se reficerent, dum possent, ne, si forsitan se ab eo elongarent, etiam Dominus se elongaret ab eis, & recipientes illud crebrò ipsum etiam reciperent Salvatorem. Nos ait *lib. de bono perseverantia cap.* 4. & *serm. de verbis Domini 28. quotidie Eucharistiam sumimus. Et si quotidianus est panis, cur post annum illum sumis instar Græcorum in Oriente? Accipe quotidie, quod quotidie tibi prosit. Sic vive, ut quotidie merearis accipere.* Commendabat autem præ cæteris ex institutione Christi, Dominicæ Passionis memoriam facere, quo illam recordantes attentiùs in talem, tantúmque benefactorem vehementi raperentur homines affectu, ac pro suis viribus tanto re-

ſponderent amori. Hortabatur præterea ſibi ſubditos, aliosvé, ut tanto Sacramento confeſſionem præmitterent, ſi conſcientia peccati mortalis urſiſſet, utque non ſine diligenti præparatione rem adeò tremendam peragerent; Ipſe verò ſummâ curâ, diligentiâque ſe ad tam Auguſtum Sacramentum præparavit, ipſumque pari reverentia ſumpſit, atque inde eam dulcedinem hauſit, eáſque mentis delitias, quas in operibus ſuis abundè nobis (ut ita loquar) eructat.

361 Deiparam Virginem præcipuo cultu proſequebatur, ut nil ſciri, niſi Mariam, nil ſcribere niſi Deiparam videretur. Cujus ſibi nomen in ore eſt Mel ſuper & nectar, & ſuper ambroſium. In cujus laudem etiam officium cum Antiphonis & Reſponſoriis eum compoſuiſſe nonnulli tradunt. Hanc unicam poſt, Chriſtum, *ſpem peccatorum, præmiorúmque exſpectationem* vocat: *Ingens eſt mihi*, ait, *fiducia & amor in JEſum, quoties ejus crucem, & vulnera intueor, ſed parem amorem adversùs Mariam ſentio, ſi ejus ubera, quæ Dei Filium lactârunt, mecum conſidero:* ita inter ubera & vulnera medius, quo me potius vertam ignoro. Adeò me hinc Filii ſanguis, inde Maternum lac. Allicit verba illius ſic habent.

Hinc paſcor à vulnere,
Hinc lactor ab ubere,
Poſitus in medio
Quo me vertam neſcio.

Certè in tantum fiducia ejus in eandem Virginem Matrem aſſurrexit, ut dicere auſus fuerit, ſe præ pietate Mariæ perire non poſſe, niſi ſponte velit.

In perſolvendo horarum Canonicarum penſo accuratiſſimus fuit, non tam metu illius Prophetæ Jeremiæ *cap. 48. maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* Quàm amore, quo in Deum, & orationis ſtudiũ ferebatur. Tanta verò animi præſentia, ac attentione illas preces recitabat, ut in Deum abſorptus eſſe videretur quem licèt ſibi ubique & ſemper, maximè tamen orationis tempore præſentem intuebatur. Nec lachrymæ defuerunt, quas ſub precibus largè ob pietatis teneritudinem fudit. ſemel duntaxat multitudine negotiorum obrutus, Completorii recitationis oblitus fuiſſe traditur. Accidiſſe porrò, ut Diabolum obvium haberet cum oblongiore ſcheda, quem enim pro imperio, quod eſt viris ſanctis in dæmonia, rogaſſet, quidnam in illis ſcriptum ferret, mox Auguſtinum adegiſſe invitum, ut legendi copiam ſibi faceret, in qua cum obſervaſſet oblivionem ſuam, mox dolore animi concepto, perſolviſſe, quas omiſerat, preces: idque ſuum erratum ex eodem catalogo ſimul evanuiſſe. 362

Ne

363 Ne cuiquam defuisse videretur, undecunque sese rectè facti alicujus occasio dedisset, incomparabili suo in Deum & homines amore id perfecit. Quin etiam veri Pastoris muniis liberaliter functus, suorum civium controversias forenses componebat, aliquando usque ad horam refectionis aliquando jejunus tota die permanendô. Cives, ac Diœcesanos suos tantopere amabat ut D. Pauli instar, optandi anathema esse pro Fratribus, clamârit frequenter, eos interpellans. *Nolo salvus esse sine vobis, nolo salvus esse sine vobis.*

Arduum concionandi munus, ut pluribus prodesset, pluresque Deo lucraretur, ad extremos vitæ annos indefessus exercuit, instructus ad hoc doctrinâ & Eloquentiâ: fuêre autem mirabiles prædicationis illius effectus; non enim ad meliorem duntaxat frugem malèviventes catholicos reduxit: verùm etiam ab hæresi multos, inter hos *Firmum*, ad sanam fidem traduxit. Sub Concionibus sæpiùs ex oculis calidæ cecidêre lachrymæ, quæ Auditoribus suis similes expressêre amoris, & doloris stillas.

Ægerrimè Diœcesin suam egrediebatur, ne in absentia sua gregem lupi rapaces (hæreticos intelligo) invaderent, hinc eos Pastores, qui nonnunquam justo diutiùs aberant, in aula Carthaginensi graviter incusabat, asserens, Pastorem nunquam debere, nisi forsan ob justi ponderis rationem suis ovibus abesse, propter ea damna, quæ solent Episcoporum absentiam subsequi, & cum amicus quidam obnixius eum rogaret, ut Carthaginem proficisceretur, qua in urbe complures Episcopi moram trahebant, respondit ille non ita se liberum à negotiis, & expeditum esse, ut tempore abundaret, sed neque ita sibi dignitatem Episcopalem obtigisse, ut subditorum curam negligeret: Quin & amplius vereri, quantumvis adhiberet diligentiam, ne supremi judicii die negligentia argueretur.

Temporis parcissimus semper 364
extitit, ita, ut ne vel particulam illius sine fructu eum præteriret. Sciebat quippè Vir Sanctus, hoc totum, quod hìc vivimus, nundinationis esse instar, ideóque unicujus nostrum dictum esse à Domino *Luc. 19. Negotiamini dum venio.* Hinc ut cælestes opes sibi compararet, in aliud nolebat diffluere stillas temporum, quæ carò illi valebant. In die laborans, & de nocte lucubrans teste Possidonio. Atque ideò nullum declinabat laborem in juvandis hominibus, nullam occasionem omittebat procurandi rem Divinam ubique fervidus, ubique consilio & auxilio, quoad posset sublevare unumquemque: nullum à se quemadmodum Romanus ille Imperator tristem rogatorem abire passus:

tractârit, uti fecit S. Augustinus, adeò ut perfidus *Pelagius* illam non ita vehementer persequi, ac infestare potuerit, quin is illam longè generosiùs defenderit.

Omnes, quotquot de gratia scripserunt, Doctores suam ex Augustini libris hauserunt doctrinam. Hinc ipsa Ecclesia eodem P. Fideli referente, non nisi calamo Sancti Augustini scribit, nec aliter, quàm juxta ejus doctrinam, docet, aut loquitur, haud secus, ac si illum in propriam sibi
565 linguam adoptâsset.

Nunquam graviter peccavit post acceptam Baptismi gratiam. Quodsi de peccatis in confessionibus de parvis, & venialibus agit post Baptismum, hoc ita contritus præstat, ut suggestionem levissimam laudis humanæ sentiens dicat Deo, *tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum. lib.* 1. *Confess. c.* 37. Statim à Baptismate corpus suum frequentibus, longísque jejuniis castigabat, cilicina veste domabat, aliisve mortificationibus exercebat. Hinc aureum illius dictum: *Moriar, ne moriar.* Itémque: *hoc opus nostrum actiones carnis spiritu mortificare quotidie, affligere, minuere, frænare, interimere*, Bellum quippe indixerat singulis sensibus. Et ad oculos quidem quod attinet, *resisto*, inquit, *lib.* 10. *Confess. c.* 34. *seductionibus oculorum, ne implicentur pedes mei, quibus ingrediar viam tuam Domine & erigo ad te invisibiles oculos, ut tu evellas de laqueo pedes meos. Pulchras formas, nitidos, & amænos colores amant oculi. Non teneant hæc animam meam, teneat eam Deus, qui hæc fecit; bona quidem valdè, sed ipse est bonum meum, non hæc.*

Quantùm verò ad auditum: *Cùm*, inquit, *accidit, ut ne ampliùs cantus, quam res, quæ canitur, moveat, pœnaliter me peccare confiteor, & tunc mallem non audire cantantem.* L. 10. *Cap.* 33.

Quantum ad olfactum: *De illecebra odorum non satago nimis: cùm absunt, non requiro, cùm adsunt non respuo, paratus etiam iis semper carere.*

Quantùm ad linguam: *Quotidiana fornax est humana lingua. Imperas Domine, nobis & in hoc genere continentiam: da, quod jubes, & jube quod vis, tu nosti de hac re ad te gemitum cordis mei, & flumina oculorum meorum cap.* 37. *Adversùs autem suavitatem ciborum pugno, ne capiar, & quotidianum bellum gero in jejuniis, sæpius in servitutem redigens corpus meum. Hoc tu me docuisti, ut, quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam. Sed cùm salus sit causa edendi, & bibendi adjungit se tanquam pedissequa periculosa jucunditas, & plerumque præire conatur, ut ejus causa fuit, quod salutis causa me facere vel dico, vel volo. His tentationibus quotidie conor resistere, & invoco dexteram tuam ad salutem meam.*

Nec lachrymæ Augustino defuêre; præter enim, quod sub sa-

crifi-

crificando, & preces fundendo, uti supra insinuatum largiter ex oculis ipsius defluxerint, tantus illarum fuit amicus, ut eas panem suum vocare solitus fuerit, quasi ad eum modum, quo corpus pane nutriebat, lachrymis nutrivisset, & saginâsset animam. Unde illius in *medit. cap. 32.* ad Deum suspiria; *Da mihi gratiam lachrymarum benedicte, & amabilis Deus, prapara hanc mensam famulo tuo in conspectu tuo.*

ARTICULUS III.

An S. Augustinus Canonicorum Regularium habitum tulerit, & Canonicus Regularis dici possit?

SUMMARIUM.

366. *Constat quidem de Origine Can. Ord. at controvertitur an S. Augustinus illius sit Reformator.*
367. *Igitur probatur 1. auctoritate.*
368. *2. ratione propter regularem vitam, & gestationem habitûs.*
369. *Atque etiam propter professionem suam.*
370. *Objectiones diluuntur, & quidem ex propriis S. P. verbis.*
371. *Augustinus terrena fastidiens.*
372. *Moribus Angelicus, ciborum parcissimus, detractionis hostis.*
373. *Paupertatis amator.*
374. *In vestitu moderatus.*
375. *In adversis mirè patiens.*
376. *Adeò erga egenos liberalis, ut Christum excipere meruerit.*
377. *Castissimus, & humillimus.*

366 HActenus de origine Clericalis Ordinis Canonici diximus, nunc loquamur de SS. Patriarcha nostro Augustino; & Canonicum Regularem fuisse probemus, qui Ordinem nostrum Apostolicum insigniter restauravit. Et quidem sub hoc S. S. Præsule tantam accepit reformationem Clericalis Ordo, ut in Ecclesia Catholica altas fixerit radices, latè, & longè suos distenderit palmites, támque eximios & copiosos omnimodæ virtutis, probitatis, ac doctrinæ fructus retulerit, ut Lateranensis Congregatio & diffusa per orbem Collegia etiamnum illam accipiant Regulam pro quadam clericaliter vivendi forma. Qua de causa *Canonicorum Instaurator* per *antonomasiam* nuncupari meretur. Ast quia in dubium à quibusdam neote-

neotericis vocata est hæc veritas, brevi probatione non tam indiget, quàm declaratione.

367 Probatur 1. auctoritate. Paschalis II. Pontifex in litteris ad Priorem S. Frigdiani datis ait: *vita Regularis propositum in primitiva Ecclesia cognoscitur ab Apostolis institutum, quam B. Augustinus tam constanter amplexus est, ut eam suis regulis informaret.* Rupertus Holcot *in lib. Sap. c. 7.* ait, omnes isti tam verbo quàm scripto docuerunt, quòd etiam Religiosi fuerunt *Hieronymus Monachus, Augustinus Canonicus*: Bellarm. *de scriptoribus Ecclesi.* in Augustino ait: *at constat ex Possidio in vita S. Augustini, Augustinum post baptismum Mediolani susceptum rediisse in patriam ad propriam domum & agros, ibique tres annos cum paucis amicis suis in commune vixisse. Deinde factum Presbyterum Hipponensem Monasterium habuisse intra istam Ecclesiam, ibique cum nonnullis vitam Apostolicam duxisse &c.* In ejus (S. Augustini) officio approbato à Pio V. per Bullam *Licet Ecclesia Dei.* Anno 1570. ubi S. Thomas ita legendum ordinavit: *factus ergo Presbyter Monasterium Clericorum mox instituit, & cœpit vivere secundùm regulam sub S. Apostolis institutam*: ergo ex mente horum S. Augustinus fuit Religiosus Canonicus hoc est, Regularis.

368 Probatur 2. ratione. Quicunque gerit vitam, & habitum Canonicorum Regularium: ille dicendus est Canonicus Regularis: atqui S. Augustinus gessit vitam, & habitum Canonicorum Regularium, ergo dicendus est Canonicus Regularis. Major patet, minor probatur ex S. Augustino. *Cognito*, inquit, *instituto, & voluntate mea beata memoria Senex Valerius dedit mihi hortum, in quo nunc est Monasterium: cœpi boni propositi fratres colligere compares meos, & imitantes me.* Hæc verba indicant, B. Augustinum eandem vitam cum cæteris in suo Monasterio degentibus tenuisse. (Nota to *Monasterium*; nulla enim domus vocatur Monasterium, nisi Religiosorum) & hoc confirmat Possidius, dum ait: *& cum Dei servis vivere cœpit secundùm modum & regulam sub SS. Apostolis constitutam.* Quòd autem fratres ipsius fuerint Clerici, ipse in sermone de communi vita Clericorum testatur dicens: *ecce quomodo vivimus, nulli in Societate nostra licet aliquid habere proprium &c.* Hæc rursus verba Possidii confirmant: *& cœpit vivere secundùm regulam sub SS. Apostolis constitutam.* Vivere autem secundùm modum & regulam SS. Apostolorum, est ex voto vivere; nam *Magister* in historiis & *Lyra* dicunt cum aliis DD. Apostolos regulam suam, qua omnia erant communia, ex voto servâsse. Ex his breviter infero: Vita Canonicorum Regularium est secundùm regulam & modum Apostolicum; atqui etiam vita S. Augustini fuit secundùm Regulam & modum Apostolicum:

stolicum: ergo fuit vita Canonicorum Regularium, & consequenter fuit Canonicus Regularis. Quòd autem professione fuerit Canonicus, probatur ex eodem S. Augustino de serm. de vita communi, ubi refert, Januarium Presbyterum in sua Societate Testamentum fecisse & tamen non licuit ei dicere, quod suum erat: ecce S. P. N. ait: *non licuit ipsi.* Quare, *utique propter votum, propter professionem.* Ais, quòd Clerici S. Augustini non haberent proprium, habuisse tamen ex constitutione Episcopi consulentis communem vivendi modum, non autem habuisse ex voto.

Sed contra efficaciter probatur, quòd ex voto licuerit habere proprium; dicit enim l. c.: *audite, sic & Clericus duas res professus est, & Sanctitatem & Clericatum &c.* ergo *professus est Sanctitatem, professus est communiter vivendi Societatem: & professus est. Quam bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum.* Hæc ille. Per professionem autem intelligi votorum emissionem, patet ex iis, quæ immediatè ante dixit: *ego scio, ait, quantum malum sit profiteri Sanctum aliquid, nec implere: vovete, inquit, & reddite Domino Deo vestro: Et: melius est non vovere, quàm vovere, & non reddere.* Et alibi clarius hoc exprimit, dum deplorat lapsum Januarii: *qui Societatem,* inquit, *communis vitæ jam susceptam, quæ laudatur in actibus Apostolorum, deserit, à voto suo cadit, à professione sua cadit.* Ecce clarissimè habes communem vitam S. Augustini & professionem.

Fuit ergo Augustinus Canonicus Regularis quoad professionem. Uti superiùs ex toto contextu patet.

Quod autem gesserit habitum 369
Canonicorum Regularium, probatur ex præcedentibus. Qui profitetur statum aliquem maximè religiosum, ille gerit habitum: atqui S. Augustinus ex dictis professus est statum Religiosorum, hoc est, Canonicorum Regularium: ergo & habitum gessit.

Ulteriùs: Habitus Canonicorum Regularium est *tunica linea*: hanc autem gessit Augustinus: ergo gessit habitum Canonicorum Regularium. M. supra probata est *ex Glossa 1. de Electione in Clement. 1. V. Habitus.* Et hic illam confirmo: Benedictus XII. in *reform. gener.* Can. Reg. habitum essentialem *tunicam lineam* vocat. S. Chrysost. *in Matth. hom. 83.* Clericos alloquitur: *hæc est dignitas vestra, hæc stabilitas, hæc corona, qua tunicam indui candidissimam per Ecclesiam ambulatis.* Liber historiæ S. Silvestri habet, quod B. Euphrosinus Episcopus Pamphiliæ Romam venit veste candida & linea indutus, quæ dicitur fuisse B. Jacobi Apostoli. Vestis S. Pontificis est vestis linea cum tunica alba, sive Rocheto, &

Byrro,

Byrro, qui habitus adeo proprius est ipsi, ut etiam Monachi, si fiant Pontifices, vestem lineam accipiant: ex quibus deducitur usum lineæ vestis Clericorum fuisse ab Apostolis designatum; nam juxta S. Augustinum, *quod universa tenet Ecclesia, & non à Conciliis institutum, sed semper retentum est, auctoritate Apostolica traditum rectissimè creditur.*

Minor probatur verbis S. Patris, qui in serm. de comm. vit. de se ait. *nemo det byrrhum, vel lineam tunicam seu aliquid, de communi accipiam mihi ipsi, cùm sciam commune me habere velle, quidquid habeo.* Quomodo autem ei daretur vestis, Canonicorum Regularium, nisi ipse Canonicus esset? audiamus illum ulterius: *Talem*, ait, *debeo habere vestem, qualem possum, si non habuerit, fratri meo dare, qualem potest habere presbyter, qualem potest habere Diaconus & Subdiaconus.* Dubium igitur non est Presbyteros Diaconos seu Subdiaconos in domo Episcopi fuisse Canonicos Regulares, & ideo habitum non alium quàm Can. Reg. gessisse.

Nam si vestis alia fuisset, non ipsam Clericis gestare licuisset. Ita probat minorem Petrus Heligerius Canonicus Regularis in armariolo veritatis. Veritate 12. Pennotus noster cap. 24. l. 1. probat minorem ex *Epistola* S. Augustini 248. *ad Sapidam Virginem Sanctimonialem*, ubi ait, *se tunicam ab illa dono accepisse, & induisse, quam ipsa Germano Diacono Ecclesia Carthaginensis fecisset*: Ergo S. Augustinus usus est vestibus communibus aliis Clericis &c.

Objiciunt aliqui. S. Augustinum seipsum Monachum vocat, & 370
Monachos tuetur contra insultantes hæreticos. Item habitum cum nigro cucullo gestasse referunt alii. Sed satis demonstratum est eum Clericali habitu incessisse. An verò post susceptum baptismum Eremiticum habitum induerit, & in solitudinem secesserit propter venerationem, quam erga S. Ordinem Eremitarum S. Augustini gero, problema sit. Nam plures extra Canonicum Ordinem id negant, inter quos M. Rupertus Holcot super illud *Sap. 7. lect. 95. Quam didici sine fictione* his verbis utitur: „Hieronymus Monachus, Augustinus Canonicus. „Canonici vero in Canone vocantur Clerici, apud Augustinum 12. q. 1. capit. Nolo. Unde „fecit Regulam de communi vita „Clericorum, quæ vocatur Augustini Regula, quam multi Religiosi postea assumpserunt, inter „quos Fratres Prædicatores, & „longè post Eremitæ Augustini.

Nos ex hucusque traditis post susceptos Clericales Ordines ambigere ampliùs non sinit *Clericalis vita, susceptio Clericalis habitûs*, & *Regularis professio* de Clericali professione, gestatione habitûs Clericalis, postea Episcopalis, & ob-

servantia Regularis vitæ Sanctissimi Augustini.

Ipsius verba de sua Regulari professione adduco. *Serm. de Vita Cler. Propter quod*, dicit, *etiam ego legere volo. Multitudinis autem credentium erat anima una, & cor unum, nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Et quæ sequuntur. . . Cúmque Episcopus legisset, dixit: Audistis, quæ jam velimus: orate, ut possimus. Contigit autem quædam necessitas, ut hæc diligentius agerem, quoniam, sicut nostis, jam Presbyter in nostra Societate constitutus, quali Societati perhibet testimonium lectio, quam modò, cùm recitaremus, audistis, moriens testamentum fecit, quia habuit unde faceret. Erat quod diceret suum, cùm in ea societate viveret, ubi nemini licebat suum aliquid dicere, sed essent, illis omnia communia.* Hæc ibi. Audistis ergo, *societas nostra*; audistis, *non licuit ei, habere, quod suum diceret.* Quod dicit Augustinus, *nostra*, professionem includit; alioquin non *nostra*, sed in *vestra* illa diceret societate. Dum dicit, *non licuit*; votum & professionem ostendit.

S. Augustinus terrena fastidiens.

371 Rerum terrenarum contrectationem ut nimis vilem, animóque rationali Divinis rebus destinato indignam aversabatur. Unde & bonorum Ecclesiæ & sui Episcopatûs administrationem detrectabat, certis Præpositis domûs eam delegans: à quibus cuncta accepta, & erogata notabantur, & annuè ratio exigebatur, ut quo in statu res essent domesticæ, sciretur, magis in his eorum fidelitati quàm propriæ innitens scientiæ, quam nullus ambibat. Vix enim aliquando ad ista temporalia se demittere poterat, animô utpote semper Divina volvens: quorum contemplationi tanta inhærebat aviditate, ut triduum interdum sine cibo, potúque in ea transegerit. Creaturas omnes ipse negligebat, & negligendas esse proclamabat ei, qui Dei Filius & hæres esse desiderat.

In ejus vultu totóque corporis 372
habitu perinsignis quidam decor, ac morum gravitas cum amore conjuncta relucebat, ut non hominem sed Angelum, veræque perfectionis absolutum exemplar videre putares. Hanc ut sui æmularentur Canonici in regulis per hæc verba mandat c. 4. *Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus. Quando proceditis simul ambulate, & cùm veneritis, quo itis, simul state. In incessu statu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum, sed quod vestram deceat Sanctitatem.*

Mensa usus est Episcopus tenui, ac frugali, quæ non opiparis ferculis vel argentea supellectile renidebat, sed vasis ligneis (præter conchlearia argentea) erat instructa, non quidem ob inopiam, cujus annui redditus censerentur quadraginta Scutatorum millia) sed voluntatem paupertatis studiosam. Vescebatur autem ut semper oleribus, aut leguminibus, interdum autem hospitibus adventantibus pauxillum carnis adhibebat, nihil in cibo, potu, balneis, cæterisque id genus corporis servitiis exquirebat præter ipsam necessitatem, voluptati nihil indulgendum ratus. Quare de nonnullâ, quam interdum admiserat, delectatiuncula semetipsum accusans *Lib. 10. confess. cap. 31. Docuisti me* inquit, *ut quemadmodum alimenta, quæ parcissimè cum aversione sumimus, sic alimenta sumpturus accedam.*

Mensam suam irradiabat non ineptis salibus, non curiosa vel etiam noxia ut fit, rerum quæ exteris in Regionibus fiunt, narratione: verùm tanquam is, qui in lege Domini meditabatur sacra lectione, pio colloquio, vel disputatione de rebus Sacris condiebat inanibus Sermonibus, ac præsertim detractionis vitio penitus excluso. Cui ne locus ullus esset prope mensam Dystichon hoc inscribi tabellæ jusserat.

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam vetitam noverit esse sibi.

Cùm verò convivæ aliquando in hoc impingerent, alienam famam, sermocinando denigrantes, ita graviter arripuit succensus iis ob injuriam, quæ absentibus inferebatur, ut diceret, esse delendos illis versiculos, aut se de media refectione ad cubiculum secessurum, quod ipsum Possidius se cum Sodalibus non semel inaudisse testatur.

Episcopatus Hipponensis licèt, 373
uti dictum, insigniter esset opimus, nihil in sumptus Aulicos, nihil in pompam inanem, nihil in amicos derivari unquam est passus, sed quidquid suæ sustentationi superfuit in pios usus erogando, Virgines egentes Matrimonio locando, captivos redimendo, Monasteria ædificando, templa collapsa restituendo, ac pauperibus subveniendo effudit, in quos erat ita beneficus, ut, cùm pecunia non suppeteret, etiam calices, & Ecclesiæ vasa conflari juberet, atque eisdem erogari. Cæterùm afflictos, pupillos, & viduas juxta Apostoli monitum visitabat, ægros consolabatur, eisque manus imponens, pro eorum salute rogabat omni ratione opitulari miseris contendens.

Licèt census, aut arva studiosè

non ambiret, libens tamen oblatos agros vel donatione donatos redditus, atque id genus eleemosynas in pauperum levamen & templorum, ac monasteriorum ædificationem accipiebat, quod sciret, eas non minus Deo gratas, quàm Largitoribus utiles. Exemplo sit *Leporius* quidam generis nobilitate conspicuus ac re ampla præditus: hunc in Monasterio unà cum cæteris Clericis Canonicis Deo servire cupientem non priùs admisit, quàm amore Christi bona omnia in Xenodochii, Monasterii, aut Basilicæ structuram erogâsset.

In victu & vestitu (ut & in aliis
374 omnibus) sectatus est auream mediocritatem non nimis nitida vel abjecta consectando, ideòque nunquam ut refert Possidonius, clavem vel annulum gessit, magis compositione morum, quàm vestium ornatu placere contentus. Vestem autem sericam, byssinam, aut vulgò pretiosam induere prorsus erubuit, & si quæ similis offeretur, mox vendebat, pretio duntaxat in commune redacto. Non enim inquiebat, decet hæc membra, hanc professionem: adeò ut Ecclesia merito vocet illum amatorem paupertatis. Eandem virtutem observavit in ædibus, suppellectili, & Episcopalibus ornamentis, constat quoque, pedum ejus pastorale, neutiquam ex argento, vel auro sed his longè inferiore materia: similiter & mytra, quam Valentiæ Reverendi Patres Eremitæ Augustiniani asservant, ex linteo duntaxat albo fuit.

Adversorum patientissimus ca- 375
lamitates non, ut vulgò æstimantur timuit tanquam mala, sed ut magnarum virtutum semina fortiter pertulit, quin imò ad tantum perfectionis culmen fuit profectus, ut eas virtutis causa desideraret, ac Beneficii loco diceret. *Beneficia*, inquit, *Lib. 50. hom. 46. hæc sunt Divina non verbera, nec ut noceant divinitùs irrogantur, quæ ad hoc veniunt, ut hominibus paterna clementia consulatur.* Unde ad Convitia, injuriásque non excanduit, sed Christiana fortitudine vim iræ temperans, ex iis etiam utilitatem hausit. Itaque contra violentas iræ, atque vindictæ motiones animosè contendens, æquo animo; & sereno injurias ab adversariis illatas ferebat. Et quamvis injustissimas quasdam calumnias à se removere conaretur non tam suimetipsius causâ, quàm aliorum, qui offensionem inde forsan perciperent. Attamen cùm frustrà niti videbat, famæ mendacia ridens, ajebat *Lib. contra secund. cap. 1. Loquere & senti de Augustino, quidquid libet, sola me in oculis Dei conscientia non accuset.* Manichæi licèt Augustino necem aliquoties essent moliti, tantum abest, ut ab hoc commotus ab rogando destiterit

terit pro eis, qui vincti in carcere detinebantur, ut etiam cumulatiori lenitudinis mensura gratiam pro malefactis rependeret, nam & pro iisdem ad *Proconsulem Donatum*, litteras dedit, quibus, ne pœna gladii in eos animadverteret ipsum rogavit.

376 Inter Reliqua pietatis suæ exercitia etiam hospitalitatem quoad potuit, benevolentissimè semper exhibuit, adeò ut etiam domicilio ac cubiculo hospites exciperet, memor in eis se Christo ipsi ministrare. Unde referunt P. Prosper & Joannes Mauburnus noster *in Roseto to.* 20. *alpha* 47. contigisse Augustino, quod paucis mortalium evenisse legimus. Cùm enim die quadam in meditatione rerum Divinarum exardesceret fores cubiculi, in quo tum erat, pulsavit hospes quidam longo, ut videbatur, itinere pænè confectus: quem Augustinus pro suo in Deum proximúmque amore, misericorditer amplexatus sedere jussit, pedésque ejus magna cum animi demissione lavit, & pro amore suo fuit deosculatus. Qua humanitate exhibita, peregrinus se detexit, & velut gratias reddens ei dixit. *Magne Pater Augustine, Filium Dei in carne hodie videre meruisti, tibi commendo Ecclesiam meam.* Quo dicto statim disparuit, & D. Augustinus non mediocriter attonitus, pro tanta familiaritate, támque manifestò receptis ab eo beneficiis copiosè gratias egit.

Castimoniæ totus deditus, om- 377 nes libidinis illecebras, earúmque minutissimas occasiones, tanto diligentiùs devitavit, quanto incautiùs in eam olim impegerat, adeò quidem ut fæminarum intra domum suam nullam conversari fuerit passus, ne quidem germanam sororem, quæ vidua Deo serviens multo tempore usque in diem obitus sui Præposita ancillarum Dei vixit: sed nec Patrui sui Filias, quæ pariter Deo serviebant, quas tamen personas Concilia in exceptis posuerunt. Nunquam quoque ad fæminas rogatus sine testibus Clericis intrabat, vel solus cum solis unquam est locutus, etsi Secretorum aliquid interesset, asserens, *nunquam fæminas cum Servis Dei etiam castissimis, quanquam prætextu amoris Spiritualis multùm conversari debere.* Evitabat proinde omnem fœminarum congressum, quantùm poterat, existimans haud esse tutum intra urbis portas hostem admittere, sed & omnem occasionem lædendi proximum, & castitatis minimas labeculas, quàm longissimè Ecclesiasticum fugere debere.

Præ cæteris ejus virtutibus singularis animi demissio primas ferre videtur. Patuit hæc præsertim ex libera peccatorum confessione libris tredecim comprehensa,

sa, inaudito prorsus exemplo. Patuit ex sui ipsius accusatione, quod inter vescendum fortè bolum aliquem dederit voluptati: inde quod aliquando in Ecclesia concentu vocum magis, quàm sensu fuerit oblectatus, quòd casu leporem plagis implicatum, & muscam araneæ telis inhærentem curiosiùs contemplatus fuerit, quòd sole ad meridiem clarissimè resplendente delectationi, quæ ex intuitu lucis est, plus indulserit. &c. Nomen suum videns scriptum in priori loco, quam aliorum, qui priores essent Episcopi, doluit, & Victorinum scribentem reprehendit. *Novi* inquit, *Epistola 217. quam post multos Episcopus factus sim.* Doctrina, ac scientia instructissimus cùm esset, neutiquam tamen iis inflabatur, atque omnem inanem gloriam laudémque propriam devitabat: imò illâ affectus, tristitiam capiebat, reprehensionibus verò lætabatur, asserens *humilitatem penè totam disciplinam Christianam esse.*

Rogatus, qua ratione peccatum Protoplasti nostri Adæ in alios propagaretur, respondit, *hoc se, uti multa alia, ignorare.* Eodem humilitatis ductu non tam præfuit, quàm subfuit primò sui instituti Clericis, dein civibus Hipponensibus, & non solùm *re* se gessit, ac si fuisset de sibi subjectorum numero unus, sed *animo*, ac *sensu* seipsum depressit, aliisque se non tam imperare, quàm servire ex amore reputans, *hi*, inquiebat *lib. 10. confess. c. 4. Sunt Servi tui, Fratres mei, quos filios tuos esse voluisti Dominos meos, quibus jussisti, ut Serviam, si volo tecum de te vivere.*

ARTICULUS IV.

An Regula moderna S. Augustini sit Clericis Canonicis, vel Monialibus præscripta?

SUMMARIUM.

378. *S. Augustinum non præscripsisse Regulam Monialibus ostenditur auctoritate.*
379. *Et ulterioribus rationibus.*
380. *Nec non ex variis textibus Regulæ, non convenienter Sanctimonialibus aptandis.*
381. *Ratio aliqua, cur dicatur Reg. S. August. Monialibus præscripta.*
382. *S. Augustinus Ecclesiæ Propugnator acerrimus.*
383. *Beatus illius obitus visionibus non caret.*

Pu-

378 PUtant quidam etiam magni viri S. Patrem solummodo fœminis regulam scripsisse. Alii tamen contendunt etiam viris, quibus eam vixit. Utrumque à suis patronis defenditur. Ego modo subscribo Sententiæ affirmativæ, quòd viris scripserit. Et probatur 1. Ex ejus Officio approbato à S. *Pio V.* ubi legimus: *Tu de vita Clericorum sanctam scribis Regulam, quam qui amant, & sequuntur, viam tenent regiam.* 2. *Paschalis II.* Pontifex in literis Priori S. Frigdiani datis ita scribit: *vitæ regularis propositum in primitiva Ecclesia cognoscitur ab Apostolis institutum, quam B. Augustinus tam gratanter amplexus est, ut eam suis Regulis informaret.* 3. *Innocentius II.* in *Concil. Romano c. 9.* ait: *prava autem consuetudo, & detestabilis inolevit, quod & Monachi, & Regulares Canonici post susceptum habitum, & professionem spretâ B. Magistrorum Benedicti, & Augustini Regulâ, leges temporales, & medicinam gratiâ lucri temporalis addiscant.* Ecce vocat Magistros & Legislatores! 4. *S. Antoninus* in 2. *p. Summæ histor. tit.* 10. §. 3. *c.* 8. de S. August. scribit: *ab eo dicitur Ordo Canonicorum Regularium habuisse reformationis initium, quibus & Regulam scripsit.* Nec obest, quod alibi contrarium dicat, quia refert Sententiam cujusdam Eremitæ. 5. *Lucidus Historicus l.* 10. *c.* 17. *rubrica de Ordine Religiosorum* testatur, *communem Clericorum Ordinem à B. Petro, & aliis Apostolis fuisse institutum, qui deinde à B. Augustino insignem, & singularem Regulam accepit.*

Probatur ulterius Plerique ex P. P. Dominicanis agnoscunt Regulam Canonicis traditam. Holcot, Hugo Victor. Navarrus, Richardus Cennomanus in Antidoto ad censuram Erasmi per facultatem Parisiensem probata ait: *denique cùm tot retro sæculis tam multi DD. & præclari Viri hanc crediderint Regulam Augustini traditam Viris, quin & commentariis illustraverint simul, & Sedes Apostolica approbaverit, nescio si tot Ecclesiæ Proceribus neglectis quispiam inveniatur usque adeo insani cordis, ut uni Erasmo Monachorum nomen tam graviter insectanti adhæreat.* 379

Confirmatur. *Possidius c.* 25. ait: *indisciplinationes, & transgressiones arguebat* S. scilicet Legislator. Et *c.* 5. *cœpit vivere secundùm Regulam sub SS. Apostolis constitutam*: quid autem est aliud ipsa Augustini Regula nisi Apostolica, quæ antè sine scriptura servabatur, postea in scriptis redacta? Dein non est credibile, S. Augustinum illis, cum quibus 40. annis vixit, quos Ecclesiæ regimini adhibuit, & veluti Apostolos ad reformandos alios diversis Africæ Cathedralibus Collegiis transmisit, non scripsisse Regulam. Nomine autem Regulæ tantùm unicam quæ est sermo tertius de communi vita Clericorum, qui incipit:

incipit: *Hæc sunt, quæ ut observetis. &c.*, aliæ duæ Regulæ sunt fictitiæ, ùt videre est apud Censores *Lovanienses, & Bellar. ad to. 1. operum S. Augustini.*

380 Probatur denique ex variis textibus Regulæ, qui non possunt optari fœminis: ergo non fœminis præscripta fuit Augustini Regula. Imprimis non possunt optari illa verba *c. 1. v. 3. & distribuatur unicuique &c. sic enim legitis in actibus Apostolorum.* Si autem S. Pater dixisset à *Præposita vestra*, non citâsset acta Apostolorum, supposuisset enim citatione ista lectionem S. Scripturæ Sanctimonialibus in consuetudine fuisse, quæ tamen non erat, quia jam tunc cautum fuit, ne lectio S. Scripturæ fœminis concederetur propter imbecillitatem ingenii. Et quid cum Regula Viris præscripta magìs concordat, quàm illa verba ipsissima S. Patris. *Ser. communi. Ego sedens loquor, vos stando laboratis: nôstis omnes, aut penè omnes, sic nos vivere in ea domo, quæ dicitur domus Episcopi, ut quantum possumus, imitemur eos Sanctos, de quibus loquitur liber actuum Apostolorum: nemo dicebat aliquid proprium, sed erant illis omnia communia &c.* Sermo iste ita concordat cum Regula, ut ipsissima dicatur Regula: hic autem Sanctimonialibus non est conscriptus: ergo nec Regula censeatur illis præscripta.

Textus c. 2. v. 3. *Psalmis & hymnis cùm oratis Deum, hoc versetur in corde, quod profertur in voce.* Non potest optari ad Sanctimoniales, utpote latinæ linguæ potissimùm ignaras, & mysteriorum in hymnis & psalmis contentorum cordiali consideratione ruminandorum propterea incapaces, prout tamen S. Pater in Psalmodia præscribit. Concordat textus citatus Regulæ cum illo in enarratione *Psal. 30. Si orat psalmus, orate; si gratulatur, gaudete; & si timet, timete. Omnia enim, quæ hic* (in Psalmo isto) *scripta sunt, speculum nostrum sunt.* Igitur vult S. Pater non tantùm attentionem *superficialem*, quæ est tantùm ad verba rectè proferenda, ut chorus concinnè peragatur, quæ in moniali sufficit ad implendam obligationem recitandi divini Officii, sed & *literalem*, atque *spiritalem*, de quibus egimus *cap. præcedenti.* Ponamus enim, recitet Monialis *Deus in nomine tuo salvum me fac &c.* si non intelligit verba, quomodo potest considerare *in corde, quod profert in voce*? quomodo potest humilitatem in corde concipere, si non percipit versum, *bonum mihi, quia humiliasti me?*

Textus c. 3. *Cùm acceditis ad mensam &c., quod vobis secundùm consuetudinem legitur &c.* non intelligitur ad Moniales. Vel enim S. P. præscripsisset lectionem mensæ monialibus jam priùs ab aliis institutis, vel à se institutis? Non illis, quia nominari nequeunt, cujus instituti

stituti fuerint, non his (si tamen moniales instituit) quia non diceret: *quod vobis secundùm consuetudinem legitur*, Ergo priùs erat consuetudo legendi super mensam, antequam fuisset à S. Patre illis præscripta, cùm supponat lectionem consuetam, & usitatam, & solùm præcipiat attentionem; sed apud istas non poterat esse consuetudo legendi, quia fuisset, antequam essent ab ipso institutæ: ergo hæc verba præscribentia attentionem ad consuetam mensæ lectionem, non fuerunt directa ad Sanctimoniales.

Textus c. 4. v. 2. *Quando proceditis, simul ambulate, cùm veneritis, quo itis. simul state*, si esset à S. Patre ad fæminas in claustris degentes dictus, verba hæc S. Patris non essent in sensu literali, sed metaphorico intelligenda. Nam hic præscribitur modus exeundi, ambulandi, & redeundi, quod rarò, aut nunquum Monialibus permittitur &c. Similiter non convenit fæminis textus c. 6. *Quando ergo simul estis in Ecclesia &c. invicem vestram pudicitiam custodite.* Sed quid Monialibus simul in Ecclesia? an populi Monialibus in Choro imixti essent? dein si *quis vindictam recusaverit, etsi ipse non abscesserit, de vestra Societate projiciatur*; quomodo hoc convenit Monialibus, quarum ejectio est inaudita, periculosissima, & scandalosa? Et ita per totam Regulam progredienti non nisi in sensu allegorico vel torto fæminis convenire posse Regulam Augustiniam patebit. Videatur *appendix ad Scientiam hominis Religiosi* Reverendissimi, & Illustrissimi Adami Sigefridi Cathedralis Ecclesiæ Lavantinæ Canonicorum Regularium Præpositi, & per Diœcesin Archi-Diaconi Nati, ubi clarissimè differit, & ad objecta quorundam recentiorum solide respondet.

Sunt quidem hoc ævo nostro, 381
quibus figmentum hoc *Erasmi Roterodami* etiamnum placet, dicúntque nihil contineri in Regula Augustiniana, quæ aliquam dispositionem Clericalis Officii præseferat, quin Regulam D. Benedicti plura comprehendere de Clericalibus Officiis, quàm illam S. Augustini. Ast hi non advertunt, quòd Regula Augustiniana ideo dispositionem circa Clericalia Officia, *quomodo & quando Clerici ad Ordines sint promovendi, conciones instituendæ, Sacramenta administranda, & animarum cura gerenda &c.* Complecti non debeat, cùm præsupponat essentialem Clericatum in Canonicis, eam observantibus, proin opus non erat quidquam statuendi de Clericalibus Officiis, sed tantùm Clericorum mores bene informandi normam præscribere.

Cæterùm, quòd Regula S. Augustini fuerit fæminis præscripta, errorem, & opinionem hanc ex eo profluisse censeo, quòd legeretur,

S. Cæsarium suæ Sorori *Cæsariæ* præscripsisse vivendi Regulam, in qua inseruntur ipsissima Augustinianæ Regulæ verba paucis tantùm mutatis, uti videre est in vita S. Cæsariæ apud *Bollandum to. 1. Januarii.* Hinc credebant aliqui eandem S. Augustini fuisse fœminis scriptam, cùm tamen in senectute primùm Sanctissimus Hipponensis Pontifex suis pro speculo Clericali, & monumento perpetuo reliquerit eam.

S. Augustinus Ecclesiæ Propugnator.

382 FIdem Catholicam contra *Pelagium*, *Arium*, *Manetem*, ac *Donatum* cæterosque ejusmodi farinæ hæresiarchas linguâ ac calamo acriter defendit sanguinem etiam profusurus, si necessitas hoc postulâsset, certe *Donatistæ*, & qui *circumcelliones* dicebantur, cum de medio tollere variis artibus conabantur docentes publicè, *Augustinum* velut lupum occidendum esse, quin & Deo Sacrificium sic offerri, & ei, qui hoc perfecisset, omnia peccata remittenda. Accidit etiam, ut ad viscendas Ecclesias pergentem armata manu sub insidiis in via exspectaverint, sed Dei Providentia effectum est, ut itineris duce deviante, per occultiores semitas ad quem petebat, locum, incolumis devenerit. Qua eorum crudelitate intellectâ Dei benignitati gratias ingentes egit, paratus nihilominus vitam cum sanguine in simili causa profundere. Proinde meritis Martyrum haud est longè inferior: ii enim præcipuè in civitate, qua necantur, Augustinus verò per universum orbem veræ fidei testimonium illustre perhibuit. Terrena despiciens ad cælestem patriam itentidem anhelabat unde ejus suspiria. *O Domus luminosa, & speciosa, dilexi decorem tuum, & locum habitationis gloriæ Domini Fabricatoris & Possessoris tui. Tibi suspirat peregrinatio mea, & dico ei, qui fecit te, ut possideat & me in te, quia fecit & me lib. 12. confess.*

Testamento nihil auri argentive vel alterius rei caducæ reliquit, *quia*, ùt benè Possidius, *unde faceret pauper Christi non habuit*, omnia námque jam pridem dum valeret, in pios usus expenderat. Ejus tamen loco suis imò toti Ecclesiæ legavit à se Conditorum librorum thesaurum incomparabilem animarum saluti perutilem, ac Ecclesiæ Dei prorsus necessarium. Hinc P. *Ferdinandus ab Hispania serm. 150. apud B. Jordanum: Augustinus velut alter Noë non quidem Arcam, sed libros componendo universum mundum periclitantem ab hæreticis liberavit.*

Fatali

383. Fatali lecto ex morbo decumbens, quo supremum actum vitæ, quàm sanctissimè perageret, communibus Ecclesiæ Romanæ Sacramentis ad mortem piè obeundam sese præparavit. Decem illis diebus, quàm ex hac vita migraret, ne assidua ejus de rebus cœlestibus cogitatio à quopiam præpediretur, omne à se removit amicorum colloquium, ita, ut nullus adire eum posset, nisi cùm eum Medici inviserent, vel ciborum aliquid inferretur. Reliquum temporis orationi, ac rerum cœlestium contemplationi dabat. Solitus autem erat dicere, *neminem sine congruo noxarum dolore oportere è vita decedere.* Quapropter in adversa lectuli parte, contra peccatorum horrorem, qui moribundos frequenter excipere solet, majoribus characteribus exactos septem Psalmos Pœnitentiales appendi jusserat, quos sæpè sæpius magna vi lacrymarum perlegebat, ad illam requiem penitus aspirans, quo tanto jam tempore, omnes suos conatus, labores & studia omnia præmiserat. Verba illius sunt: *Ubi est absconditus, pulcher quem desidero? Cur faciem tuam abscondis? fortè dicis, non videbit me homo, & vivet. Eja Domine moriar, ut videam te, videam, ut hic moriar; nolo vivere, volo mori. Dissolvi cupio, & esse cum Christo. Tædet enim me Domine valde vitæ hujus ærumnosæ peregrinationis.* Decessit Hippone 5. Calend. Septemb. Anno Christi 430. ætatis 76. Episcopatûs 36. cujus animam, cùm è corpore excederet, vidit Religiosus quidam nube candida lucidâque exceptam in cælum efferri Pontificiis insignibus ornatam, ut habet *Petrus de Natalibus lib. 7. cap. 128.*

Augustino non invenustè sequens contexebat elogium multa paucis complectens *Joannes Bacchot Senonicus in Fastis Christ. fol. 609.*

(alta)
Vir, Leo, Bos, Aquila, mitis, ferus, impiger,
Mel, mala, scripta, Polos, dat, fugat, edit, adit.

ARTICULUS V.

De identitate specifica Canonicorum Regularium.

SUMMARIUM.

384. *Nituntur adversarii è Clericalis eminentiæ possessione deturbare, asserendo, modernos Canonicos Regulares esse specie distinctos ab antiquis.*

385. *Moderni & antiqui Can. Reg. non distinguuntur specie neque etiam sunt diversi à Lateranensibus contra Caramuelem.*
386. *Probatur argumento negativo.*
387. *& positivo.*
388. *Statuta localia differentiam specificam non faciunt.*
389. *Canonici Regulares omnes conveniunt in nomine, definitione & qualitatibus.*
390. *Exceptiones adversarii nullius sunt ponderis.*
391. *Aliter probatur identitas & essentia SS. Ordinum sicut & diversitas.*
392. *Quid sit compositum morale, ostenditur Inductionis exemplo ab immortali legione Persarum.*
393. *à Templo consecrato.*
394. *à Romano Imperio.*
395. *à Navi, fluvio, & urbe.*
396. *Ordo est compositum morale successivum, ostenditur.*
397. *Distinctio & identitas Ordinis provenit ab unitate productionis, conservationis, & intentione Legislatoris, aut distinctione horum.*
398. *Applicatio regularum.*
399. *S. Augustini apparentis gloria. Varia apparitiones S. P. N.*

Cùm quidam adversarii suis ar-
384 gumentis è prærogativarum
suarum possessione Regulares Canonicos deturbare non possent, aliam cum Caramuele ingressi sunt viam nempe Canonicos Lateranenses à reliquis distinguendo, & specie differentes asserendo v. g. Aroasienses, Victorianos, & alios in variis provinciis existentes non similes cum Canonicis Lateranensibus dicendo. n. 173. expressè ait: *non omnes Canonici Regulares sunt ejusdem Ordinis cum Lateran.* & n. 181. ait: *errare eos, qui omnes Religiosos Canonicos Regulares vocandos, putant esse unius Ordinis.* Imò 197. concludit, *Canonicorum Regularium Ordinem in Gallia, Hispania, Germania magis à Lateranensibus differre, quàm à Cisterciensibus, & esse Ordinem novum inter Canonicale, & Monachale medium.* Sed contrarium Probatur 1. Auctoritate. *Emanuel*
Rodriquez tom. 3. q. 49. art. 3. ait, 385
Regulares Canonici Cathedralium Ecclesiarum ejusdem sunt Ordinis & rationis cum reliquis Canonicis Regularibus. Idem repetit *to. 1. q. 1.* Caramuel exsplicat illum de unitate generica quasi diceret; *omnes Canonici conveniunt in genere, non autem in specie.* Sed hoc auctori non venit in mentem. Hic obiter stringo Caramuelem qui supra dixit, Canonicos Regulares in *Gallia*, *Hispania*, *Germania* plus differre à Lateranensibus, quàm à Cisterciensibus, & sic argumentor: illa plùs inter se differunt, quæ genere diversa sunt, quàm quæ tantùm specie: sed omnes Canonici Regulares genere inter se non sunt diversi à Lateranensibus, sunt autem

à

à Ciſtercienſibus; ergo plùs differunt à Ciſtercienſibus, quàm à Lateranenſibus. M. Patet ex logica, & conſtat ex bona Philoſophia, lapidem magis differre à cane quàm equum. m. eſt adverſarii, ut patet ex explicatione. Rodriquez. Concluſio eſt legitima.

Joannes Trullus ita diſcurrit. Ubi eſt idem habitus eſſentialis & eadem profeſſionis ratio, ibi eſt eadem juris diſpoſitio; ſed univerſi Canonici Regulares eandem profeſſionem emittunt, eundémque habitum gerunt nempe *togam lineam*: igitur omnes Regulares Canonici etiam Cathedrales ſunt ejusdem Ordinis, & Religionis. Et hoc conſtat ex D. Antonino *3. p. hiſtor. tit. 23. c. 24.* & *Rodriq. to. 1. q. 3.* Conſonat cap. *Innotuit. de electione. c. praterea. de Prabendis* in 6. *c. ſicut vobis. de Regularibus.* & Gloſſa *in Clement. cum rationi de electione*, ait: *omnes Regulares Canonici, qui profitentur Regulam S. Auguſtini, licèt varient in colore, quia aliqui habent colorem nigrum, alii album, alii griſeum* (flavum alii) *alii denique mixtum, habent tamen communem habitum lineam togam.*

386 Probatur 2. Si Canonici Regulares ſunt ſpecie diſtincti, & Religiones diverſas conſtituunt, tunc habebunt diſtinctum Fundatorem & Auctorem: nominet Caramuel? Ait: Arnulphum, & Concilium Aquisgran: Mogunt: &c. contra, habemus Monaſteria ante Arnulphum fundata etiam in Superiori Bavaria: de hoc autem nil ſcimus; aliud nominare non poteſt: Neque jus, neque id alii aſſignant. Unde ſic ex Philoſophia contra Philoſophum argumentor cum Arriaga. Qui novum prædicatum ponit, tenetur poſitivo argumento id ſtabilire, nec ſufficit, ſi oſtendat, contrariam partem non poſſe etiam argumento poſitivo impugnari; nam qui negat, non tenetur probare, ſed ille, qui affirmat: atqui Caramuel in Canonicos Regulares novum prædicatum ponit, & novam ſpeciem, nos autem negamus, quia ſumus in poſſeſſione; antiquitùs enim nemo dubitabat de hac re; ergo Caramuel ſuam ſententiam tenetur poſitivo argumento probare. Atqui nullum invenitur: ergo. Sed quòd non habeat poſitivum argumentum

Probatur, Si Canonici Regulares diſtinguuntur ſpecie, vel diſtinguunt ſtatuta diverſa, vel habitus diverſus, vel reformatio diverſa: neutrum poteſt dici. 387 *Non primum*; nam ipſe fatetur n. 19., conſtitutiones ſeu *ſtatuta* non mutare Religiones; quia ſolumodo extrinſeca ſunt & accidentalia, & poteſt diſpenſari in ipſis: & expreſsè hinc infert, P. P. Ciſtercienſes, etiamſi habeant diverſa ſtatuta, tamen non diſtingui à Benedictinis: ergo ſimiliter, etſi Canonici Regulares

gulares habeant diversa statuta in diversis locis, tamen non sequitur, illos esse distinctos. *Non secundum*, scilicet *habitus diversus*; nam ipse Caramuel in Coment. Bened. ait, dari Monachos, & albos & nigros, & universim docet, unitatem Ordinis vel distinctionem non desumi ab habitu. Diximus autem paulò ante, *habitum Canonicorum Regularium essentialem eundem esse*, non autem accidentalem. Sed nec tertium potest dici de *reformatione*. Fatetur enim ipse Caramuel se Benedictinum reformatum, & se verum, & indistinctum Benedictinum defendit. Deinde reformatio Ordinis non inducit novum ordinem c. *relatum, ne Clerici vel Monachi*. Nam ante Congregationes factas Canonici Regulares vivebant cum tribus votis. Quod probatur ex Alex. II. *in c. præter* 32. d. ubi præcipit, *Canonicos Regulares servare Castitatem, Paupertatem, & vitam communem, sicut antea consueverant*, quod non posset facere, nisi priùs vota edidissent: sicut Pontifex modernus non potest præcipere Canonicis non professis vitam communem. Item Urbanus c. *Mandamus*, & c. *Statuimus* 19. q. 3. præcipit, *ne Canonici post emissam professionem transeant ad Monachos*. Vide Gratianum in c. *observandum* 15. q. 2. quod est Canon Concilii *Tarraconensis* Anno Christi 520. celebrati, ubi prohibetur Clericis pro Patrociniis munera suscipere sub pœna degradationis, quod necessariò exponendum esse de Regularibus Professis, contendit Gratianus l. c. cum aliis D. D.

N. 20. ait Caramuel, Augustinianos Ordinis distingui statutis 388
seu dogmatibus, vocat autem dogmata statuta talia, in quibus non potest dispensari. Et talia habere Aroasienses probat ex formula professionis, quam emittunt; nam etiam *obedientiam* emittunt *secundùm Regulam S. Augustini, & statuta* ut patet ex c. sequ. art. 2. ergo, ait ille, vovent etiam statuta præter Regulam, & cùm ea, quæ voto imbibuntur, sint indispensabilia, novam constituent Religionem, &c.

Verùm respondetur, aliud esse *vovere ipsam Regulam*, & aliud *secundùm Regulam, & secundum statuta*, illud fortè diversam Religionem faceret, hoc autem non facit. *Aroasienses* autem vovent secundùm regulam & statuta. Dein etiam Benedictini vovent obedientiam secundùm Regulam, potest tamen Abbas dispensare in Regula. Sed viderint de hoc Aroasienses. Ipse Caramuel *Coment. Bened. n. 69.* ait, nullum posse se *obligare ad materiam levem sub culpa gravi: Unde si quis voveret omnia & singula, quæ in Regula, continentur se servaturum, non omnia sub peccato mortali tenetur custodire, sed ea, quæ opinione Doctorum gravia sunt.*

Probatur 3. Quæ conveniunt 389
in

nomine, definitione, & qualitatibus, conveniunt in essentia; sed Canonici Regulares conveniunt cum antiquis à D. Aug. institutis in nomine, in definitione, & qualitatibus: ergo conveniunt in essentia. M. absolutè negari non potest, nec hic & nunc in hac probatione detineor. m. probatur. Canonici Regulares conveniunt *in nomine* cum antiquis, quia sicut illi, ita & isti vocantur *Clerici Canonici*, ut satis hucusque constat. 2. Conveniunt *in definitione*, quia sicut illi à D. Augustino reformati erant Clerici regulariter viventes cum emissione trium votorum, ita etiam nostri Canonici, & quemadmodum illis per se Clericatus inerat, ita etiam nostris Canonicis inest, ut notat D. Th. 2. 2. q. 189. a. 8. ad 2. 3. conveniunt etiam *in qualitatibus*, quia etsi Canonicorum actio etiam tempore Augustini, & nunc cuilibet una non conveniat, Convenit tamen toti Ordini pastoralis, & clericalis functio, sicut & finis. Quod prolixiùs demonstrare hic non vacat.

390 Excipit A. contra probationes nostras maximè ultimam. Dicit enim 1. homo pictus & verus conveniunt nomine, non tamen essentia. ℞. Sed hoc nihil est; non enim ex solo nomine discurrimus, sed in subjecta materia, & pro certo significato, adeoque prout jam involvit definitionem.

Dicit. 2. Clericis ab Augustino reformatis Clericatus inerat *per se*; quia Cathedrales fuerunt, aliis autem Canonicis Regularibus inest *per accidens*: sed hoc falsum est, & contra S. Th. *2.2.* Q. *189.* a. *8* ad *2.*

Dicit 3. Cygnus, nix, charta conveniunt in qualitatibus v. g albedinis & frigoris, & tamen in essentia conveniunt. Sed cæcus videt disparitatem. Albedo in nive, & charta non est proprietas vel accidens innatum; possunt enim & alba & nigra esse, qualitates tamen in Canonicis Regularibus sunt intrinsecæ vi professionis, & institutionis, ut constat ex Bullis supra recitatis.

Dicit 4. Angeli conveniunt cum Canonicis Regularibus in ministerio & officio laudandi Deum, non tamen conveniunt specie & essentia. R. verum esse, non omnia illa, quæ conveniunt ministerio & officio, esse ejusdem speciei, si analogicè nimis & remotissimè loqui velimus, habent tamen suam vim cæteris paribus in certo genere hominum & communitatis. Certum est, nos non disputare de Angelis. Et de his dico, illos distingui in principatus & potestates ratione diversi officii. Sed hæc illatio est prorsus inconveniens, cùm non dicamus Canonicos Regulares esse ejusdem speciei cum Angelis, sed solùm ex hucusque datis, & nostris allatis argumentis

ſatis probatum eſſe credimus, Canonicos Regulares S. Auguſtini ſive ſint Congregationis Lateranenſis, S. Victoris, Aroaſienſis, Windeſemenſis, ſive nullius eſſe ejusdem ſpeciei, etſi particularia & localia ſtatuta vel in communi, vel in particulari à Summis Pontificibus vel Epiſcopis Diœceſanis, vel propriis immediatis ſuperioribus approbata habeant. Plura adhuc afferri poſſent hac de re, ſed hæc allata ſufficiant.

391 Aliam viam ad identitatem & eſſentiam SS. Ordinum probandam ingrediuntur moderni, pro cujus probatione inprimis tenendum, quòd SS. *Ordines* ſint *compoſita moralia*, quæ è certis perſonis certíſque legibus actionibus, juribus & relationibus humana voluntate conflata ſunt. Itaque cùm à voluntate humana producantur, uniantur, conſerventur, & mutentut, neceſſe eſt, voluntatem humanam dari, à qua partes conſtitutivæ alicujus ordinis dependeant in fieri, eſſe, & conſervari. Neceſſe porro eſt, partes conſtitutivas ordinis tamdiu & eatenus eſſe mutabiles, quamdiu & quatenus voluntas productiva & conſervativa compoſiti moralis eſt mutabilis. Loquendi uſus obtinuit, quo non ſolùm rebus naturalibus ſed etiam compoſitis accidentalibus & moralibus aliqua eſſentia & natura tribuatur, quæ ſicut in *compoſitis naturalibus*, ita & in *moralibus* mutabilitatem non admittat eſſentiæ & naturæ ſine corruptione *totius moralis compoſiti*. Videtur itaque *compoſita moralia* quoad eſſentiam eſſe *immutabilia*, ſed ſimul *ſucceſiva*, ita ut illius partes eſſentiales ex natura ſucceſſive totius inter ſe diverſæ non exiſtant ſimul eodem tempore, ſed ſucceſſivè, prout contingit in compoſito ſucceſſivo naturali, cujus tamen partes quovis tempore ad eſſentiam compoſiti moralis pertineant, quas voluntas humana productiva & conſervativa, pro illo requirit tempore. Hoc prænotato.

Primum inductionis exemplum ſit *immortalis legio* Perſarum in hiſtoriis celebris. *Legio* illa erat aliquod *compoſitum morale* è certis militibus, obligationibus, actionibus, juribus, relationibus &c. voluntate humana conflatum. Ponamus v. g. legionem obligatam eſſe ad certum veſtium & armorum genus, ad certa exercitia militaria. Actio *legionis* ſit, non unius tantùm Civitatis ſalutem tueri, ſed per omnes Regni provincias ad bella, quocunque poſcant, procedere, & quidem ſine impedimentis, ſine ſarcinis; hoſte tergum vertente, ei ſoli incumbat fugientem inſequi, ſpolia aliis relinquendo. De reliquo nullis ſcriptis legibus, ſed ſoli vivo ducis oraculo atque imperio ſubjecta ſit. *Jura legionis* ſint, ſingulis menſibus recipere ampla ſtipendia, non conclu- 392

cludi more aliorum militum communi domo, sed per domos civium aut pagos & vicos divisam esse; posse alere familiam; certos honores, ac prærogativas sibi deberi, spem promotionis certam habere. Hæc & similia convenire posse *legioni immortali*, nemo negaverit: hæc tamen omnia per successivas reformationes hujus legionis ita mutari posse, ut ne quidem pars priorum *obligationum, actionum, jurium &c.* supersit, certum est, absque eo, quòd *legio immortalis* in æstimatione morali interiisse unquam dici possit, aut debeat. v. g. loco vestitûs *Persici* posset introduci *vestitus Romanus*; scutis, pharetris, arcubus, & sagittis posset substitui usus sclopetorum; disciplina militaris posset mutare formam; legio posset subjici successu temporum variis scriptis legibus; posset ex rationabili causa cogi ad morandum in *communi domo*; posset etiam adscribi in perpetuum præsidio unius tantùm vel alterius civitatis &c His non obstantibus verum erit dicere superesse adhuc legionem immortalem: verum erit dicere, ablatis aut additis quibuscunque partibus manere essentialiter idem compositum; verum erit, hoc totum esse totum successivum, cujus omnes partes essentiales non existant simul eodem tempore. Quòd si quæras, in quo consistat essentia hujus legionis, & quid pertineat ad essentiam ejusdem? Responderi convenienter aliud non poterit, quàm, id quovis tempore pertinere ad essentiam legionis, quod pro illo tempore Rex Persarum absolutè requisierit. Verum erit, identitatem hujus legionis non obstantibus tot mutationibus ideo servari, quia mutationes illæ in æstimatione morali considerabantur tanquam reformationes legionis antiquæ non tanquam institutiones legionis novæ, prout considerari potuissent.

393 Secundùm Inductionis exemplum sit *templum consecratum*, quod etiam est aliquod compositum morale è lapidum ac lignorum structura, sacra unctione, precibus & cæremoniis, quæ sunt actiones, ac denique juribus quibusdam & relationibus moralibus conflatum. Constat, si totum templum aut ejus pars præcipua destruatur, ac novô ædificiô suppleatur, opus esse nova consecratione templi; si verò hæc destructio fiat successivè, ita ut nunquam dici possit, præcipuam templi partem destrui non opus est nova consecratione, etiamsi per multas successivas reparationes templi ne lapis quidem de priori templo superesset. Igitur constat, nullam partem templi stabilem assignari posse, in qua consistat essentia templi consecrati.

394 Tertium Inductionis exemplum sit *Romanum Imperium*, quod est compositum morale è variis populis, obligationibus, juribus, relationibus &c voluntate humana conflatum, si initia hujus imperii cum moderno statu conferamus, præter romanas aquilas, nomen, honores, jura, parum antiqui imperii superesse videbimus. Pars imperii præcipua *Imperator* est, hic antiquitus à senatu romano, sæpè auctoritate exercitûs, diu jure hæreditario, nunc votis Electorum ad solium evehitur. Sedes imperii antiquitùs *Roma*, postmodum *Oriens*, dein *Occidens*, nunc, postquam per varias urbes & provincias vagata est, *Vienna* esse cæpit. Pars imperii quondam *Asia*, *Africa*, *HIspania*, *Gallia*, *Anglia*, &c. erat, nunc Germania ferè totum *Romanum Imperium* terminat. Dic, quid Romani Imperii essentia stabile in suis partibus dicat? Num *formam regiminis*? At ea nunquam uniformis fuit. Num *jura*? at jura consequuntur, non constituunt Romanum Imperium. Mihi quidem melior non occurit responsio, quàm *Romanum Imperium* esse *totum successivum*, cujus partes essentiales pro varietate temporum variæ determinantur à voluntate hominum *Romanum Imperium* constituentium.

395 Quartum Inductionis exemplum sit 1. *Navis Thesei*, quæ duravit per plura sæcula, licèt de antiqua navi ne tabula quidem fortè superfuerit. 2. *Fluvius Heracliti*, qui idem manet, ac fluit in omne volubilis ævum, licèt de fluvio ne gutta quidem eadem maneat. 3. *Roma*, quæ adhuc eadem essentialiter dicitur, licèt antiqua jam in suis ruinis sepulta sit; & moderna urbs fortè ne quidem in eodem cum antiqua sita sit loco, quo ante duo annorum millia stetit. Exempla talia innumera produci possent, in quibus omnibus ostenditur, *essentiam rei ac compositi moralis* non mutari, quantumcunque auferantur partes constitutivæ compositi; quia nempe talia composita sunt *tota successiva*, quorum partes essentiales non existunt simul; sic annus est compositum morale successivum, ejus partes essentiales sunt dies, quæ licèt corrumpantur, & pereant succedentibus novis partibus essentialibus, non tamen dicitur propterea essentia anni corrumpi aut perire: hoc enim in omni toto successivo verum est, partes quasdam essentiales corrumpi, succedentibus aliis partibus essentialibus, absque eo, quòd mutetur essentia compositi.

His itaque stabilitis dico, *Ordinem esse compositum morale successivum*, adeoque ejus essentiam nullo tempore adæquatè, & secundùm omnes sui partes spectari posse. Id sic ostendo. *Voluntas legislativa*, *productiva*, & *conservativa* 396

com-

compoſiti moralis non præſumitur pro omnibus circumſtantiis temporum abſolutè requirere easdem obligationes, actiones &c. ergo effectus adæquatus cauſæ moralis nunquam ſimul ponitur, adeoque partes eſſentiales alicujus *effectûs moralis* nullo tempore ſimul omnes ſpectari poſſunt, ac proin *effectûs moralis*, qualis eſt *ordo*, eſt *compoſitum ſucceſſivum*.

Igitur *eſſentia*, *identitas*, ac *diſtinctio ordinum* à natura *voluntatis legislativæ, productivæ*, & *conſervativæ* ordinum æſtimari debet. Circa quod ſtatuo ſequentes regulas: 1. *Voluntas Legislatoris* uſque ad mortem Legislatoris non eſt conſtans regula eſſentialium ordinis; quia voluntas hominis uſque ad mortem eſt *ambulatoria*, ac proin, cùm *effectûs moralis*, qualis eſt *ordo*, per ſe à voluntate Legislatoris ſemper dependeat, tam parum eſſentialia ordinis ſtabilia, ac uniformia eſſe poſunt, quàm parùm voluntas Legislatoris de ſe ſtabilis ſit. 2. *Voluntas Legislatoris* poſt mortem Legislatoris incipit eſſe conſtans regula eſſentialium ordinis. Quia voluntas officio ſuo functa eſt, nec poſt mortem variationi locus eſt, adeoque nec effectus hujus voluntatis, quoad partes eſſentiales variationi ſubjicitur. 3. *Voluntas Legislatoris*, qui nunquam moritur, nunquam eſt conſtans regula eſſentialium ordinis. Quia voluntas legislatoris uſque ad mortem ejus ambulatoria eſt, adeoque cùm effectus moralis à legislatore immortali ſemper dependeat, eſſentialia illius tam parùm ſtabilia erunt, quàm parùm ſtabilis eſt ipſa voluntas Legislatoris. 4. Ordinis Canonici *Legislator immortalis* eſt, aliorum verò ordinum, qui habent fundatorem particularem. *Legislator mortalis* eſt. Quia, ut oſtenſum eſt, ordo Canonicus ſolùm dependet à directionibus Eccleſiæ, non à fundatore particulari. Igitur, ſicut Eccleſia nec deficit, nec moritur, ita Legislator hujus ordinis immortalis eſt. 5. Hinc *eſſentialia Ordinis Canonici* pro arbitrio Eccleſiæ mutari poſſunt, eſſentialia verò aliorum ordinum non poſſunt mutari niſi per Epikejam, conſuetudinem, aut diſpenſationem; quia lex de ſe aliquando ſtabilis ſine his tribus modis abrogari, aut mutari non poteſt. Cùm igitur vi ſecundæ regulæ voluntas Legislatoris mortalis ipſa morte de ſe acquirat vim legis ſtabilis, alio modo mutari non poterit. 6. *Ad eſſentiam* cujuſque ordinis pertinet id, quo poſito ponitur eo ipſo voluntas productiva, aut conſervativa Legislatoris, & quo ſublato illa voluntas tollitur. 7. *Quo poſito aut ſublato* ponatur, aut tollatur voluntas conſervativa Legislatoris, ab æſtimatione morali hominum, & judicio prudentum deſumi debet. Quia circa talia ob-

objecta concurrunt tot támque variæ circumstantiæ, ut eæ omnes ad regulas exactas ordinatæ rationis revocari non possint. Igitur æquitas naturalis postulat, ut stetur judiciô prudentum, ac æstimatione morali, ne lites protrahantur. Melius enim est agnoscere judicem fallibilem, qui res & circumstantias sine ordine exacto consideret, quàm nullum.

397 Quod concernit identitatem ac distinctionem Ordinum, ea sequentibus regulis explicari potest. 1. Quorum eadem est *productio*, & *conservatio*, eorum datur identitas. 2. Unitas *productionis*, & *conservationis* ab *intentione Legislatoris* desumi debet. 3. *Intentio Legislatoris dubia* ab æstimatione morali, ac judicio prudentûm judicari debet.

Per has regulas judico omnes controversias de identitate, ac distinctione ordinum solvi posse; Nam per se clarum est, ad *unitatem ordinis* requiri *unitatem Legislatoris*, clarum etiam est, *unitatem Legislatoris* non sufficere ad *unitatem ordinis*; Nam posset idem Legislator diversos ordines instituere, aut possent sub eodem Legislatore communi concurrere diversi *Legislatores secundarii*, aut certè posset idem Legislator dissoluto priori ordine novum instituere. Igitur unicè ab *intentione Legislatoris* dependet, num ordines à se dependentes velit haberi pro iisdem, an pro diversis; & si intentio Legislatoris dubia sit, poterunt quidem considerari variæ circumstantiæ, & formari conjecturæ de intentione Legislatoris; sed cùm in talibus objectis omnes circumstantiæ ad regulas exactas ordinatæ rationis revocari non possint, æquitas naturalis postulat, ut intentio Legislatoris subjiciatur judicio prudentûm, & æstimationi morali hominum.

Applicationem datarum regularum tantùm facio interim ad Ordinem Canonicorum Regularium. Quæritur, num ordo Can. Reg. modernus idem essentialiter sit cum ordine *Canonicorum Aquisgranensium*, & *Metensium*? Quæritur etiam, num ordo Aquisgranensium sit essentialiter idem cum statu Clericorum Hipponensium, vel aliorum Clericorum renuntiantium primitivæ Ecclesiæ? dico, omnino eum essentialiter eundem esse. Nam 398

Primò. Status Clericorum renuntiantium *primitivæ Ecclesiæ, Hipponensium, Metensium, Aquisgranensium* & *Canonicorum Regularium* habuit eundem legislatorem cum intentione servandi identitatem moralem: ergo datur identitas vi regularum. Quòd si status habuerint eundem Legislatorem, nempe Ecclesiam, quæ per suos Episcopos, Concilia, & Pontifices Clericis renuntiantibus varias directiones provisionales præscripsit,

ſit, huculque ſatis oſtenſum eſt, Quòd Eccleſia ſemper habuerit animum conſervandi identitatem inter hos ſtatus, non ſolùm è pluribus expreſſionibus Epiſcoporum, Conciliorum & Pontificum, ſed etiam ab æſtimatione morali ac judicio prudentûm notum ſuppono. Cur enim innumeri Doctores, quin & declarationes Pontificiæ non ſufficiant pro authentica declaratione intentionis Eccleſiæ, quæ ſola cauſæ noſtræ deciſiva eſt?

Secundò. Potuit Eccleſia undecimo ſæculo tantùm habuiſſe intentionem reformandi Ordinem Canonicum; ergo talem intentionem habuit; quia hæc intentio Eccleſiæ ſupponitur manifeſtari documentis reformationi coævis, conſenſu Doctorum & declarationibus Pontificiis, in quibus ſupponitur ea reformationis intentio. Antecedens probatur è principiis explicatis; nam oſtenſum eſt, potuiſſe Eccleſiam præſentes obligationes Canonicis tantùm imponere per modum directionum ex ſe proviſionalium tantùm, oſtenſum etiam eſt, diverſitatem partium qualiumcunque etiam eſſentialium in aliquo toto ſucceſſivo non obſtare identitati eſſentiali. Igitur nihil obſtat, quin Eccleſia potuerit habere intentionem ſervandi identitatem eſſentialem horum ſtatuum.

Nova tibi forſan, benevole Lector, videbuntur hæc dogmata de unitate, identitate, atque diſtinctione compoſitorum moralium in ſpecie SS. Ordinum. Sed non adeo mea reputes, quàm aliorum hoc ævo noſtro Scriptorum, qui variis adverſariorum etiam novis argumentis ita obviare ſolent. Compendium hoc ſit, ſi lubet, prolixioribus demonſtrabitur theſium poſitio argumentis.

S. AUGUSTINI APPARENTIS GLORIA.

Apparuit, ſeu videri eſt viſus S. Auguſtinus.

399 I. S. Norberto Magdeburgenſium Archi-Præſuli Canonicorum Præmonſtratenſium Parenti, ſtudioſius de arripienda regula quadam à ſancta ſede Romana approbata, indaganti S. Auguſtinus præſens adfuit, eique auream regulam à dextro prolatam latere, *quem vides*, inquiens, *Auguſtinus eſt Hipponenſis Epiſcopus: Ecce habes regulam, quam ego ſcripſi, ſub qua ſi benè militaverint Confratres tui, Filii mei, adſtabunt ſecuri in ultimo decretorio die*. Ita *Surius Tomo 3. die 6. Jun.*

II.

II. Tajo Episcopus Cæsar-Augustanus, cùm rogante *Chindasuindo Hispaniarum* Rege, causa quærendorum Moralium *S. Gregorii* Romam esset profectus, inque æde D Petro Sacrâ per noctem precibus ferventer instaret, vidit cunctam Ecclesiam inusitato lumine repleri: post hæc observavit frequentem Virorum multitudinem, qui templum inirent, quíque ordine decenti bini & bini ad altare D. Petri succederent. Cumque Episcopus nimio terrore correptus loco quo constiterat, movere se non auderet, addunt eam vidisse duos ex eodem cætu ad se venientes: quorum alter leniter appellans Episcopum, percontabatur, quis esset, & quam ob rem venisset, & quid ea hora ibi vigilaret. Episcopo verò ad singula respondente totámque itineris sui & orationis causam aperiente, is qui advenerat digitum intendens *in scrinio*, inquit, *hoc quod cernis, insunt libri, quos investigas.* Tum verò Episcopus sumpto animo *obsecro*, inquit, *declara, quanam hac, quam cerno, tam praclara Virorum processio?* Cui ille: *duo illi, quos pracedere, seque invicem insertis manibus amplecti vides, Apostolici Collegii Principes sunt. Reliqui verò, quos deinceps stare conspicis, Apostolica hujus sedis fuêre Pontifices.* Tum Episcopus, precor, inquit, *teipsum manifesta, ac nomen edissere. Gregorius ego sum* subjecit ille, *pro cujus libris tantum iter suscepisti, ac propterea hìc comparui, ut satisfacerem votis tuis.* Instititit Tajo indagare, *ubinam sit Augustinus*, cujus libros pari prosequeretur amore, respondit is, *Augustinum Virum Excellentissimum, de quo quaris, altior à nobis continet locus.* Principes Apostolorum excipiebat, quos anteire seorsim à reliqua multitudine implicatis manibus dixeram. *Cornelius Lancillotus Lib. 3. c. 70.*

Huic non dissimile aliud quodpiam de alio Viro eximiæ sanctitatis scriptum se reperisse asserit dictus *Lancillotus loc. cit.* Qui in entasim raptus Beatos vidit in gloria cùm vero S. Augustinum ibi non observasset, ab his est sciscitatus, ubi nam esset? Responderunt illi *Augustinum in editissimis esse locis de gloria Sanctissima Trinitatis disputantem.*

III. Anno Christi 725. Peregrini quidam Transalpini quadraginta numero Romám contendentes cùm in itinere prope vicum *Cava*, qui locus abest Popia circiter triginta millibus passuum, ex lassitudine substitissent, sub horam noctis secundam è templo proximo, quod erat sacrum DD. *Cosma & Damiano*, vidêre quendam progredi veste indutum pontificali: qui vicinior eis factus, rogavit, *quonam iter instituerent.* Atque hi cùm respondissent, *se Romam pergere loca sancta visitandi gratiâ, &, ut singuli, qua premebantur,* ne-

necessitate solvi possent meritis eorundem Divorum, quorum ibi Reliquiæ condebantur. Ad eos dixisse fertur in hanc Sententiam: *pergite ad urbem proximam Papiam, & invisite templum B. Petri, quod est in cælo aureo, ibidem Sanitatem pristinam recuperabitis.* Quis esset, interrogantibus, subjecit, *Augustinum se esse Hipponensem Episcopum.* At illi stupore & gaudio pleni festinarunt Papiam, & ingressi templum exclamârunt, *Sancte Augustine, prout es pollicitus restitue nobis Sanitatem.* Quæ verba simul pronuntiaverunt, & consuetæ valetudini sese redditos sensêre. Mox Deo Servatori, & Sancto Augustino gratiis actis ad propria lætissimi remeârunt. *Ex Baronis to. 9. ad Annum Christi 725.*

IV. In Monasterio Ordinis Cisterciensis, quod est in Burgundia (*Fontaretum* vocant) Religiosum ac Priorem agebat *Hugo Flavigniacensis* studiosissimus D. Augustini. Desiderabat is diu & ardenter non alio die nisi in SacroS. Patris Festo ex hac vita migrare, cujus votis Deus annuens ea ipsa die carne solutus est, Augustino adstante, atque Angelorum exercitum ducente, à quo Hugo deducendus ad cælũ foret. *Ex Angelo Manrique to. 3. an. Cisterciensium ad An. 1190. cap. 4. n. 9. & 10.*

V. Tradiderat *Marchio à Malaspina* diro carceri Adolescentem quemdam, cùm is siti tantum non enecaretur, quo liberaliùs pretium solutionis promitteret, invocavit in re tam aspera opem S. Augustini, qui mox adfuit, cúmque è carcere ad flumen Gracilonem duxit, cujus aqua sitim adolescentis abundè explevit. *Ex Lancilloto lib. 3. c. 72.*

VI. Ecclesiæ cujusdam Antistes (nomen non proditur) jam tribus annis lecto decumbens, sic fuerat usu membrorum destitutus, ut se loco movere non posset, à D Augustino, cui addictissimus extiterat, die festum ejus antecedente ardentibus votis Sanitatem rogavit. Is ei videndum se præbens jussit, ut lectulo surgeret, templum adiret, horísque vespertinis, quæ tum decantabantur, pro desiderio interesset. *Lancillotus loc. cit.*

VII. Depascebant Anno 1268. in Regno Toletano universas illas Provincias magno numero locustæ, has ut averterent incolæ, voto ad S. Augustinum facto exauditi fuerunt, cùm enim supplicationes fierent, & longis jejuniis, atque orationibus semet affligerent, omnibus inspectantibus advenit Augustinus pedo pastorali locustas omnes, & vim noxiarum animantium in flumen *Tagum* propellens. Tanti beneficii memoria ne unquam excideret semet cives voto ad supplicationem annuam obstrinxêre, quæ res hisce verbis in eorum fastis est comprehensa. *Hac die* (Dominica

ca nempe in Albis) *est notis obligatio faciendi Processionem usque ad Monasterium S. Augustini ex voto facta pro locusta. Ex Lancilloto c. 72.*

VIII. Franciscus *Conzaga Dux Mantuanus* tum à Genuensibus, tum à *Philippo Galeatio Mediolanensium duce* graviter Anno 1340. oppugnatus ad S. Augustinum oratione cum voto factâ confugit. Apparuit is Duci pluviali amictus, victoriam oranti promittens: quam duabus vicibus in ipso S. Augustini Festo die contra Ligures hostes est Mantuanus consecutus. In cujus rei memoriam urbs Mantuana Patronum, ac Defensorem sui delegit *Augustinum*, diémque ejus solenni Religione celebrat: Et ipse Dux Mantuanus sacris interest, quæ tum in æde S. Augustini peraguntur, & munus ibidem ex more offert. *Ex Josepho Pamphilo in Chronicis.*

IX. Refert P. *Ambrosius Cariolanus* in Apologia. Augustinum cuidam Matronæ apparentem dixisse: *da mihi Filium tuum*. Cui, cùm illa renueret, præeligens potiùs sæculari eum vitæ, quàm Monasticæ consecrare, denuò petiisse eum sibi offerri, ac mox esse visum Augustinum à Matris latere filium astrahere, & juxta majus altare in templo, quem tulerat deposito in hanc eum affari sententiam: *Tu apud me stabis, & Successor meus eris.* Mulier visu admonita, sed & mariti cohortatione impulsa, filium suum Augustinianæ Societati obtulit: qui cùm pietate, tum doctrina plurimum omnibus antecelluit.

X. Idem S. Antistes noster mellifluo Doctori Bernardo Claravallensium Abbati apparuit, cùm in Sacro odæo Sermones Doctoris nostri pro recitando horarum Canonicarum Officio legerentur, de cujus ore tanquam aquarum impetus profluebat, quo tota Ecclesia inundabat. *Ex Petro de Natalibus lib. 7. c. 128.*

XI. B. Gertrudis conspexit S. Augustinum gratias agentem Deo pro beneficiis ab ipso acceptis una cum S. Bernardo pulchritudinis gloria decorum & de corde suo ad cor Dei splendores igneos emittentem, nec non radios ab ore spargentem pœnitentia sua, quam olim egerat cum igniti amoris Dei fervore concentum suavissimum edente in corde suo, quæ tum edocta est Divinitùs ea esse signa ignea ignitæ eloquentiæ, qua corda hominum ad amorem Dei inflamabat. *Ex P. Joanne Nadasi. Anni cœlestis ad diem 28. Aug.*

XII. B. Ritam Viduam S. P. N. Augustinus unà cum S. Joanne Baptista & S. Nicolao Tolentino ad Cœnobium Sanctimonialium S. Augustini miro cæli fervore & modo perduxit. *Ex Joanne Nadasi 22. Maii Anni Cœlestis.*

XIII. Sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzis ex Ordine Carmelitarum, consideratione Verbi carnem

nem in utero Mariæ assumentis animo abreptæ S. Augustinus hanc vocem *Verbum* aureis litteris cordi Anno 1585. die 25. Martii inscripsit, tres verò reliquas, *Caro factum est*, Sanguineo charactere expressit. *Ex Vita.*

XIV. Anno 1587. Eadem Virgo in Profesto S. P. N. Augustini rapta vidit eminentem ipsius gloriam, atque cum eo Matutinum recitavit. Ex decore Carmeli Patris Philippi à SS. Trinitate. Ex vita.

Hoc nostro quo vivimus sæculo vivendum se exhibuit V. Virgini Agneti à JEsu ex Ordine Prædicatorum & Guidoni Ordinis nostri Novitio in Monasterio Chancelatensi Juveni pientissimo, qui obiit Anno 1636. Ex vita ejusdem *Agnetis*, & vita *Alani Chancelatensis nostri.*

ARTICULUS VI.

De novissimis quibusdam Privilegiis, & spiritualibus favoribus.

SUMMARIUM.

400. *Brevis annotatio & ratio dicendorum præmittitur.*
401. *Multi favores Canonicis Regularibus à SS. Pontificibus concessi, novissime à Clemente XI.*
402. *Instrumentum authenticum, & Summarium Indulgentiarum recitantur.*
403. *Respondetur ad duo mota dubia.*
404. *Copia & brevis relatio novissima Declarationis à S. Congregatione emanata, & S. S. D. D. Innocentio XIII. approbata &c.*
405. *Breve S. S. D. D. Innocentii XII.*
406. *Stante dubio supplicatum fuit Sedi Apostolicæ, ut constat ex supplicatione.*
407. *Remisit sua Sanctitas ad Congregationem Sacram Indulgentiis & S. S. Reliquiis præpositam, in qua 1. Sept. 1721. præposita est tenoris sequentis.*
408. *Favorabilis Declaratio facta die 23. Februarii 1722. & subscripta à Cardinale Pico Præfecto 7. Martii 1722.*
409. *Confirmantur eadem Indulgentiæ à Sanctissimo D. D. Innocentio XIII. Pont. Max.*
410. *Monumentum immortalis gloriæ.*

400 POstquam Paulus V. Romanus Pontifex Anno 1606. Pontificatûs sui 2. die 23. Maii Bullam, quæ incipit: *Romanus Pontifex*, & habetur in magno Bullario *apud Laertium Cherubinum To. 3. ordine XXI.* emanare fecerat, in qua omnes omnium Religionum, & Ordinibus Regularibus concessas indulgentias revocavit, cassavit, annullavit, & abrogavit; alias verò novas, & respectivè innovatas perpetuas partim plenarias, partim annuales, & quadragenales Religiosis Ordinibus, eorúmque personis utriusque sexûs Bullâ perpetuâ elargitus est, concessit, & confirmavit, atque ejusmodi indulgentias Religiosis concessas, confirmatásque ad præfatum Apostolicarum literarum præscriptum ita reduxit, & moderatus est, ut, quæ non in prænominata Bulla continerentur expressæ, pro non concessis haberentur indulgentiæ. Continebantur haud dubiè Canonici Regulares in memoratâ Pauli V. Constitutione, & absque ullo prorsus scrupulo in præsens usque sæculum concessis indulgentiis utebantur, ac fruebantur. Et cur non? utpote sub specifico Regularium nomine, & teste Suarez, To. 4. de Relig. lib. 1. c. 9. n. 10. & 11. *per antonomasiam inter reliquos Regulares comprehensi.* Dein immunitates & privilegia Mendicantium Ordinibus concessa in Bulla à S. Pio V. *Etsi Mendicantium* 41. per mox sequentem B *Ex superna.* Extensâ fuêre ad Canonicos S. August. Regulares, Monachos S. Benedicti, Cistercienses, Cartusienses, nec non S. Hieronymi in Hispania Camaldulenses, &c. & specialiter B. *Injuncti nobis.* 33. An. 1622. à Gregorio XV. eadem Privilegiorum communicatio Canonicis Regularibus Lateranensibus confirmata, & stabilita fuit. Adhæc non minùs *juxta regulare institutum cũ vita exemplari, doctrinâ, & Verbi Dei prædicatione, aliisque laboribus & studiis animarum salutem, ac S. Sedis Apostolicæ dignitatis, & authoritatis augmentum* (uti habet S. Pius V. in Bulla: *Ex supernæ*) in nostris partibus procuramus & alii in aliis quòd adeo ea propter deterioris utique conditionis in usu Privilegiorum, & Indulgentiarum Apostolicarum censendi non simus, atque *meritis & virtutibus nostris minora promereri, quàm suprascriptas Congregationes & Ordines, quos enim par labor conjungit, paria quoque Privilegia conjungere debent*, ut continet B. *Inter cæteros* 30. Anno 1712. à Julio II. S. P. pro Canon. Reg. S. Salvatoris edita.

Silentio involvam similium 401
Privilegiorum, & Privilegiorum communicationis confirmationes à S. P. Innocentio XI. Canon. Regul. Collegiatæ Ecclesiæ Ranshovicensis ad S. Pancratium, & paucos ante Annos Canoniæ Augiensi à S. P. moderno Clemente XI. factas:

factas:

factas: adducam solumodò ultimam Confirmationem; & illius Bullæ à Paulo V. emanatæ respectivè declarationem, quam idem Sanctissimus in Christo Pater ac D. D. Noster Clemens XI. Pont. Max. gloriosissimè regnans ex Clementissimo in Lateran. Congreg. & Ordinem nostrum affectu, non tantùm vivæ vocis oraculo emisit, sed etiam à S. Congregatione Cardinalium approbatam speciali Brevi pro innata Benignitate sua roboravit, extendit, & quodam singulari favore ampliavit, prout typis impressum Summarium à Reverendissimo & Illustrissimo D. D. Calixto Magnoni Abbate Generali Congreg. Later. ad Reverendissimum D. D. Ivonem Diessensem Præsulem transmissum exhibet, quódque Summarium latinitati redditum, & ad Gratiosam voluntatem altefati Reverendissimi D. D. Præsulis, cujus ardentissima charitas, & Religionis Zelus sibi communicata aliis quoque voluit esse communia, mediante publico Notariatûs Instrumento publici juris factum, ad spiritualem omnium utilitatem, ac privatum quorumvis Religiosorum nostrorum commodum hîc subiicimus.

Priùs tamen notandum venit, quòd marginales notæ singulis §. adjunctæ in Summario Italico non contineantur, sed à me claritatis gratiâ appositæ fuerint, ut advertatur concordantia punctorum Summarii cum Bulla S. P. Pauli V.

Instrumentum Authenticum.

In Nomine S. S. S. & Individuæ Trinitatis, Amen.

402 UNiversis, & singulis præsentis instrumenti publici seriem visuris, lecturis, sive legi audituris notum sit, & pateat evidenter, quòd Anno ab Incarnatione Domini nostri JEsu Christi millesimo septingentesimo vigesimo, Indictione decima tertia, Pontificatûs autem Sanctissimi Domini nostri, Domini Clementis Divinâ Providentiâ hujus Nominis Papæ Undecimi Anno ejusdem vigesimo, die verò vigesima prima Februarii literas à Reverendissimo & Illustrissimo D. Calisto Magnoni Abbate Generale scriptas unàcum Summario Indulgentiarum illis incluso mihi communicaverit Reverendissimus, Perillustris, & Amplissimus D. D. Ivo, Ecclesiæ Diessensis Canon. Regul. Later. Congreg. Abbas & Præpositus, gratiosè exigens per sequentes adhuc literas à me Notario Publico Apo-

ſtolico, ut ſuper incluſo Summario Indulgentiarum, ex Italica in latinam linguam translato Publicum Notariatûs Inſtrumentum erigerem, in quo memoratum Summarium tranſummerem, quatenus ejuſmodi tranſumpto, ac etiam impreſſo, manu Notarii Publici ſubſcripto & Sigillo alicujus Perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica Conſtitutæ munito juxta Conſtitutionem *licèt Eccleſiæ, &c.* S. Pii V. Canonicis Regularibus factam, & ipſius etiam Pauli V. S. P. in Bulla eadem fides adhiberetur, quæ præſentibus literis Apoſtolicis Originalibus, ſeu Originali adhiberetur, ſi fuiſſent exhibitæ. Quare Ego Notarius, & teſtes infrà ſcripti ad ſubſequens negotium tranſumptionis, collationis, & reviſionis ſpecialiter vocati & requiſiti ſæpè dictum Summarium fideliter translatum de verbo ac ſenſu ad verbum ac ſenſum concordare invenimus. Tenor verò ejuſdem eſt talis.

Summarium Indulgentiarum

Canonicis Regularibus & Canoniſſis Congregationi Lateranenſi ſubjectis Conceſſarum.

Nos Don Caliſtus Magnoni Vercellenſis Abbas Generalis Can. Reg. Lat.

Cùm Sac. Me. Paulus V. ex ſpeciali benignitate ampliſſimum theſaurum indulgentiarum omnibus Perſonis utriuſque ſexûs Ordinis Monaſtici, & mendicantium diſpenſaverit, prout conſtat ex ipſius conſtitutione 21. data 2. Maii, 1606. quæ incipit: *Romanus Pontifex.* Nobis verò non ſine fundamento dubium ſit obortum, an in dicta conſtitutione etiam ſint comprehenſi tam noſtri Canonici, quàm Canoniſſæ regulares lateranenſes utpote diverſum inſtitutum profitentes, & quia intelligi aut venire ſub nomine Monachorum, & mendicantium non poſſunt (cùm ſimus eſſentialiter clerici) expediens & neceſſarium eſſe duximus, ut ad infallibile oraculum Sanctiſſimi Domini Noſtri recurreremus, qui proin auditâ opinione ſacræ Congregationis Indulgentiarum congregatæ die 13. Julii, 1713. ubi ſtabilitum fuit decretum extenſionis prædictarum Indulgentiarum pro Perſonis utriuſque ſexûs à noſtra

Congregatione gubernatis, alio novo decreto ſub dato 25. Septembris, 1713. ex ſpeciali benignitate ſua non ſolùm dignatus eſt illud Decretum extenſionis approbare, ſed etiam ſub dato 27. Octobris ejusdem Anni ampliare per ſpeciale Breve ad ſeptennium pro conſecutione indulgentiarum plenariarum, quas acquirent noſtri Canonici, & Converſi per octiduum exercitia ſpiritualia peragentes. Igitur cùm nobis incumbat, ut quilibet ſpirituales fructus reportare, & pro culpis commiſſis, ac peccatis Divinæ Majeſtati offenſæ ſatisfacere poſſit, ſtatuimus publicis typis vulgare præſens Summarium cum notis diſtinctis indulgentiarum, quæ ſunt ſequentes.

I. Concordat Bulla Pauli V. §. 5.

Vigore prædictæ Conſtitutionis Pauli V. conceditur indulgentia plenaria omnibus Religioſis Noſtri Clericalis Ordinis primo die, quo habitum probationis religioſæ ſuſcipiunt, ſicut etiam die profeſſionis poſt completum probationis Annum, ſi eadem die verè pœnitentes, & confeſſi SS. Eucharistiæ Sacramentum ſumpſerint. Indulgentia perpetua.

II. Concor. Bul. Paul. V. §. 7.

Conceditur indulgentia plenaria in Feſto principali Ordinis noſtri Religioſis, qui confeſſi & S. communione refecti, aut miſſam celebrantes pro Chriſtianorum Principum concordia, hæreſum extirpatione, Romani Pontificis ſalute, ac ſacræ Romanæ Eccleſiæ exaltatione pias ad Deum preces effuderint. Indulgentia perpetua.

III. Bul. Paul V. §. 8.

Conceditur indulgentia plenaria omnibus utriuſque ſexûs Religioſis noſtris in cujuslibet vero mortis Articulo, ſi pariter verè pœnitentes, & confeſſi ac S. communione refecti, vel quatenus id facere nequiverint, ſaltem contriti nomen JESU ore, ſi potuerint, ſin autem, corde devotè invocaverint. Indulgentia perpetua.

IV. Bul. Pauli V. §. 9.

Conceditur indulgentia plenaria, qui ad Presbyteratûs Ordinem Canonicè promotus & confeſſus primam miſſam celebrabit, nec non etiam aliis Religioſis, qui pariter confeſſi, ac S. communione refecti eidem miſſæ interfuerint, aut ipſo die miſſam ſimiliter celebraverint. Indulgentia perpetua.

V. Concordat Bul. Pauli V. §. 10. quoad 10. dies: quoad vero pro Canonicis ſpeciale eſt.

Vi ſpecialis Brevis à moderno Pontifice Clemente XI. ſub dato 27. Octobris, 1713 uti ſupra dictum eſt, conceditur indulgentia plenaria omnibus noſtris Canonicis, & converſis, qui de ſuperiorum ſuorum licentia à negotiis alieni, & ab aliorum converſatione ſeparati per octo dies lectionibus devo-

tis librorum spiritualium operam suam dederint, addendo sæpè considerationes & Meditationes mysteriorum fidei Catholicæ, divinorum, beneficiorum, quatuor novissimorum, Passionis Domini nostri JESU Christi, & aliorum exercitiorum, orationum jaculatoriarum, aut vocalium, saltem per duas horas in diem & noctem, orationibus mentalibus sese exercendo, faciendo eodem tempore confessionem generalem aut annualem, vel ordinariam SS. Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, aut missam celebraverint. Atque ista indulgentia tantummodo se extendit ad septennium pro nostris Canonicis.

Atque Canonissæ nostri Ordinis & Congregationis easdem indulgentias plenarias lucrabuntur, si non per octo, sed decem dies præfata sacra exercitia modo supra expresso peregerint. Et ista indulgentia pro iis est perpetua juxta formam sæpè laudatæ constitutionis Pauli V. quæ fuit confirmata novissimè à S. Congregatione sub dato 25. Septembris 1713.

VI. Bulla P. V. §. 11. Omnibus Ordinis nostri Religiosis utriusque sexûs, qui suam Ecclesiam devotè visitaverint, & oraverint pro exaltatione S. Matris Ecclesiæ & aliis num. 2. supra assignatis, diebus stationum, quales sunt sequentes, scilicet omnes Dominicæ Adventûs, vigilia Nativitatis Domini cum sequentibus festis, primus dies Januarii, dies Epiphaniæ, Dominicæ Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ, dies Cinerum, & omnes sequentes per quadragesimam usque ad Dominicam in Albis inclusivè. Dies S. Marci, Rogationum, Ascensionis, Vigilia Pentecostes usque ad Sabbatum sequens inclusivè, & tandem in feriis quatuor temporum per Annum, &c. eædem indulgentiæ conceduntur, quas consequerentur, si illis diebus stationum personaliter visitassent Ecclesias Urbis, & extra eandem. Ista indulgentia est perpetua.

VII. Bulla P. V. §. 16. Conceditur indulgentia plenaria Religiosis nostris, qui à summo Pontifice, aut à superioribus sui Ordinis pro conversione infidelium, & hæreticorum missi fuerint, in die sui ingressus ad hoc opus, si sint in Provincia ex obedientia illis assignata, ac pœnitentes, & confessi communicaverint, aut missam celebraverint duabus vicibus. Indulgentia perpetua.

VIII. Bulla P. V. §. 17. Conceditur indulgentia plenaria perpetua omnibus Personis utriusque sexûs, cum Superior in visitationibus generalibus orationes quadraginta horarum pro bono visitationis pro-

progressu ordinaverit, si confessæ & communicatæ, aut missam celebrantes dictis orationibus saltem spatio duarum horarum diverso etiam tempore interfuerint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, ac S. Matris Ecclesiæ exaltatione, nec non disciplinæ, & observantiæ regularis augmento pias ad Deum preces effuderint.

IX. Bulla P. V. §. 12. Omnibus item Religiosis utriusque sexûs, qui quinquies orationem Dominicam, & toties salutationem Angelicam ante altare eorum Ecclesiæ recitaverint, in quolibet die per Annum quinque Annorum, & totidem quadragenarum. Indulgentia perpetua conceditur.

X. Bulla P. V. §. 13. Eadem indulgentia in perpetuum conceditur Religiosis, qui de suorum superiorum licentia in itinere existentes, aut extra claustra degentes prædicationis, aut professuræ, sive lecturæ officio incumbunt, si prædictas preces, scilicet quinque Pater & Ave coram quolibet altari recitaverint.

XI. Bulla P. V. §. 14. Conceditur etiam Anni 60. & totidem quadragenæ indulgentiarum Religiosis utriusque sexûs, qui per mensem integrum singulis diebus spatio mediæ horæ orationem mentalem fecerint, ac confessi & S. communione ultima Dominica mensis hujusmodi refecti fuerint.

Bulla P. V. §. 15. Ultimò conceduntur Anni tres, & totidem quadragenæ indulgentiarum utriusque sexûs Personis Religiosis, si corde contritæ, & pœnitentes culpas, & peccata, ac imperfectiones suas in capitulo culparum accusabunt, & spiritualiter communicabunt, atque exercitium virtutum facient.

Datum Romæ in nostra Canonica S. Mariæ Pacis die 13. Decembris 1713.

Don Calistus Magnoni Abbas Generalis.

Don Ant. Pace Abbas Secretarius.

In Bologna typis Archiepiscopalibus.

PEracta productione, visione, transumptione, & collatione hujusce Summarii immediatè præmissi & præinserti coronam Reverendissimo, Amplissimo, & Gratioso D. D. Cajetano Colleg. Later. Beyrbergensis Ecclesiæ Abbate & Prælato Vigilantissimo, postquam illud novum transumptum per omnia & singula cum suo Originali concordans vidit, legit, & etiam legi in sua Prælatura audiit, Anno, Indictione, Pontificatu, ut supra, die verò decima sexta Mensis Martii, hora duodecima pomeridiana manu propria subscripsit, atque, ut, in dubia adhiberetur fides, solito Prælationis Sigillo suo munivit. Ego itaque Benno Zaisperger, Canon. Regul. S. Augustini ejusdem Collegiatæ Ecclesiæ Congregationis Lateranensis Decanus, S. S. Theologiæ Doctor, Authoritate Apostolica Notarius Publicus in fidem omnium, & singulorum præmissorum robur ac testimonium præsens hoc Instrumentum publicum confeci, signóque ac manûs propriæ subscriptione roboravi. Actum Beyrbergæ, Anno, Indictione, Loco, Mense, die, quibus supra, &c. Præsentibus Admodùm Reverendis, Nobili, & Clarissimo D. Francisco Paulo Kyrein, J. U. Licentiato Parochiæ in Königsdorff Vicario, & Doctissimo D. Jacobo Spökher, Beneficiato ibidem testibus ad id specialiter, vocatis, & rogatis.

(L.S.) Cajetanus Abbas Lateranensis m. propr.

Benno Zaisperger, idem qui supra.

Responsio

Responsio ad dubium.

403 DUbitatum fuit à quibusdam, an prædictæ Indulgentiæ à Paulo V. concessæ, à S.D. N. Clemente XI. confirmatæ, & extensæ, cùm extensio tantummodo ad septennium valeat, eâ exspirante non exspirent, nisi novum obtineatur Breve Apostolicum? at

Resolutio hujus dubii haud difficilis est, distinquendo Bullam Pauli V. novámque Moderni Pontificis Maximi Confirmationem à Decreto seu Brevi extensionis.

Quoad 1. evidens est Confirmationem novissimam Sanctissimi D. D. Nostri nihil innovare, nec novum Jus tribuere Canonicis Regularibus, sed tantùm declarare, nos Canonicos Regulares semper in prælaudata Bulla Pauli V. fuisse comprehensos, & etiamnum comprehendi, proin hucusque potuisse; & imposterum lucrari posse omnes & singulas præscriptas indulgentias non obstante Clericali Instituto Nostro, unde dubium primũ exortum fuit. Cùm enim circa illud tempus inter duas sacratissimas familias Romæ, de Præcedentia acriter disceptatum fuisset, obiiciente adversa parte Monachatum æquè, propriè Canonicis ac Monachis competere reluctante vero constantissimè alterâ, & prærogativam Clericatûs propriè, & per se Canonico Ordini competentis asserente, authoritatibus & rationibus fortissimis probante, ac tuente, Argumentum cornutum, quod stringeret aut prosterneret, enatum fuit: aut Canonicos esse Monachos, aut Privilegiis non gaudere Monachorum, præsertim Pauli V. cùm ibi §.18. *supradicta Indulgentia & gratia Religiosis Regularibus cujusvis Ordinis tam Monastici, quàm Mendicantis NB. duntaxat, ut præfertur, concessa* ad Moniales tantùm extendantur, &c. ast per decisivam sententiam Canonicis adjudicata causa, & stabilitum fuit antiquum Privilegium. Atque ex his dubium ortum (quantùm scire, & indagare potuimus) infallibili Sanctissimi D. D. N. Oraculo, & Clementissima Confirmatione resolutum est.

Quod autem concernit Decretum extensionis, seu ampliationis, non minùs certum est, illud ad septennium restringere solummodò exercitia spiritualia per octo dies conficienda, ut in *præfatione, & §. V. Summarii* evidenter patet, nec enim ad aliud limitandum, aut ampliandum se extendit novissimum decretum. Hinc bene ad singulos §. additum fuit: *est indulgentia perpetua, &c.* ad quin-

tum verò §. notanter insertum est, quòd illæ Indulgentiæ ad octiduana exercitia spiritualia concessæ ad septennium tantùm se extendant. Unde si nostri Canonici octo tantùm diebus prædicta S. exercitia peragere, & plenarias indulgentias lucrari velint, Decreto extensionis septennalis, ejúsque renovatione post elapsum septennium opus habebunt; secus ad præscriptum Bullæ Pauli V. per decemdies eadem subire debebunt, ut indulgentias plenarias percipere valeant. Cæterùm nullus dubito, quin Illustrissima Congregatio Lateranensis notabilem favorem istum, & Pontificiam gratiam elabente septennali termino renovari sibi sit procuratura, & humillimè supplicatura, qua obtentâ gratiâ & nos gaudere, ac frui posse, Reverendissimi, & Illustrissimi D. D. Abbatis Generalis testantur Literæ.

CO-

COPIA,

ET BREVIS RELATIO NOVISSIMÆ

DECLARATIONIS

à

SACRA CONGREGATIONE

Indulgentiis, & S. S. Reliquiis præposita 7. Martii Anno 1722. emanatæ,

ET

A SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO DOMINO

INNOCENTIO XIII.

Pontifice Maximo clementissimè approbatæ

Qua

Certæ, & infra insertæ Indulgentiæ perpetuæ à SS. Dom. INNOCENTIO XII. Pont. Max. Canonicis Regularibus Congregationis Lateranensis concessæ.

Declarantur, decernuntur, & extenduntur pariter concessæ

Canonicis Regularibus S. Augustini ejusdem Congregationis in Diœcesibus Augustana, Frisingensi, Passaviensi, & Ratisbonensi existentibus

Ad porrectas preces

Reverendissimorum Prælatorum, & Canonicorum dictarum Diœcesium.

404 Cùm S. D. N. Innocentius XIII. in Brevi *cælestium munerum thesauros* (quod infra apponetur integrum) Anno 1699. 28. Martii, Indulgentias plenarias concesserit omnibus Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac S. Communione refectis, qui in festivitatibus S. P. N. Augustini, S. Monicæ illius genitricis, S. Patritij, S. Frigdiani, S. Ubaldi, nec non SS. Canonicorum Regularium 5. Martii aliquam Ecclesiam ex Ecclesiis quorumcunque Monasteriorum tam Canonicorum Regularium, quàm Monialium Congregationis Lateranensis hactenus erectis, & in futurum quomodocunque erigendis, ac ubique locorum existentibus devotè visitaverint, &c. Dubium non modicum inter nostros Theologos exortum fuit, an tam nostri Canonici, quàm Christi fideles utriusque sexûs præfatas Indulgentias valerent obtinere? Quidam desuper pro consilio requisiti absolutè negativam sententiam tenendam esse asseruerunt, eò quòd Ecclesiæ Canonicorum Regularium S. Augustini, licèt sint Congregationis Lateranensis, & illius Privilegiis, & spiritualium Charismatum participatione gaudeant, Reverendissimis, & Celsissimis D. D. Ordinariis Locorum in superiori Germania plerumque sint subjectæ, atque hinc ad promulgationem istarum Indulgentiarum competenter requiri illorum consensus debeat, qui tamen nunquam, aut vix dabitur, ubi specialis non est expressio Ecclesiæ, cui concessa Indulgentia certa asseritur. Dein saltem dubium non solùm speculativum, sed etiam practicum est, an reverà Congregatio Lateranensis in Instrumento aggregationis istas quoque indulgentias extensas, & communicatas Canonicis à se non immediatè dependentibus voluerit, vel extendere, & communicare potuerit. Stante autem dubio practico non licèt operari, ut concors est Theologorum dogma. Proin dictis indulgentiis non gaudent Ecclesiæ Can. Reg. in Germania &c. Hæc quorundam fuit opinio, quam examinare non libet. Aliorum contraria & longè probabilior fuit, Canonicos nostros nominatis Indulgentiis tutò frui, & gaudere posse ob factam aggregationem, vi cujus omnibus & singulis Privilegiis, immunitatibus, indultis, indulgentiis, gratiis, & prærogativis à summis Pontifici-

ficibus Congregationi Lateranensi quomodocunque concessis compotes facti sunt. Atqui inter indulgentias continentur etiam specificè memoratæ ab Innocentio XII. concessæ: ergo illis frui, & gaudere posse nostros Canonicos indubitatum videtur. Aliàs enim parùm aut nihil operaretur aggregatio Lateranensis. Præterea si S. Pontifex non restrinxit Breve ad solos Exemptos, cur nos restringamus, dummodo saltem membra sint ejusdem Congregationis aggregantis? Et sanè, nemo negabit, Ecclesias Capuccinorum, Franciscanorum, aliorúmque D. D. Ordinariis deficiente numero Personarum requisito, subjectas gaudere iisdem indulgentiis, quibus gaudet Ordo universus. Dubitari potuit de Monialibus, sed supposito ultimo decreto etiam hæ gaudent Ordinis universi indulgentiis, etsi D. D. Ordinariis subjectæ. Pennottus in hist. Cler. Regul. circa med. negavit hoc Canonicis Windesimensibus, unde obtinuerunt isti Anno 1718. 17. Febr. declarari, Ecclesias Canonicorum, & Canonissarum præfatæ Congregationis, ubicunque existentes participes esse omnium indulgentiarum, quibus gaudet Congregatio Lateranensium Canonicorum.

Ob has rationes Reverendissimus & Amplissimus D. D. Gelasius di Cilia p. m. ad SS. Andream & Magnum Præpositus præfatas indulgentias (sicut testantur ipsius literæ ad me datæ) ab aliquot annis sic in praxin redegit, ut eas nullatenus reclamante Reverendissimo Ordinariatu Ratisbonensi in singulis Ecclesiis, etiam Cadethrali, è suggestu denunciari, ac celebrari concessum hactenus fuerit. Enimverò quid reclament Reverendissimi D.D. Ordinarii? cùm nulla à Canonicis quæratur exemptio à jurisdictione Episcopali, & favor S. Ordini concessus sit à summo in terris Christi Vicario, cujus legem & gratiam immutare non potest inferior, quæ in ejus præjudicium, & jurisdictionis Episcopalis damnum nullatenus vergit, qualis est concessio dictarum indulgentiarum. Atque hæc opinio non modò probabilior, sed etiam Apostolico Brevi, ac novissimæ declarationi S. Congregationis conformior extitit. Cùm autem hujus Brevis frequens fiat mentio, hic, prout Româ fuit communicatum, subjicitur.

IN-

BREVE S. D. N.

INNOCENTIUS PP. XII.

405 AD perpetuam rei memoriam. Cælestium munerum thesauros, quorum dispensationem fidei nostræ commisit divina dignatio, prudenti liberalitate libenter erogamus, cùm id ad augendam fidelium religionem, fovendámque, & incitandam erga beatos Patriæ Cælestis Incolas, pietatem arbitramur in Domino profuturum. Volentes itaque Ecclesias tam Canonicorum Regularium, quàm Monialium Congregationis Lateranensis Ordinis S. Augustini, ut condignis frequententur honoribus, & fidelium ad eas confluentium devotio augeatur, aliquo spiritualium gratiarum munere decorare, supplicationibus dilecti filii moderni Abbatis dictæ Congregationis inclinati, ac de omnipotentis Dei misericordia omnibus & singulis, utriusque sexûs Christi fidelibus verè pœnitentibus, & confessis, ac S. Communione refectis, qui aliquam ex Ecclesiis quorumcunque Monasteriorum tam Canonicorum Regularium, quàm Monialium dictæ Congregationis hactenus erectis, & in futurum quomodocunque erigendis, ac ubicunque locorum existentibus in ejusdem S. Augustini, & S. Monicæ ejus Genitricis, nec non SS. Patritii, Frigdiani, & Ubaldi Episcoporum festis diebus, ac die 5. Martii, qua omnium Sanctorum Ordinis prædicti commemoratio ibidem fieri solet à primis Vesperis usque ad occasum solis dierum hujusmodi annis singulis devotè visitaverint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam concedimus, præsentibus futuris perpetuis temporibus valituris. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem vigesimo octavo Martii millesimo sexcentesimo nonagesimo nono Anno, Pontificatûs nostri octavo.

---

406 INterea lite non decisa, & dubio apud plures hærente optimum videbatur anxietatem omnem depellendi remedium, si ad Sac. Congregationem, vel ad Thronum gratiæ Summi in terris Christi Vicarii, Thesaurorum Cælestium Dispensatoris mediante supplici libello pro declaratione & approbatione humillimè accederetur. Quare Reverendissimis & Amplissimis D. D. unanimi consensu istud consiliũ probantibus R. R. P. Procuratori per literas causa Canonicorum fuit commissa, & apprimè cõmendata, qui etiam haustâ desuper informatione, & ad præsens negotium facientibus ritè instructus

ctus ad Sanctissimum Dominum nomine insertarum Collegiatarum Ecclesiarum sequentem humillimam porrexit supplicationem.

BEATISSIME PATER.

IN aliquibus Ecclesiis Collegiatis, seu Monasterialibus Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini superioris Germaniæ solent, & solitæ sunt publicari Indulgentiæ plenariæ in festis S. Augustini, S. Monicæ, S. Patritii, S. Frigdiani, ac S. Ubaldi, nec non die quinta Martii, qua Commemoratio omnium Sanctorum ejusdem Ordinis fieri solet, concessæ ab INNOCENTIO XII. S. M. Ecclesiis Canonicorum Regularium ejusdem Ordinis Congregationis Lateranensis. Quia verò ab inquietis, & pacis Christianæ æmulis spargebatur, dictas Ecclesias non gaudere prædictis Indulgentiis, eò quòd dicti Canonici Regulares in Germania superiori subjecti essent Ordinariis locorũ, idcirco pro parte, & quiete Ecclesiarum Collegiatarum, seu Monasterialium Beyrbergensis, Beyhartingensis, Bernriedensis, Diessensis, Dietranzellensis, Inderstorffensis, Pollinganæ, Raittenbuechensis, Ranshoviensis, Rotensis, Schlechdorffensis, Weyarnensis, & SS. Andreæ, & Magni Ratisbonensis, Frisingensis, Passaviensis, & Augustanæ Diœcesium humillimè supplicatur declarari, se supradictis Indulgentiis gaudere, sicut gaudent ipsæ Ecclesiæ Canonicorum Regularium ejusdem Ordinis S. Augustini Congregationis Lateranensis, cui sunt aggregatæ. Pro qua gratia, &c. &c.

Verùm hanc supplicationem Sanctissimus Dominus clementissimè susceptam ad Sacram Congregationem Indulgentiis, & SS. Reliquiis præpositam remisit, quæ Canonicorum Oratorum petitionem inter alia dubia in proxima Congregatione proponenda registrari, & in consueta forma tertio loco repositam conceptis terminis sequentibus typis Reverenda Cameræ promulgari mandavit. Quia tamen in materia Indulgentiarum perpetuarum cautissimè solet procedere Sacra Congregatio, pro voto Reverendissimus Procurator Lateranensis Congregationis requisitus fuit, qui etiam favorabiliter respondit, uti patet ex statim allegando. Citatio autem Congregationis in consueto loco affixa talis fuit. 407

Feria 2. die 1. Septembris 1721. In Palatio Apostolico Quirinali erit Sacra Congregatio Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præposita; in qua præter nonnullos supplices libellos, plerumque à Sanctitate sua remissos proponentur infra scripta dubia.

I.

Mexicana. Extra Muros Mexicanæ Urbis, &c.

II.

Monasterien. Monasteriensis, & Paderbornensis Episcopus, &c.

III.

Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini Superioris Germaniæ. In Ecclesiis Canonicorum Regularium S. Augustini Superioris Germaniæ publicari solent plenariæ Indulgentiæ in Festis S. Augustini, S. Monicæ, S. Patritii, S. Frigdiani, ac S. Ubaldi, nec non die quinta Martii, qua Commemoratio omnium Sanctorum ejusdem Ordinis peragitur. Quia verò à nonnullis in vulgus jactatur, prædictas Indulgentias esse nullas, eò quòd dicti Canonici Regulares in Germania superiori subjecti sint Ordinariis Locorum. Ideo humiliter supplicatum fuit pro declaratione, quòd prædictæ Ecclesiæ Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini in Diœcesibus Frisingensi, Augustana, Passaviensi, & Ratisbonensi existentes præfatis Indulgentiis gaudeant, quemadmodum iisdem fruuntur Ecclesiæ Canonicorum Regularium ejusdem Ordinis S. Augustini Congregationis lateranensis, cui sunt aggregatæ. Procurator Generalis dictæ Congregationis Lateranensis pro Voto requisitus exposuit, quæ sequuntur. *In obsequiū mandatorum hujus Sacræ Congregationis occurrit mihi dicendum, verum esse Congregationem Lateranensem gaudere prænarratis Indulgentiis in Festis supra expressis à Sa. me. Innoc. XII. concessis sub die 28. Martii, 1699. & insuper verum esse, Oratores esse legitimè aggregatos Congregationi prædictæ Lateranensi, & eo prorsus modo, quo fuit aggregata Congregatio Windesimensis tam Belgii, quam Germaniæ, & sicut sub die 17. Februarii, 1718. ut videre est sub parvo Regesto hujus Sacræ Congregationis, censuerunt EE. VV. ipsam Congregationem Windesimensem gaudere, sic in præsenti casu sum in voto propter easdem rationes, & addendas censeo etiam devotas preces meæ Congregationis. Nec videtur obstare, esse Oratores subjectos Ordinariis Locorum. Omnes enim subjecti sumus Summo Christi Vicario vel mediatè, vel immediatè. Sed hujusmodi subjectionem quis dicet posse tollere à nobis Communionem Sanctorum, & participationem spiritualium Charismatum? Hæc omnia superiori judicio EE. VV. subjicio. Datum in Canonica S. Mariæ de Pace die 15. Aug. 1721.*

D. Antonius Pace Procurator Generalis Congregationis Lateranensis.

Ex quibus Eminentissimi Patres summa, qua solent, sapientia decernere dignabuntur.

An Ecclesiæ Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini in præfatis Diœcesibus existentes reverà gaudeant Indulgentiis, de quibus agitur.

408 AD has supplices preces, & informationes pro parte Reverendissimorum Canonicorum S. Congregationi humillimè porrectas, postquam bina fuit indicta, ast propter graviora intervenientia negotia præpedita, Eminentissimi D. D. sententiam Canonicis favorabilem pronuntiârunt, decreverunt, & in consueta forma per Reverendissimum, & Illustrissimum D. Congregationis Secretarium expediri mandârunt, quam Eminentissimus D. D. Ludovicus Cardinalis Picus Præfectus propria manu subscripsit, & suo sigillo muniri jussit. Ejus tenor fuit.

DECLARATIO SIVE DECRETUM S. CONGREGATIONIS.

Feria 2. die 23. Februarii. 1722.

IN sacra Congregatione Indulgentiarum, & sacrarum Reliquiarum relatis supradictis precibus Eminentissimi Patres eidem Sac. Congregationi Præpositi respondendum esse censuerunt, Ecclesias Canonicorum Regularium Ordinis S. Augustini in præfatis Diœcesibus existentes reverà gaudere Indulgentiis, de quibus agitur. Quam Sacræ Congregationis sententiam per me Secretarium Sanctissimo Domino nostro Innocentio XIII. relatam die 4. Martii Sanctitas sua benignè approbavit. Datum die 7. Martii, 1722.

(L. S.)

L. Cardinalis Picus Præfectus.
Cosmus de Hieronymis Secretarius.

INNOCENTIUS. PP. XIII.

409 AD futuram rei memoriam Exponi nobis super fecerunt Dilecti Filii Canonici Regulares Ordinis Sancti Augustini Collegiatarum Ecclesiarum, seu Monasterialium Beyrbergensis, Beyhardingensis, Bernriedensis, Diessensis, Dietramzellensis, Inderstorffensis, Pol-

Pollinganæ, Raittenbuechensis, Ranshoviensis, Rorensis, Schlechdorffensis, Weyarensis, & SS. Andreæ & Magni, Ratisbonensis, Frisingensis, Passaviensis, & Augustanæ Diœcesiũ in Germania Superiori, quòd in dictis Collegiatis, seu Monasterialibus Ecclesiis Indulgentiæ plenariæ, quæ in S. S. Augustini, Moniceæ, Patritii, Frigdiani, ac Ubaldi Festivitatibus „ nec non die quinta Martii, qua Omnium Sanctorum ejusdem Ordinis commemoratio fieri consuescit, Ecclesiis Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis dicti Ordinis à rec. mem. Innocentio P.P. XII. Prædecessore nostro concessæ sunt, solent & solitæ sunt publicari. Verùm, quia ab inquietis, & Christianæ pacis æmulis pervulgatur, primodictas Ecclesias, tametsi illæ Congregationi Lateranensi aggregatæ sint, non gaudere dictis Indulgentiis, eò quia ipsi Exponentes jurisdictioni Ordinariorum locorum subjacent, Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in præmissis opportunè providere de Benignitate Apostolica dignaremur, Nos ipsos Exponentes specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & eorum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à Jure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatæ existunt, ad effectum præsentium duntaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati de venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Indulgentiis, & sacris Reliquiis Præpositorum consilio Ecclesias primodictas in prædictis Diœcesibus existentes Indulgentiis, quibus Ecclesiæ Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis hujusmodi fruuntur, & gaudent, reverà frui, & gaudere Auctoritate Apostolica tenore præsentium declaramus, salva tamen semper in præmissis Auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ Regula de non concedendis Indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris, die IX. Maji, M.DCC. XXII. Pontificatûs nostri Anno primo

F. C. Oliverius.

In

IN Nomine Domini. Amen. Præsens transumptum de verbo ad verbum accuratè collatum, diligenter revisum, in omnibus, & per omnia cum ipso Brevi Apostolico Originali (in omnibus, & per omnia pariter inviolato, ac illæso) concordare inventum, atque, ut idem indubia ubique adhiberetur fides manu propria subscriptum, ac signo Notariatûs munitum est per me Bennonem Zaisberger Can. Reg. Collegiatæ Ecclesiæ in Beyrberg Congregationis Lateranensis Decanum, SS. Theologiæ Doctorem, Auctoritate Apostolica Notarium Publicum, & juratum Monachii in ædibus Rottenbuechensibus coram Reverendissimo, Perillustri, & Amplissimo D. D. Patritio Celeberrimæ, & Antiquissimæ Ecclesiæ Collegiatæ Rottenbuechensis Præsule Congregationis Lateranensis Abbate vigilantissimo, & Archidiacono nato, præsentibus Admodùm Reverendis, Religiosissimo ac Clarissimo Domino Philippo Saller Insignis Collegiatæ Ecclesiæ Pollinganæ Canonico Regulari SS. Theologiæ Doctore p. t. Parochiæ in Forsterried Vicario, & Doctissimo Domino Martino Nideraner Presbytero, & Confraternitatis Matris Dolorosæ in Ducali Hospitali Monachii Pacti Mariani Executore testibus ad hoc specialiter vocatis & rogatis. Actum Monachii, Anno Millesimo Septingentesimo vigesimo secundo, Indictione decima quinta, Pontificatus autem Sanctissimi Domini Nostri Domini Innocentii Divina Providentia Papæ XIII. Anno secundo, Mensis Julii die trigesimo primo, & loco uti supra, &c. &c.

(L.S.)

Patritius Lateran. Abbas & Archidiaconus Natus.

Benno Zaisberger, Can. Reg. SS. Theol. Doct. Decanus, & Notarius Apost. Juratus.

Breve istud Apostolicum in Archivio dicti Collegii Rottenbuechensis asservatur.

Monumentum immortalis gloriæ S. Augustini.

410 AUgustinum Africæ dedit cælum,
Cælo reddidit Africa.
Magnum monstrum!
Fæcunda est monstrorum parens Africa,
Etiam dum homines parit.
Augustinus improbè adolescens, sanctè senescens,
Inter scelera & virtutes divisit ætatem.
Miserandus, quod ita vixerit,
Mirandus, quod ita desierit.
Primam vitæ partem ne rimeris; fætet illa,
In sordibus amissam deflevit ipse
Senior, sanior.
Dictum sit satis (nam cætera eluerunt lachrymæ)
Dignũ luce adolescens egit nihil.
Lucem noxis, noctẽ transegit luxu
Libidinis pyrausta;
Anteire malos maluit, quàm bonos sequi.
Mater interim pænitenda dũ plangit,
Filius committit;
Ita sordes sordibus cumulans
Ut assiduè inter eas volutus,
Candorem amiserit omnem:
Ipsam Dei syndonem Manichæa deturpavit fuligine.
Cecidit Augustinus;
Fidat nemo;
Convaluit;
Diffidat nemo.
Ætatis anno duo de trigesimo,
Hoc est,
Climacterico vitæ quarto;
A
Partu Magnæ Virginis
Climacterico quinquagesimo-quinto,
O nubila & obsita cæli consilia!
Redditur
Sibi, Matri, Ecclesiæ, Deo;
Nam oculos mortuus
Aperire cæpit, & convalescere.
Quid egerit postmodum, historiam audi.
Patientiam Dei irritatam,
Non iratam admiratus gemens
Ætatis florem, sed frugiperdam
Deploravit infrendens,
Tacitis oculorum vocibus:
Innumerum scelerum numerum ad rationes vocans,
Sui ipsius
Judex, vindex, testis, reus,
Corde emollito in dolorem,
Eliquato in aquas,
Verè filius lachrymarum
Instituit exomologæsin.
Mirum dictu!
Eadem, quæ scribit sordes lachryma, delet.

Et

Et quæ doloris est litera peccati sit
litura.
Ah!
Vide, quanto in fœnore sit pœnitere.
Augustinus lapsus atteritur totus,
Ut novus resurgat.
Nimirum Solem non pudet erupisse è tenebris.
Manumissus à vitiis
Sanctioris vitæ imbuitur
Magister,
Et sacræ militiæ authoratus,
Pro fide bellavit,
Non fide Punica, Punicus ipse.
Nemini in bello
Felicior, faustior, & fortunatior
Fuit fortuna.
Nam Fortunatum, Felicem, Faustum,
Tria malè ominata nomina,
Fecit
Infelices, infaustos,
Voce, calamo.
Et
Ne reliqua hæresum monstra abirent inulta,
Aliam adhuc triadem, æquè furialem
Manetem, Pelagium, & Arium,
Non unilingues, dogmatibus discordes
Nequitiâ, malâ causâ, mendaciis
Concordes,
Unus ipse
Felicitate pari, causa meliori,
Confodit, confudit.
Manetem ipso nomine insanum
Capite non sanum
Ne dignatum helleboro,
Styli confixit acumine,
Et nequiorem se Ario credebat;
Si pepercisset Ario.
Aliud Hydræ caput supereratDonatus
Natus ex Cerberi spuma;
Et hunc eadem calami gravitate contrivit.
Majora quàm geri possent, dum
gereret,
Subsidiarios advocat,
Qui pugnent
Cantu, tubis, calamis,
In
Odæis, lycæis, templis.
Fuisse hanc Canonicorum aciem
Augustini de nomine dictam
Regulis, doctrina, virtute vallatam,
Dicunt ipsi;
Et
Creditur,
Nam candidi omnes sunt:
Ipse Augustinus candidus totus.
Qui vitam retractaverat, retractat libros;
Veritatis amantior, quàm sui.
Prodigium fuisse ingeniorum
Non moror, non miror
Ingeniorum quippe monstrum,
Omnia collegerat in suo.
Prô quale ingenium, & quantum!
Athenæ, oquæ? Augustino sordent,
Marmore inclyta & auro displicet Roma,
Ipsa PlatonisRespublica, larva est.
Aliam & divinam architectatus
est Civitatem. Ad-

Ad quam Hippone obsessa migravit liber.
O felix Ecclesia!
Si crebriùs talibus bearetur monstris!

Ex R. P. Euchario Sartorio S. J. in S. Fundatoribus Religiosorum Ordinum.

CAPUT XII.

De Professione & S. Regula.

Sicut finis Religiosorum ordinum est communis, pefectio charitatis in hac vita acquirenda, ita Novitiatûs finis est professio post annum probationis à novitio emittenda; cùm enim sacra Religio ad perfectionem per certa exercitia sacra tum communia tum sibi propria tendat, annua, & integra probatio providè ab Ecclesia introducta fuit, ut intra id temporis Novelli Religiosi requisita S. exercitia addiscant, & satis deliberare possint, an etiam assumptum statum profiteri, atque in Sacram Regulam jurare liberè velint, vel non? statuta non minùs providè etiam fuit annua probatio in favorem Novitii, verùm & pro utilitate Religionis, quæ suos docet, nutrit, & quodammodo ablactat probátque, num aliquando genuini filii sperandi, & propterea in suum admittendi gremium, vel tanquam inutiles, refractarii, incorrigibiles velut filii Belial rejiciendi sint? Ultimò igitur instruendus est Tyro de eo, quod toto Novitiatu in intentione sua habebat, nempe de S. Professione, ut sciat, quid per eam Deo voveat, quantùm se Religioni obliget, atque adeò ignorantiam necessariorum in negotio summi planè in terris momenti prætendere nequeat. Sit proin.

AR-

ARTICULUS. I.

De Requisitis ad professionem, & quid sit?

SUMMARIUM.

411. *Ad Professionem deponendam requiruntur habitûs assumptio, integer probationis annus, ætas, & libertas. &c.*

412. *Ex parte Religionis debet procedere scrutinium capitulare, & consensus Prælati ac Capitularium.*

413. *In actuali Professione requiritur sui traditio, & Religionis acceptatio.*

414. *Definitur Professio.*

415. *An liceat defectum notabilem reticere, & an tunc valeat Professio?*

416. *Duo Corollaria.*

417. *Professio est Baptismus secundus.*

411 EX dispositione S. Conc. Trid. Sess. 25. de Regular. cap. 15. & 16. Ad Religionem solemniter vovendam, & validè profitendam sequentia requiruntur, ita, ut sine his professio sit nulla. 1. Debet præcedere habitûs Religiosi assumptio, & per annum probationis integrum gestatio.

2. Requiritur, ut à die suscepti habitûs annus probationis seu Novitiatûs sit *integer* mathematicè completus de momento in momentum, adeò, ut non sufficiat ultimum diem esse inceptum, sed requiratur completum, imò etiam *continuus* esse debet, id est sine morali interruptione; ad Novitiatum autem interrumpendum hæc tria simul concurrant, necesse est: 1. Animus derelinquendi statum Religiosum. 2. Actualis egressio illo animo facta. Et 3. habitûs regularis dimissio.

3. *Ætas*, seu annus decimus sextus completus in Novitio necessarius est.

4. *Libertas*, ita, ut Novitius sit prorsus liber ab omni coactione, metu, & minis, aut nimiis blanditiis, precibus Parentum, Consanguineorum, quibus sæpiùs repetita à Prælato, aliis Superioribus, & confratribus imperii importunitas accedit, atque hisce non rarò Novitii animus movetur, ut contradicere non audeat ob incussum metum gravis offensionis, & diu durantis apud amicos suos, vel Parentes indignationis, si ad sæculum redierit. Ab istis omnibus, inquam, liberum oportet esse No-

Novitium, ita, ut sponte suâ, & post maturam considerationem, quæ omnibus Novitiis in octiduanis exercitiis sacris, & ultimo celebrato capitulo apud nos paucis ante diebus exhiberi solet, libenti animo, quieto, & læto, cum humilitate, & perseverantia per misericordiam Dei ad professionem admitti postulet, & admissus eam ita deponat. Atque hæc præcipué ad professionem deponendam prærequiruntur in Novitio.

412 Ulteriùs ex parte S. Religionis præcedere debet 1. scrutinium Capitulare de moribus, scientia, aliísque dotibus Novitii, ut meritò æstimetur idoneus ad finem, & media Religionis, quam profiteri desiderat. Ita constituit Sixtus V. constit. incip. *Cùm de omnibus Eccl. Ordinibus*. Edita Anno 1587. ùt refert Rmus Guettrather in *Instit. Jur. Can. L. 1. tit. 30. de Regular. n. 13.*

2. Præcedere debet consensus Prælati, & majoris partis Capituli acceptantis Novitii petitionem, & ita singilatim vota cujuslibet Capitularis perquirantur, uti in aliis Collegii negotiis gravioribus fieri solet, cùm, quòd omnes tangit, ab omnibus singilatim approbari debeat.

413 In ipsa autem professione, seu ad actum solemnem professionis duo præcipua desiderantur. 1. Ut religiosus juxta professionis formulam præter tria vota se ipsum Religioni perpetuò, & irrevocabiliter tradat, & libertatem suam Superiori subjiciat, qui dein hanc sui ipsius traditionem acceptat nomine suæ Ecclesiæ, & Religionis, quod est secundum requisitum in actu Professionis, quæ consistit in traditione profitentis, & acceptatione Superioris. Proin

Professio rectè describi potest, 414
quòd sit *contractus sacer, quo per tria vota paupertatis, castitatis, & obedientiæ solemni, & publico ritu emissa, voluntarie se homo Novitius post annum probationis expletum tradit Deo ad observandum institutum Canonicorum Regularium, & modum vivendi secundùm regulam S. Augustini*, qui modus vivendi Apostolicus ab ipsa Ecclesia fuit approbatus, ita, ut prædictam Novitii traditionem nomine Dei, Ecclesiæ, & Collegii nostri Beyrbergensis Præpositus, aut alius delegatus Superior cum consensu Capituli acceptet, & ratihabeat. Ex qua definitione Canonicæ nostræ Professionis liquidè constat, quòd sit vera quædam dedicatio sui ipsius in holocaustum Deo, cui primariò vovetur, prout Art. sequenti inclarescet.

Utiliter quærere potest Novi- 415
tius, an liceat sibi, defectus suos quosdam v. g. morbum internum irreparabilem, gravem defectum auditûs, visûs, vel malitiosam intentionem religioso statui

tui repugnantem dolosè celare, ne ad præfatum scrutinium veniant, & propalentur? Et si desuper interrogatus negaverit, an tunc professio sit nulla?

R. Si à Superioribus legitimè fuerit interrogatus, sicut ante professionem examinari debet, & solet, tenetur Novitius defectum notabilem, prout in se est, manifestare, & si dolosè celaverit, professio ejus erit invalida ex parte Religionis, cujus ratio est, quòd professio non tantùm sit actus Religionis, quo Novitius se Deo devovet, sed etiam verus contractus inter S. ordinem, & profitentem: sicuti ergò alii contractus Civiles ex summâ justitia propter occultos defectus essentiales habentur nulli; ita quoque professio nulla erit ex parte Religionis, quæ deprehensis defectibus ejusmodi, priùs jam in examen deductis, taliter professum expellere potest. Ita S. Ordinibus providit S. Pontifex Leo decimus constitutione, quæ incipit: *Quæ sicut nobis, &c.* Et D. D. Salmant. apud P. Guettrat. hic n. 16.

Dixi: *ex parte Religionis*; nam hæc tanquam decepta potest resilire à suo contractu, non verò ipse Religiosus, ex cujus parte professio tenet, & habet vim voti simplicis, & obligationis ad S. Regulam, quamdiu ab ordine non expellitur, ita Azorius, Lezana, & communis D. D. in speculo Monastico Philip: à Dna. nostra 7. dol. de profess. regular. 14.

Ex his duo specialia deduci possunt, primò, quòd Religio certas conditiones ad professionem addere valeat sive de præsenti, sive de futuro, ita, ut adveniente conditione, & adimpletâ absque alio novo consensu professio fiat valida, & transeat de conditionata in absolutam. Sanchez l. 5. in decal. c. 4. n. 88. Speculo Monast. hic n. 12. Secundò, quia omni contractui voluntario, qualis etiam professio ex definitione censetur, conditiones opportunæ apponi queunt, emitti quoque valet professio, quæ obliget solum profitentem, non verò ipsam Religionem; cùm plus non requiratur ad essentiam statûs Religiosi, quàm immobilis, & perpetua traditio sui ipsius in obsequium divinum S. Religioni, quæ istam acceptare posset, quin sese vicissim perpetuò obliget, ùt patet apud P. P. inclytæ Societ. JEsu. & in quibusdam sacris locis quoad fratres Laicos practicatur, qui tantùm prædicta vota simplicia emittunt, nec Religio reciprocè perpetuò obligatur illis. 416

Baptismus Secundus.

417 PRofessio religiosa à S. S. P. P. non incongruè appellatur *Baptismus secundus*, nam sicut vera susceptione Sacramentalis ablutionis, sive baptismi omnia delentur peccata, & originalis abstergitur macula; ita per professionem religiosam, qua quis se totum perpetuo Numinis Divini obsequio mancipat, diluuntur omnia scelera, purgantur crimina, & animam inquinantes detergentur sordes. *Si enim* (sunt verba Angelici D. 2. 2. Q. 189. a. 3. ad 3.) *aliquibus eleemosynis factis homo potest statim satisfacere de peccatis suis secundùm illud Dan. 4. peccata tua eleemosynis redime: multo magis in satisfactione pro omnibus peccatis sufficit, quòd aliquis se totaliter divinis obsequiis mancipet per Religionis ingressum* (& à fortiori per ejusdem solemnem professionem) *qua excedit omne genus satisfactionis etiam publica pœnitentia, ut habetur in Decretis 33. Q. 2. can. admonere. Sicut etiam holocaustum excedit sacrificium, ut M. Greg. hom. 20. in Ezech. dicit. Unde legitur in vitis P. P. quòd eandem gratiam consequuntur Religionem intrantes*, ac eandem profitentes, *quam consequuntur baptizati.* Atqui baptizati consequuntur plenariam peccatorum remissionem: ergo similem consequuntur Religionem profitentes. Cum sancta doctrina Sancti Doctoris consentiunt etiam celebratissimi Ecclesiæ Doctores S. Hieronymus in *Epist. ad Demetriadem*, & S. Bernardus L. *de præcept. & dispens. c. 23.* dum uterque expressis verbis religionis ingressum & professionem illius *secundum* vocat *baptismum*. Ob tantas Religionis prærogativas innumerabiles viri S. Ordinem ingressi, & professi sunt, quibus placeat hìc accensere *Augustinum de Novis Ticinensem*, qui cùm jurisprudentiæ jam Candidatus esset, relictis omnibus, quos mundus illi parabat, honoribus alterum suscepturus baptismum Lateranensi Congregationi nomen dedit non sine magno spiritualis proprii profectûs incremento, & ipsius S. Ordinis emolumento.

Siquidem innocentiam vitæ insigni doctrinæ conjungens, Theologiæ, & juris tam Pontifici quàm Cæsarei Lauream adeptus, & mox calamum stringere jussus est contra quorundam æmulantium, ac injuriosis scriptis Canonicum Ordinem invadentium conatus edito validissimo suo *Propugnaculo Ordinis Canonici in 5. partes distributo*, quo adversariorum molimina non tantùm evanida reddidit, sed etiam penitus fregit, & contrivit.

Ob ingentia virtutum & doctri-

næ merita visitator primùm, mox Rector sive Abbas Generalis totius Congregationis in Comitiis Bononiensibus renuntiatus, de restitutione Patriarchii Lateranensis agere cæpit, & annuente Alexandro VI. S. P. ad exitum sub certis legibus perduxit negotium, nî fata viam immaturam præclusissent; Joanne Baptista Cardinale Ursino rei promotere decedente. Regimine suo laudabilissime functus post quatuor annos iterum in generali Synodo Ravennæ celebrato, totius Congregationis Supremus moderator electus est. Sed qui valuit Augustinus prudentiâ in gubernando, calamoque in scribendo, profuit quoque linguâ saluberrimæ documenta moralia populo è suggestu proferendo, quo in munere sicut plurimùm se exercuit per 40. ferè annos, potiora Italiæ loca lustrans & illustrans.

Tandem pro animi voto in civitate Papiensi Collegium (*cœlum aureum*, ubi corpus S. P. N. asservatur) Congregationi Lateranensi inseri vidit, & Mortarii in Canonia S. Crucis ab ipsomet per plures laudabiliter gubernata annos obiit Anno 1520. sed scripta manent, & transit irrevocabile verbum. Scripsit

Propugnaculum Ordinis Canonici &c. lib. 1.

Scrutinium Tripartitum &c. l. 1.

Elucidarium Christianarum Religionum. l. 1.

De origine & proventu Christianarum Religionum l, 1.

Compendium Speculi Crucis. lib. 1.

Dialogus de altitudine consilii divini. l. 1.

Expositio in Regulam Divi Patris Augustini. l. 1.

Collationum. l. 1.

Expositio in Psalmum, *Deus in nomine tuo salvum me fac &c.* l. 1.

Scrutinium de docta ignorantia. l. 7.

Clipeus Veritatis. lib. 1.

Vita D. P. Augustini, & B. Matris Monicæ. l. 1.

Vitæ breves præcipuorum SS. Canonicorum Regularium. l. 1.

Historia quadripartita Rerum gestarum ab origine mundi sex tomis comprehensa. Lib. 56.

Basilius Serenius Mediolanensis in ejus laudem sequens carmen scripsit.

Quale sereno proles Thaumantia cœlo
  Nobile terrigenis monstrat in axe decus:
Tale jubar terris roseo devexit ab axe
  Candida Religio, quo decorata micat.

ARTICULUS II.

Variæ Professionum formulæ, & Ordo Professionis Canonicæ modernæ describuntur, cujus partes singillatim exponuntur.

SUMMARIUM.

418. *Antiqui varias habebant Professionis formulas, non tamen à modernis distinctis specie, nisi accidentaliter.*
419. *Referuntur ejusmodi formulæ.*
420. *Modus profitendi in Canonia Beyrberga hodie usitatus.*
421. *Formula Professionis recitatur, & dein singillatim exponitur.*
422. *Nomen Neo-Professi quid Mysterii contineat.*
423. *Explicantur tria vota.*
424. *Oblatio.*
425. *Traditio Ecclesiæ N.*
426. *Loci stabilitas.*
427. *Et firma usque ad mortem promissio facta Prælato ejusque successoribus.*
428. *Per specificatam Obedientiam triplici modo intelligendam.*
429. *Petitio divinæ gratiæ pro implenda Professione, & ultima confirmatio.*
430. *Professio est holocaustum acceptabile Deo.*

418 ANtequam ad expositionem formulæ professionis procedamus, spectare lubet diversos antiquos, & novos profitendi modos. Nam, uti patet ex *cap. præcedente a. 1. à num. 320. & sequent.* Tam ante, quam post tempora S. P. Augustini illustrissimi Ecclesiæ Luminis, ac illuminatissimi Doctoris nullus determinatus Regularem profitendi vitam, & vota emittendi modus extitit, proin nulla quoque formula professionis determinata, & Canonicis Regulariter viventibus assignata erat. Illucescente tandem sæculo XI. sicut majores radii Regularis & strictioris vitæ diffundebantur, dum magna Canonici Ordinis sidera S. S. Ivo, & Arnulphus in Gallia, Heldemarus in Belgio, Albertus in Palæstina, Conradus Salisburgensis in Superioris Germania ignito flagrabant Zelo; & Apostolicam vitam renovato fervore lucidiorem reddere moliebantur per diffusam undequaque auream magni Augustini Regulam, ita quoque cum refor-

formato vivendi modo forma etiam ejusmodi Regularem vitam profitendi exorta fuit diversa quidem *accidentaliter* pro varietate nationum, eadem tamen pro omnibus in *essentia*, conveniens judicatur. Proin solùm notandum mihi venit, quòd in hisce etiã post sæculum XI. constitutis formulis Professionis Canonicæ non vota omnia explicitè nominata inveniantur, sicut in modernis infra mox referendis post quasdam antiquiores. Quin nec in modernis conveniunt omnes & singuli, sed quodlibet Collegium certum professionem deponendi modum, certas preces, cæremonias, & solemnitatem ostendendi rationes habet. Quæ tamen ipsam professionem Canonicam neutiquam specie diversam reddunt, ut est evidens, satísque probatum.

419 Variæ Professionum Formulæ.

Sic formula à Canonicis S. Antonini Rutenensis ad nostrum usque sæculum usurpata fuit. Ex Tabulario ejusdem Canonicæ nostræ.

Ego, Frater Franciscus du Masbon Canonicus Regularis Ordinis S. Augustini in oppido S. Antonini, promitto stabilitatem in hoc loco, profiteor Clericatum & Sanctitatem vitæ secundùm constitutionem B. Augustini & cæterorum Patrum, ut observatur in hoc Capitulo, promitto etiam obedientiam Domino Priori Majori, & Domino Priori Claustrali in hoc loco constitutis, & eorum successoribus canonicè intrantibus, ut planè continetur in statutis Capituli. In quorum fidem hic me signavi Anno Domini 1645. & die 29. mensis Junii. Du Masbon.

Tum recitatis quibusdam psalmis, statísque precibus, Domini Canonici eundem du Masbon salutarunt in osculo singulatim dicentes: recipio te in Canonicum & fratrem.

II.

Formula, prioribus quidem sæculis, à Canonicis Aurea-vallis apud Pictones; postremo autem sæculo à Canonicis S. Launi Toarcensibus usurpata. Ex Tabulariis utriusque Canonicæ.

Ego frater N. trado me Ecclesiæ S. Petri de Aureâ-valle coram Domino Abbate N. & reliquis fratribus, ita ut ab hac die jam non liceat mihi collum excutere à jugo Canonicæ Regulæ; de cæterò castè, & communiter, & obedienter, Deo authore, victurus; & in hoc loco sub Regula S. Augustini tota vita mea Deo serviturus.

III.

Incipit Votum Canonici Regularis de Valleja Carnotensi. Ex Chartario ejusdem Abbatiæ.

Ego, N. promitto Deo, & beato Joanni Baptistæ, in præsentia Domini M. Abbatis, adjuvante Dei gratiâ, me servaturum castitatem, & communis vitæ societatem: promitto quoque huic Sanctæ

ctæ Ecclesiæ corporis mei stabilitatem, & Prælatis meis obedientiam, quantum possibilitas mea permiserit, secundùm Canonicam institutionem.

IV.

Formula, qua olim utebantur in Senonensi B. Joannis Canonica Regulares Clerici. Ex Tabulario ejusdem Abbatia.

Ego, Frater N. Religiosus Monasterii S. Joannis Senonensis Ordinis S. Augustini, promitto Deo, & B. Mariæ, & S. Joanni Evangelistæ in præsentia Domini & Fratris Edmundi Garnier prioris hujus Monasterij, adjuvante Dei gratiâ, me servaturum Castitatem, humilitatem, & communis vitæ Societatem: promitto quoque huic Sanctæ Ecclesiæ corporis mei stabilitatem, & Prælatis meis obedientiam, quantum possibilitas mea permiserit, secundùm Canonicam Institutionem. Actum in prædicto Monasterio Anno Domini 1603. die verò nonâ mensis Octobris.

V.

Formula, quam multa Regularium Canonicorum Ecclesia, tam Cathedrales, quàm Secundaria totam & integram uno fortè aut altero nullius momenti verbo excepto, diu retinuere. Ex Tabulario Piperacensi.

Armandus de Flaghaco Abbas Piperaci. Notum facimus universis &c. Quod infrà Missarum solemnia in altari, B. M. Piperaci recepimus ad professionem nostri Ordinis Religiosum fratrem Jacobum Pomery Canonicum dicti Monasterii, ipseque frater vota professionis emisit, ut sequitur: Ego frater Jacobus Pomery offerens trado me ipsum Ecclesiæ B Mariæ Piperaci, & promitto Obedientiam secundùm Canonicam Regulam B. Augustini Domino Armando de Flaghaco Abbati Piperaci & Successoribus ejus, quos sanior pars Congregationis Canonicè elegerit: aliáque vota in talibus emitti debita & consueta comittendo, ipsúmque recepimus ad osculum pacis, servatis solemnitatibus juris, &c.

VI.

Formula ex Episcoporum Bellicensium Serie. Authore S. Guichenon. p. 144.

Ego, Frater Joannes à Camera, offerens me ipsum Deo, & Ecclesiæ S. Joannis Baptistæ, promitto obedientiam secundùmCanonicam Regulam S. Augustini & Reverendissimo Domino N. præsentis Ecclesiæ Episcopo, & Domino Priori, ac Successoribus ejus, quos sanior pars Congregationis Canonicè elegerit. Die 24. Mensis Martii Anno Domini 1573.

VII.

Ex Tabular. Abbatia de Malo-leone, & Prapositura Evahonensis.

Ego, Frater N. offero me ipsum divinæ pietati serviturum in Ecclesia Sancta Trinitatis Mali-leonis

leonis sub Canonica Regula S. Augustini, sine proprietate, & cum Castitate, & promitto Obedientiam Domino N. Abbati & Successoribus, quos Sanior pars ejusdem Congregationis in ipsa Ecclesia secundùm Deum elegerit.

VIII.

Formula, qua Aroasienses Canonici consecrari jam pridem consuevere.

Ego, Frater N. jam abrenuntiatis omnibus proprietatibus, tibi, Reverendo Patri & Domino hujus Monasterii Abbati, & tuis successoribus promitto obedientiam, Castimoniam, & hujus loci stabilitatem, vitámque Canonicam secundùm Regulam B. Augustini, & ejusdem loci statuta usque ad mortem.

IX.

Formula Canonicæ professionis repetita ex l. 1. Regula Portuensis c. 9.

Probati, si suscipiendi videntur, legalem ante omnia de Patrimoniis & rebus suis, si habeantur, dispositionem faciant, ea vel propinquis relinquentes, vel pauperibus erogantes, vel Ecclesiæ offerentes. Qua facta, deducantur in Choro & Clerici secundùm usum & ordinem efficiantur. Post hæc præsentibus fratribus prostrati in medio legant cardulam continentem hæc vel similia verba. Ego, N. me ipsum omnipotenti Deo offero, & servitium ac stabilitatem meam his Sanctorum pignoribus; obedientiam quoque Prælatis hujus Ecclesiæ secundùm Deum, & Ordinem vestrum in eo promitto.

X.

Formula Canonicæ professionis præscripta à Cardinale Placentino Branda authoritate Apostolica Ecclesiarum ac Monasteriorum per Allemaniam generali Reformatore & Anno 1422. Martini Papæ V. Anno V. Legato Pontificio ut habetur in statutis ab eodem approbatis Capitulo 19.

Statuto verò Die ad professionem recipiatur &c. & manus suas in manus Prælati cū schedula mittat, & professionem suam per se expresse, ut ab omnibus fratribus audiatur, ita legat. Ego N. facio professionem & offerens trado me ipsum Ecclesiæ S. N. in N. & promitto obedientiam secundùm Regulam S. Augustini vobis Domino N. Præposito dictæ Ecclesiæ: quod ero obediens vobis & Successoribus vestris ritè & canonicè intrantibus secundùm dictam Regulam usque ad mortem.

Conversi fratres Laici verò dictam formulam ita deponebant in vernacula prout in dictis statutis continetur. Ich Bruder N. opffer und gib mich selbst der Kirchẽ St. Peter/u. St. Pauls der Zwölff-Botten zu Beyrberg/und gelob gehorsam nach der Regel Sanct Augustini euch Herren N. der vorgenanten Kirchen Probste und euren Nachkommen/ die der fürnemmest und wäger Theil der Sammlung redlich

redlich und ordenlich erwöhlt / nach der ehgenanten Regel biß in Tod.

XI.

Formula Professionis moderna ab Anno 1621. in Canonia Pollingensi usurpata.

Ego, N. facio Professionem, & offerens trado me, ipsum Ecclesiæ S. Salvatoris, & promitto Deo omnipotenti, me amodò victurum secundùm Regulam S. Augustini in continentia, & sine proprio: promitto quoque obedientiam secundùm eandem Regulam Vobis Domino N. Præposito hujus Ecclesiæ, & omnibus Successoribus vestris ritè & canonicè intrantibus usque ad mortem, ut à Domino centuplum accipiam, & vitam æternam possideam, in nomine Patris, & Filii, & Spiritûs Sancti. Amen.

Modus professionem solemnem deponendi in nostra Canonicali Ecclesia Beyrbergæ, est, ut hic sequitur, quem alia Bavariæ Collegia, si non omnino; certè in præcipuis adhuc servant, quantùm quidem mihi constat ex relationibus variis.

Ordo Professionis.

STatuto die Novitius post offertorium majoris missæ ad gradus summi Altaris veniat portans habitum professorum, ibi se prosternat. Cantor incipiat antiphonam

Veni Sancte Spiritus reple &c.

Dein ℣. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur.*

℟. *Et renovabis faciem terræ.*

Oremus.

DEus, qui corda fidelium Sancti Spiritûs illustratione docuisti, da nobis in eodem spiritu recta sapere, & de ejus semper Consolatione gaudere. Per Christum &c.

Benedictio Vestium.

℣. Adjutorium nostrum in Nomine Domini

℟. Qui fecit cœlum, & terram

℣. Dominus Vobiscum

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DOmine JEsu Christe, qui tegmen nostræ mortalitatis induere dignatus es, obsecramus immensam tuæ Largitatis abundantiam, ut hoc genus Vestimenti, quod S.S. Patres ad innocentiæ & humilitatis inditium ab renuntiantibus sæculo ferre sanxerunt, ita bene † dicere digneris, ut hic famulus tuus, qui hoc usus fuerit, te induere mereatur.

Deus æternorum bonorum fidelissime provisor & certissime persolutor, qui vestimentum salutare & indumentum æternæ jucunditatis fidelibus tuis promisisti, te suppliciter exoramus, ut hæc indumenta humilitatem cordis,

dis, & contemptum mundi significantia, quibus famulus tuus sancto visibiliter informandus est proposito, propitius bene † dicas, & beatæ religionis habitum, quem te inspirante suscepit, te protegente custodiat, & quem veste venerandæ religionis indui temporaliter, beata facias immortalitate vestiri. Per Dominum. &c.

Oremus.

VIsibilium omnium & invisibilium Conditor Deus, adesto propitius in vocationibus nostris, ut hæc indumenta Sanctitatis effigiem ostendentia desuper gratia irrigante benedicere, & sanctificare digneris. Per Domnum. &c.

Postea aspergantur, & turificentur vestes.

Novitius Levetur per minstros, & exuatur veste novitiorum dicendo.

Exuat te Dominus veterem hominem cum actibus suis.

Deinde induatur habitu professorum dicendo.

Induat te Dominus novum hominem, qui secundùm Deum creatus est, in justitia & sanctitate veritatis.

Novitius se iterum prosternat, & dicantur preces istæ.

℣. Salvum fac servum tuum Domine.

Si plures fuerint: Salvos fac servos tuos. Domine &c. & ita R. mutentur.

℟. Deus meus Sperantem in te

℣. Mitte ei Domine auxilium de Sancto

℟. Et de Syon tuêre eum

℣. Nihil proficiat inimicus in eo.

℟. Et filius iniquitatis non nocebit ei

℣. Esto ei Domine Turris fortitudinis

℟. à facie inimici.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat,
Dominus Vobiscum
Et cum spiritu tuo

Oremus.

DEus indulgentiarum pater, qui severitatis tuæ districtionem temperas, ne filius portet iniquitatem filii, & qui mira dispositione etiam malis benè utens tuæ dignationis gratiam frequenter per eos operaris, quæsumus clementiam tuam, ut huic famulo tuo non obstet, quòd habitum religionis per nos tanta ac tali re indignos accepit, sed ministerium, quod per nos exteriùs exhibetur tu interiùs per donum Sancti Spiritus exsequaris. Per Christum &c.

Omnipotens sempiterne Deus immensam Clementiam tuam suppliciter exoramus, ut præsentem famulum tuum, cui in sancto nomine tuo sanctæ religionis habitum imponimus benedicere & sancti † ficare digneris, quatenus in proposito regulari sic tibi servi-

re valeat, ut ad vitam pervenire mereatur æternam perDominum &c.

Postea erectus Novitius per ministros genua flectat ante præsidentem & manus ante pectus levando dicat ter hunc versum.

Suscipe meDomine secundùm eloquitum tuum, & vivam, & non confundas,me ab exspectatione mea.

℟. *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.*

℣. *Gloria Patri.* &c. ℟. *Sicut* &c.

Prosternat se Novitius, & legantur psalmi sequentes.

MagnusDoimnus&Laudabilis nimis: in civitate Dei nostri in monte sancto ejus.

Fundatur exultatione universæ terræ mons Syon: latera aquilonis Civitas Regis magni.

Deus in Domibus ejus cognoscetur: cum suscipiet eam

Quoniam ecce Reges terræ congregati sunt: convenerunt in unum.

Ipsi videntes sic admirati sunt, conturbati sunt. Commoti sunt: tremor apprehendit eos.

Ibi dolores ut parturientis; in spiritu vehementi conteres naves Tharsis.

Sicut audivimus, sic vidimus in Civitate Domini virtutem, in Civitate Dei nostri: Deus fundavit eam in æternum.

Suscepimus Deus misericordiam tuam: in medio templi tui.

Secundum nomen tuum Deus sic & laus tua in fines terræ · justitia plena est dextera tua.

Lætetur mons Syon, & exultent filiæ Judæ: propter judicia tua Domine.

Circumdate Syon, & complectimini eam: narrate in turribus ejus:

Ponite corda vestra in virtute ejus: & distribuite domos ejus, ut enarretis in progenie altera.

Quoniam hic est Deus, Deus noster in æternum, & in sæculum sæculi: ipse reget nos in sæcula. Gloria Patri &c.

Psalmus Miserere &c.

ECce quàm bonum, & quàm jucundum: habitare fratres in unum.

Sicut unguentum in capite: quod descendit in barbam barbam Aaron.

Quod descendit in oràm vestimenti ejus: sicut ros Hermon, qui descendit in montem Syon.

Quoniam illic mandavitDominus benedictionem; & vitam usque in sæculum. Gloria Patri. &c.

Lytaniæ.

Per ministros dicendæ, respondente Choro.

KYrie eleison,
Kyrie eleison,
Christe eleison,

Chri-

Christe audi nos
Christe exaudi nos.
Sancta Maria } ora pro nobis
Sancte Michael }
Omnes Sancti Angeli & Archangeli. Orate &c.
Sancte Joannes Baptista. Ora &c.
Omnes S. S. Patriarchæ & Prophetæ, Orate &c.
S. Petre. Ora
Omnes SS. Apostoli & Evangelistæ. Orate &c.
S. Georgi. Ora
Omnes SS. Martyres. Orate.
S. Augustine. Ora.
Omnes SS. Confessores. Orate.
S. Maria Magdalena. Ora.
Omnes SS. Virgines & Viduæ. Orate.
Omnes SS. Dei, intercedite pro nobis
Propitius esto. Parce nobis Domine
Propitius esto. Exaudi nos Domine
Ab omni malo. } libera nos Domine
Per crucem tuam }
Peccatores. } te rogamus audi nos
Ut pacem nobis dones. }
Ut Ecclesiam tuam sublimare digneris. }
Ut præsentem fratrem visitare & consolari digneris.
Te rogamus &c.
Ut spatium pœnitentiæ, & emendationem vitæ ei dones. Te rogamus &c.
Ut gratiam sancti spiritus cordi ejus clementer infundere digneris Te rogamus &c.
Fili Dei. Te rogamus &c.
Agnus Dei, qui tollis peccata mundi. Parce &c.
Agnus Dei. &c.
Agnus Dei. &c,
Kyrie eleison.
Christe eleison.
Kyrie eleison.
Pater noster. &c.
℣. Solvos fac servos tuos
℟. Deus meus sperantes in te
℣. Mitte eis Domine auxilium de sancto
℟. Et de Syon tuêre eos.
℣. Nihil proficiet inimicus in eis
℟. Et filius iniquitatis non nocebit eis
℣. Esto eis Domine turris fortitudinis
℟. à facie inimici
℣. Domine exaudi orationem meam
℟. Et clamor meus ad te veniat
℣. Dominus vobiscum.
℟. Et cum spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui non vis mortem peccatoris sed pœnitentiam, & emendationem vitæ semper requiris, te suppliciter deprecamur, ut huic famulo tuo sæcularibus actibus renuntianti largam tuæ pietatis gratiam infundere digneris, quatenus castris tuis insertus ita tibi militando statum vitæ

præsentis percurrere valeat, ut bravium æternæ remunerationis te donante percipiat. Per eundem &c.

Oremus.

DEus, qui renuntiantibus sæculo mansionem paras in cœlo, dilata hujus Congregationis temporale habitaculum cœlestibus bonis, ut fraternæ teneantur in compagine charitatis unanimes, continentiæ custodiant præcepta, sobrii, simplices, & quieti gratis sibi datam professionis tuæ gratiam fuisse cognoscant, concordet eorum vita cum nomine, ut professio sentiatur in opere. Per Christum &c.

Tunc levetur per ministros, & veniat ad gradus summi altaris schedulam tenens, quam manu propria scripsit, & flexis genibus manus suas in manus Prælati ponat, & expresse legat formulam Professionis inferius citatam. Quam offerat ad altare, & postea se prosternat.

Sequuntur preces.

℣. Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis

℟. A templo sancto tuo, quod est in Jerusalem.

℣. Convertere Domine usquequo,

℟. Et deprecabilis esto super servos tuos.

℣. Domine exaudi orationem meam,

℟. Et clamor meus ad te veniat.

℣. Dominus Vobiscum

℟. Et cum Spiritu tuo.

Oremus.

DEus, qui hunc famulum tuum à sæculi vanitate conversum ad supernæ vocationis accendis amorem, pectori illius purificando illabere, & gratiam ei, qua in te perseveret, infunde, ut protectionis tuæ munitus præsidiis, quod te donante promisit, impleat, & suæ professionis executor effectus ad ea, quæ credentibus in te dignatus es promittere, pertingat. Per Dominum. &c.

Aspergatur aqua benedicta, & turificetur, & dicat Prælatus.

Mortuus es mundo, & sepultus es Christo, & vita tua abscondita est, cum Christo in Deo.

Deinde Prælatus tradat ei librum Regulæ, quem profitens manu tangat, per quem tactum tradit ei Societatem Congregationis dicens.

Omnes quamvis per gratiam Baptismi fratres sumus in Christo, & patrem unum habemus in cœlo, si ejus præceptis prout possumus, obsequimur procul dubio, tunc maximè unimur, quando orationibus & beneficiis invicem nos ipsos copulamus, quemadmodum in primitiva Ecclesia, quibus cor unum erat & anima una, quorum amore plures accensi, mente possessiones & facultates rerum vendentes congregati cum Matre JEsu in unum deferebant gaudentes, qua Apo-

sto-

stoli accepta tribuebant, omnibus prout cuique opus erat, sicque ille nihilominus Deo inspirante eorum exemplo commonitus nostris optat jungi consortiis.

Idcirco damus ei communionem & societatem vivendi nobiscum, quantùm à Deo possumus promereri & nostrum est largiri, quatenus cum electis & remuneratore omnium bonorum valeat una nobiscum præmia repromissa accipere. Amen.

Deinde dicat Prælatus.

SI consurrexisti cum Christo, quæ sursum sunt, quære, non quæ super terram.

Profitens incipiat responsorium. *Regnum mundi* &c. Deinde Professus petat à quolibet;

Orate Deum pro me, & quilibet dando illi osculum dicat: *pax Christi sit tecum & nobiscum.*

Exponuntur præcipua ex formula Professionis, majoris considerationis digna.

FORMULA PROFESSIONIS.

FOrmula Professionis, utì continuis à sæculo XVI. retro temporibus in Collegiata nostra Ecclesia usurpata fuit, sequentibus concipitur, & profertur.

Omnipotens Sempiterne Deus! Ego F.N. licèt undecunque divino tuo conspectu indignissimus, fretus tamen pietate, & misecordia tua infinita, & impulsus tibi serviendi desiderio voveo coram sanctissima Virgine Maria, Sanctis Apostolis Petro & Paulo hujus Beyrbergensis Ecclesiæ Patronis, & Curia tua cœlesti universa divini Majestati tuæ Panpertatem, Castitatem, & obedientiam in Ordine S. Augustini Canonicorum Regularium, ut vitam in eo perpetuo degam, & offerens trado meipsum prædictæ SS. Apostolorum Petri & Pauli Ecclesiæ in Beyrberg, & promitto obedientiam secundùm Regulam S. Augustini Domino N. divinæ Majestatis Vicario, Præposito hujus Ecclesiæ & Cœnobii, & quòd ero obediens ei, & successoribus ejus ritè & canonicè vocatis, electis, & confirmatis usque ad mortem. à tua ergo immensa bonitate per JEsu Christi sanguinem peto suppliciter, ut hoc holocaustum in odorem suavitatis admittere digneris, & ut largitus es ad hoc desiderandum & offerendum, sic etiam ad explendum gratiam uberem Largiaris. Amen.

Et hanc professionis nostræ formulam propria manu descriptam Novitius in actu publicè legit coram Prælato, sicque in manus Prælati professionem deponit; ac postea schedam ad Altare offert: reliquas Cæremonias in professione observari solitas, ex libro statutorum nostri Col.

Collegii Novitiorum Magister depromet, ſuúmque docebis Tyronem, prout jam ex ſupra allatis inclareſcit. Nunc ſequitur brevis expoſitio, & ponderatio quorundam eſſentialium verborum.

Ego.

422 NOvitius ſolus, non alius; hinc cogita, qualis ſis corpore, & quis à nativitate fueris, an merueris à Deo, ut præ mille aliis, qui Deo longè perfectiùs, quàm tu, ſerviiſſent, ad ſtatum Religionis vocareris? Deinde cogita, qualis fueris hactenus ſecundùm animam, quid boni vel mali egeris? certè invenies te magis odiô quàm amore dignum; cogita etiam, quis ſis futurus, & quòd ſine gratia Dei nihil poſſis.

Frater.

UT advertas, te fratrem Chriſti, ejuſque ſervorum eſſe, quos omni amore, & reverentiâ proſequaris. Deinde hoc nomine filiationem terrenam in cœleſtem mutas, & pater tuus impoſterum ſingulari modo erit Deus Pater. S. Auguſtinus, Prælatus, aliíque Superiores, qui ſunt Dei loco. Mater ſpiritualis erit ipſa Religio & Collegium. Sorores erunt tribulationes & mortificationes. Propinqui erunt pœnitentia, oratio, & bona conſcientia. Amici, boníque ſodales erunt ſilentium, patientia, & dolor. Quia vero tot habes fratres, quotquot profeſſi ſunt in Collegio, fraternè cum illis age, dilige, compatere, juva, miniſtra, famam eorum tuere, ſalutem animæ procura, utì carnales fratres ſolent facere.

Nomen Neoprofesſi.

ANtiquum mutas, ut mores ſæculares & pravos mutes, habitum inducis, ut exuas veterem hominem, ac alius fias: deinde ut ejus ſancti velis imitari mores, & virtutes peculiares Patroni tui, alio te nomine in profeſſione appellas; ac ſi promitteres, alium quoque te hominem futurum.

Vo-

Voveo.

HIc jam profiteris & testatum facis coram Deo, S. Angelis
432 & cœlitibus, ac etiam hominibus testibus, te nolle amplius vivere sæculariter, sed religiosè, & sanctè, sicut habitus S. indicat, & verba sonant. Deinde jam obligas te ad reddendum Deo, quod illi in præsenti voves, & longè melius esset non vovere, quàm non facere, quod vovisti: *Qui enim non reddit, quod vovet, quasi Deum provocat, & irridet* teste S. Petro Damiani *serm. 2. de dedic. Eccles.* quin hanc ob causam S. Basil. ad interr. 14. *in reg. fus.* inquit. *qui semetipsum Deo semel devoverit, hic si resilierit, Sacrilegii se crimine obstrinxit, quippe, qui seipsum Deo, cui se consecraverat, veluti subterfuratus sit.* Non tamen ideo, SS. P. NB. monet, te pœniteat vovisse, imò *gaude jam tibi non sic licere, quod cum tuo detrimento licuisset, felix necessitas, quæ nos ad meliora compellit..* Ex promissione enim nascitur obligatio, ex obligatione necessitas exequendi operis, quod vovetur, ut fert concors Theologorum.

Paupertatem.

HÆc sequentia sunt illa opera, quæ voventur, & propria voti materia; Ante omnia igitur voves paupertatem omnium rerum terrenarum, quas nec amplius possidere velis, nec possis; imò etiam voves, te nolle habere desiderium quicquam vel pretio æstimabile, vel nullius valoris, parum vel multum habendi sine superiorũ licentia. 2. Voves, te velle contentum esse comuni victu cum aliis, & vestitu, nec ullam singularitatem appetere; quin & sine querelâ indigentiam rerum necessariarum absque detrimento sanitatis pati, superflua fugere: *melius est enim minus egere, quam plus habere.* S. Reg.

Castitatem.

VOves hîc castitatem & puritatem *cordis*, id est cogitationes & internos motus castos, *oris & corporis.* Id est, castum auditum, loquelam, aspectum, odoratum & tactum, castos etiam mores corporis, & motus membrorum, ita, ut nec minimum velis admittere, nec desiderium habere, concupiscendi aliquid promissæ puritati contrarium.

Obedientiam.

ECce per istud votum promittis Deo primariò, quòd ipsi in suis Vicariis temporaneis obedire, S. Regulam, statuta, & laudabiles consuetudines Religionis & Collegii nostri observare, & Superiorum jussa omnia, quæ non sunt contra Regulam, aut præcepta divina, aut Ecclesiastica, sine tergiversatione exequi velis, idque per totam vitam. Atque hæc sunt tria vincula beata, quæ te ligant, & Christo adstringunt, qui eapropter tibi, O Religiose Professe, continuò pro animæ solatio per Oseam *c. 11. v. 4.* loquitur: *Traham eos* (Te) *in vinculis charitatis.* Dic illi vicissim cum Isaia: *Possíde nos Domine.* Et cum Davide *Ps. 65. reddam tibi vota mea, quæ distinxerunt Labia mea.* Rectè enim S. August. inquit; *qui seipsum vovit, seipsum reddat*; *hoc exigitur, hoc debetur*; *imago Cæsaris, debetur Cæsari, sed imago De debetur Deo.* De his 3. votis vide supra Cap. 10.

Offerens.

424 TE ipsum Deo ut holocaustum, & ita totus optas absumi in amore & servitio ejus, sicut docet S. Gregorius in moralibus, nos ipsos, inquiens sacrificium Deo offerimus, cùm vitam nostram divino cultui dedicamus; quod revera & maximè in S. professione contingit, ubi te totum cum omnibus affectibus tuis ad Altare offers, *nisi enim quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet, non potest esse Christi discipulus,* sed Christi Discipulus, & frater fieri per professionem desideras: Ergo *offer te Deo, & da totum te pro Deo, & erit accepta oblatio,* dicit ipse Christus apud Thom. Kemp. l. 4. c. 7. *de imit.* memento etiam loco isto simplicis, & rectæ intentionis, quam cap. 1. a. 2. necessariam examinavimus, *omnis enim oblatio, quæ offertur Dominio, absque fermento fiet. Levit. 2.* Id est, absque fermento malitiæ, sinistræ intentionis, quæ totam professionis spiritualis massam corrumpit, ne in odorem suavitatis accipere valeat divina Majestas.

Trado meipsum.

425 VOluntariè, deliberatè, & cum plena libertate S. Religioni & Collegio nostro Beyrbergensi Can. Regularium; adverte hic: per

per traditionem istam, quantùm ex te est, sacrum professionis Contractum adimples, ut non amplius resilire valeas. Omnia tradis, quæ tua sunt, sive interiora, sive exteriora ita, ut non ampliùs de teipso de rebus tuis pro arbitrio tuo disponere possis, sed omnia S. Religioni, & Collegio pro libera dispositione relinquere debeas. Cum tanta libertate, sine ulla coactione, minis vel precibus te tradis, ne postea ullam conquerendi ansam quærere possis contra alios, quasi te cöegerint ad Monasterium contra tuam voluntatem, & propterea fias impatiens, pusilanimis, desperans. En igitur tui ampliùs non es, sed totus Christi, ejúsque Sponsæ Ecclesiæ Collegiatæ, cui te tradidisti, ut feliciter dicere liceat tibi: *Pars mea Deus in æternum, quæ non auferetur à me.*

S. S. Apost. Pet. & Pauli Ecclesiæ in Beyrberg.

426 ECce! hic assignatur locus, in quo S. Religioni te tradis, cujus proin nomine in S. Professione tua traditio à Præposito acceptatur. Nascitur hic specialis obligatio utrinque ita, ut nec Beyrbergensis Ecclesia te ad aliam Collegiatam vel Parochialem Ecclesiam (nisi etiam hæc pleno jure sibi tanquam Matri esset incorporata) permutare contra tuam voluntatem possit, nec tibi sine illius expressâ licentia ejusmodi transitus liceat. Stabilitatem ergo verbis istis promittis usque ad mortem in prædicto Collegio permanendi, quod, ut rectè intelligas, tres stabilitates notandæ sunt: prima est

1. *Stabilitas Ordinis*, quæ est votum perseverandi in S. Ordine, gestandi ejus S. habitum, & servandi comunem ejus S. Regulam.

2. *Stabilitas loci*, quæ est votum perseverantiæ in loco professionis, S. Regulam juxta probatum illius loci modum, statuta localia, & laudabiles loci consuetudines observandi.

3. *Stabilitas Propositi* seu intentionis, quæ est votum constantis voluntatis internæ, tria substantialia vota tenendi, & omnia cætera in S. professione promissa fideliter & perpetuo exequendi, ejusmodi stabilitatem mentis expressè requirit S. Basil. *in Constit. Monast. cap.* 20. inquiens: *Oportet, ut qui se ad vitæ Monasticæ* (aut Regularis) *rationem contulerit, is stabili, firma, imobilíque voluntatis constantiâ sit.*

Trinam hanc stabilitatem promittis

mittis in S. professione, 1. *Stabilitatem Ordinis* per illa expressa verba in profess. formula. &c. In Ordine S. Augustini Can. Regul. ut vitam in eo perpetuo degam. &c.

Stabilitatem loci promittis sequentibus: &c. prædictæ SS. Apostolorum Petri & Pauli Ecclesiæ in Beyrberg. &c.

Cum autem stabilitas loci, id est, perseverantia corporis in loco censeatur nulla, nisi etiam sit mentis; hanc verò versutia Dæmonis facile in circumvagationes sæculares dejiciat; titillationes carnis ad delectationem trahant; & laxioris vitæ appetitus vincula votorum disrumpere attentet; opus est obedientiâ homini servandâ, & animi firmitate, quæ se usque ad mortem extendat, promissa Deo nunquam frangendi; hoc enim hujus vitæ Regularis finis, & caput est, in quo sensu promittis iis verbis in formula *stabilitatem propositi*:

&c. Obedientiam secundum Regulam S. Aug. Domino Præposito &c. usque ad mortem. &c.

427 Constans igitur esto usque ad mortem in S. proposito, Constans in S. loco, Constans in S. Ordine tuo, & accipies coronam vitæ: Quia *qui perseveraverit hic usque in finem, hic salvus erit. Matth. 10. v. 22.*

Promitto.

Verbô hoc votum tuum Deo factum comples verus incipis esse religiosus, & ad promissionem adimplendam graviter obligaris; cùm enim votum sit *promissio de facta*, fractio voti est quædam infidelitatis species secundùm *S. Thom 2:2. q. 88: a. 3.* Hanc promissionem sicut nodum gordium nemo in terris solvere poterit, præter S. Pontificem solum ex causis gravissimis ut tradunt Theologi.

rit,

Secundùm Regulam S. Augustini.

QUam in S. Professione manibus tangis, & corde accipis, sicut in aliis juramentis S. Evangelium tangitur pro testimonio omni exceptione in terris majore. Hanc S. Regulam vivendi normam assumis, quà à vulgari hominum vita discernaris; hanc inviolabiliter observare te velle juras, nihil in ea excipiendo: hanc etiam ut Cynosuram tuam eligis, ad quam vitæ cursum dirigas; ut periculosos maris mundani fluctus feliciter enavigando superes; & regio Aureliani Navarchi ductu ad æternum felicitatis portum pertingas, hic enim laborum finis est.

Præposito. N.

CHristi in terris Vicario, & Ecclesiastico visibili Superiori, cui te nominatim & determinatè obligas; ipsi enim ex parte Dei votorum observatio, totiúsque Religionis externa directio commissa est. Hunc assumis in patrem tuum, profiteris ut ductorem, & Judicem tuum; ama igitur illum, sequere, time, memor sententiæ Christi. *Lucæ 10. Qui vos spernit, me spernit, & qui vos audit, me audit*, & *paralib. 16. c. L. 1. nolite tangere Christos meos.* Noli, inquam, tangere murmuratione, detractatione, odio, refractariis moribus, variis molestiis; nam qui (illos) tetigerit, tangit pupillam oculi divini. *Zachar. 2.* Nomine hoc Præpositi subintelliguntur etiam alii superiores subordinati, & ab eo constituti, uti apponit Reverendissimus. D. Udalricus hoc loco; quod quidem verum æstimem, sed in certo sensu, & ut illi repræsentant speciali modo Præpositi personam sub spirituali titulo, & annexa officio præcedentia in foro, ut tradunt Theologi & Canonistæ, quibus juris competentiam libenter relinquit bonus Religiosus, perfectionem obedientiæ unicè intendens.

Et quod ero obediens Ei. &c.

428 ECce postquam coram cœlesti curia Deo vovisti obedientiam, postquam paulo posterioribus verbis promisisti obedientiam secundùm Regulam S. Aug. D.N. Præposito h. Eccl. &c. Tertia

tandem vice promittis signanter, *quod velis esse obediens Ei*, nempe Præposito; de paupertate, & castitate semel tantum fit mentio in formula, ter autem de obedientia sub expressa verborum forma, ut intelligas, rem maximam esse in religione obedientiam, quam voves, & promittis. Pro necessaria horum explicatione & vero sensu nota 1. Quia omne votum imediatè Deo fit, *primario* Religiosum vovere Deo tam internam, quam externam obedientiam, *secundariò* verò istam vovere homini tanquam Superiori & Dei loco.

Nota 2. ipsum votum sæpe etiam habere secum promissionem humanâ, quæ speciali ratione sub explicita verborum forma obligare potest ad exequendum promissum. His prænotatis intellige, quod primariò voveris Deo *obedientiam internam*, id est, quod semper velis voluntatem tuam internam habere ad obediendum paratam, & *externam*, quod velis facere omne opus externum cum bona voluntate, operi illi conjunctâ; unde si facias quidem opus, sed cum impatienti, & malevolo animo, externam obedientiam Deo exhibes, sed voto plenariè non satisfacis, & communiter ita coactè operans perdis obedientiæ meritum.

Intellige Ulteriùs, quod per illa verba (*promitto obedientiam secundum Reg. S. A. D. N. Secundariò* voveas obedientiam Prælato, sicut is, qui promittit proregi fidelitatem *primariò* istam promittit Regi, & *secundario* proregi, Regis locum tenenti. Statim igitur, ac præfata verba protuleris, manes obligatus præposito, & declaras te illum in Vicarium Christi assumere, ac talem respicere ita, ut ei in omnibus statui Religionis convenientibus non minùs, quàm ipsi Deo obedias; 2. Ut ei tanquam voluntatis divinæ interpreti & præconi faciles aures præbeas, & ab eo discas, non tantum te conformare divinæ voluntati, sed etiam in aliis satisfacere Deo, cui illa vovisti.

3. Ut ad illa observanda ab eo compellaris, intellige tandem, quod per explicita verba (*ero obediens Ei*) fidelitatem jures in exequendo, quidquid Præpositus jusserit; & in hac tertia obedientiæ repetitione obligas te Superiori non ratione voti, sed Superioratûs, seu Prælaturæ, cui te submittis præstando fidem, seu homagium, sicut subditi temporales suis Dominis exhibent, & sicut hi frangentes fidem, ita etiam professi ad servanda spirituaila promissa pœnis adigi possunt vi potestatis dominativæ, cui se in Prælatis subjecerunt.

Tu Religiose Tyro ex hac exacta notitia disce perfectè obedire Deo: disce obedire Superiori, cujus mandatis sine tergiversatione

ne obtemperes, bonam voluntatis promptitudinem conjungendo cum opere externo: hoc faciendo juratam implebis fidem; brevì ad Religiosam perfectionem pertinges: sic enim voluntatem propriam expugnando, judicium captivando, teipsum vincendo, inimicos hominis tui domesticos ad internecionem delebis, & eis confœderata vitia vinces; nam *vir obediens loquetur victorias. Proverb. 21.*

Et successoribus ejus ritè & canonicè vocatis, Electis. &c.

QUia Præpositus professionem Religiosorum non acceptat nomine suo, sed Ecclesiæ cum consensu capituli, ut supra dictum est; Ecclesiæ verò & capitulum dicantur esse perpetua, non verò ejus Rectores, seu Præpositi utpote morti temporaneæ subjecti: hinc professionem etiam esse perpetuam oportet; perpetua autem non esset, nisi profiteretur Religiosus tam moderno, quàm isto è vivis sublato, successioribus temporaliter Ecclesiam administrantibus, debitam exhibere obedientiam. Sequitur ergo consimili obligatione te teneri futuro Præposito post canonicam Electionem, & Confirmationem obedire, quin omnia cætera vota observare; etsi nullus esset Superior, quia Deo vovisti, cui reddere deberes, quamdiu vives.

Usque ad mortem.

HIs enim verbis prædictam Professionis perpetuitatem, ejúsque perseverantiam ad ultimum usque diem vitæ tuæ se extendentem promittis, quin non tantùm velis pugnare adversùm carnem, mundum, & diabolum pro regno Christi usque ad mortem, verum & hanc potius oppetere, quam vota tua violare.

A

A tua ergo imensa bonitate peto suppliciter. &c.

429 SIcut ab initio in profunda humilitate indignitatem tuam agnoscens, divinam implorasti misericordiam, & Suppliciter petiisti gratiam, ut posses tam grande opus inchoare, tam sublimem, victricem, supernaturalem, qualis S. Professio est, & coram Universa Curia Cœlesti gloriosum actum elicere, quo Regi Regum, & Domino dominantium tremendæ Majestati, cui mille millia semper ministrant sublimes Spiritus Angelici, & decies centena millia assistunt, de cujus Throno procedunt fulgura, & voces & tonitrua *Apoca.* 4. *v.* 5. Ante quem coronati principes & seniores procidunt, & adorant viventem in sæcula, & mittunt coronas suas ante Thronum, huic inquam Majestatis voto, juramento, humanóque testimonio te obstringis ad servanda promissa. Ita etiam post vota tua emissa annexis verbis gratiam postulas, ut possis promissa implere, opus enim gratiæ est S. Professio: ergò nonnisi per divinum gratiæ auxilium illi satisfacere poteris, quam uberem etiam largietur, cùm divina bonitas nunquam se vinci sinat humanis promissis, & ei præstitis obsequiis.

Amen.

TAndem confirmas verbo hoc omnia, quæ profitendo vovisti; & optas, ut integrè vota tua perficiantur in te. Tria porro necessaria tibi sunt, primò ut rem à die professionis tuæ aggrediaris ardenter, 2. cum pari fervore progrediaris, & 3. ut finias constanter: sic dicere aliquando poteris cum S.S. duce tuo Augustino; *Feci Domine quod jussisti, da, quod promisisti*, vitam nempe æternam. Amen.

HOLOCAUSTUM ACCEPTABILE.

430 DOcet Angelicus Magister 2.2. *q.* 186. *a.* 7. *in. C, acceptabile* esse *Holocaustum* S. Professionem, qua Religiosi se totos Deo offerunt

runt cum omnibus actibus suis. Nam sicut in Holocausto tota olim cremabatur hostia, ita Religiosus nihil habens, quod non offerat Deo, se totum ad Dei honorem & Divinæ Majestatis gloriam comburere censetur. Siquidem triplex bonum, quod habet, juxta doctrinam Magni Pontificis Greg. *in Ezechielem. hom. 20.* in *holocaustum* Deo *acceptabile* offert concremandum. 1. Offert res externas per votum voluntariæ paupertatis; 2. Bonum proprii corporis per votum continentiæ, 3. bonum animæ per votum obedientiæ, quæ suam voluntatem propriam mactat, per quam aliàs ad libitum uti posset omnibus potentiis, & habitibus animæ. Planè per istam oblationem nihil excipit, nihil Deo subtrahit, omnia in holocaustum consecrat, & quis credat acceptabile hoc non esse coram Numine, istud in odorem suavitatis suscipiente? Majora certè offerre homo non potest, quàm bona corporis, bona animæ, & se ipsum per totalem sui abnegationem, & subjectionem alterius arbitrio. Talis etenim summè placet divinæ Majestati *holocausti* crematio, per quam ex eodem magno Pontifice *2. Moral. c. 39.* nos *ad perfectionis summam pertingere* certum est, *cùm sic deteriora vitia superamus, ut etiam cogitationes superfluas à mente resecemus, quas nimirum sacrificii igne cremare, est eas flammâ divini amoris incendere, ut cor totum in Dei amore ardeat. &c.*

Hoc igne inflammatus Jacobus de Vitriaco Argentoliensis Gallus primùm Canonicus Regularis Oegniacensis postea S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Tusculanus mundo valedixit, seque in perpetuum holocaustum Deo obtulit. hortante devotissima famula Dei Maria Oegniacensi, quæ in extremis Brabantiæ finibus habitabat, fama sanctitatis percelebris. Hæc enim Jacobo relictis Theologiæ studiis, quibus Parisiis operam dabat, ad se invisenti persuasit, ut Canonicum Institutum in Ecclesia S. Nicolai ad Sabim amplexatus fuerit. Eadem postea Virgine hortatrice parochiæ cujusdam curam Presbyter initiatus, suscepit. Cùm Lutetiis Parisiorum, ubi Sacris fuerat inunctus, reverteretur, non modo illa, Religiosis quibusdam comitata, advenienti Jacobo ad aliquot stadia obviam progressa, manúsque Sacro Oleo recens delibutas exosculata est, verùm & pedum ejus vestigia flexis genibus osculis excepit. Comitibus verò ob tantam demissionem increpantibus, respondit, *sibi cælitùs patefactum, hunc à Deo delectum, & gloriosiùs imposterum evehendum, cujus opera ad salutem animarum probè stabiliendam ipse Deus uteretur.* Quod ipsum & Cænobii Antistes jam dudum antea prædixerat:

prænuntiationem è notitia fluxisse, eventus subsecuti affirmarunt. Vix quippè quatuor annorum intervallum intercesserat cùm Jacobus ad Episcopalis Acconitanæ Cathedræ culmen (quæ Ptolemaïs est Phæniciæ) evectus fuit. Inciderat in annum millesimum ducentesimum decimum expeditio in impiam Albigensium hæresim, Innocentii III. Summi Pontificis & S. Dominici Gusmanni consilio suscepta. Hic Jacobus noster inter cæteros ob insignem in perorando & habendis ad populum concionibus facundiam à præfato summo Pontifice legatus ad Belgii provincias, & Imperium Germanum destinatus est, ut Crucem contra prædictos Albigenses promulgaret, Auctoritatéque Apostolica nomina eorum, qui tam sanctæ militiæ subscribi vellent, signaret. Stimulum ad hanc arduam provinciam arripiendam non levem addidit Jacobo adhortatio ei in somnis facta à S. Saturnino. Accidit quodam die, dum Crucem prædicaturus in Brabantia moraretur, fatali odio quosdam se invicem prosequi, hos ut componeret Jacobus, multùm laboravit, immò pedibus unius, quem fortè in publica platea offenderat, advolvi, rogaréque spectante populo, ut inimicitiam poneret, sed frustra, illo siquidem in inveterato odio persistente. Conversus proinde Jacobus ad adstantes, eosdem alloquitur. *Vos*, inquit, *palam omnes testor, hos, qui nos spernunt, eundem quoque spernere, qui nos misit. Deum itaque precemini, ut manifesto signo in hominem obstinatum animadvertat.*

Vix verba finierat, cùm miser ille eversis oculis semel, iterúmque in terram corruit, ore cruorem spumans, simul ac saniem, morti proximus. Ob lugubre hoc spectaculum commota plebe præsente, Jacobus iteratis ad Deum fusis precibûs prostratum erexit, & tam corporis quàm animæ sanitati restituit, ut ab inimico ad se adducto in genua provolutus veniam inter uberes lachrymas omnibus spectantibus & Dei Misericordiam exaltantibus postulaverit. Dum in Palæstina versaretur, Patriarcha Jerosolymitanus fuit electus, quo tempore Maria de Oegnies, prout vaticinatus est in cælum evolavit, relicto in Monasterio pretioso corporis Sacri pignore: ille verò ut Ecclesiæ Romanæ negotia in Oriente meliùs administrare posset, bona Pontificis veniâ Patriarchalem Infulam Roberto Nannetensi cessit. Rebus compositis in Italiam navigans oborta tempestate gravissima naufragio proximus, dum preces ad Deum & B. Mariam funderet, in somno ancillam Christi sibi assistere vidit, quæ interitûs periculum amotũ, & libertationem prædixit, & quinque altaria in Ecclesia,

à

à Venerabili Priore Ægidio de Oëgnies constructa sibi ad consecrationem obtulit. Romæ ab Honorio III. opulenti Acconitani Episcopatûs depositionem multis precibus impetravit, & amore solitudinis in Oegniacense Monasterium se recepit, aulæ divitias cum paupertate religiosa commutans. Ast non ita animarum curam deposuit, ut Lotharingiæ, & diœceseos Leodiensis Regiones vitiis & hæresi infectas cum maximo animarum fructu zelosus Concionator percurrere negligeret. Interea Honorio defuncto Gregorius IX. ad Pontificatus apicem evectus est, cui olim sibi sancta familiaritate conjunctissimo pontificiam dignitatem gratulaturus Romam abiit Jacobus, ubi pro meritis suis non tantùm humaniter exceptus, sed ab eodem Gregorio & purpura, & Episcopatu Tuiculano præmiatus fuit.

Inter maxima & publica Ecclesiæ negotia religiosa nunquam intermisit exercitia, quin & acriter in se ipsum ac proprium corpus flagellis desæviit, ut castitatis florem illibatum conservaret. Ostenditur etiamnum Oegniaci à loci Canonicis cruentatum flagellum, quod Jacobus in vivis pro edomando corpore adhibuit. Dum in Palæstina Episcopus Acconitanus moraretur, pro sua in Deiparam Virginem pietate, omnia fere loca ejusdem præsentiâ nobilitata invisit, Nazarethanam præsertim Civitatem, ubi Beatissima Virgo Dei filium hominem factum, Angelo nuntiante, concepit, ubi & rem divinam fecit ipso annuo Verbi Incarnati, qui incidit in 8. Cal. Aprilis die, & Bethleemũ ubi eundem Servatorem mundi lætantibus Angelis, immaculato utero editum, & pannis involutum in præsepio reclinavit. Obiit Romæ in monasterio Patrum Dominicanorum post multos in Oriente, & Occidente exantlatos labores 30. Aprilis Anno 1244. Cujus animam ad cælum ferri B. Lutgardis in monasterio Aquitano Antistes die tertio Maji extra se rapta conspexit post triduanam nempe ignis purgatorii expiationem. Corpus ipsius Româ (ut extremæ voluntatis tabulis mandaverat) ad professionis suæ domum translatum, & in Ecclesiæ Oegniacensi ad Sabim diæcesis Namurcensis ad Principis aræ cornu dextrum terræ mandatum fuit. *Ex vita ejus per Andream Hojum collectâ apud Arnoldum Rayssium in auctario ad Natales SS. Belgii Joan. Molan. Pet. Frizon in Gallia purpurata, & aliis.* Scripsit Jacobus varia opera de terra Sancta vitam B. Mariæ de Oegnies, Commentarios in quatuor Evangelia, Concio-

nes de tempore, tractatum de domo B. V. Lauretanæ, & alia, prout novissimè refert *Georg. Joseph. Eggs in Purpura doctal. 1.*

ARTICULUS III.

De Præstantia Religiosæ Professionis ejúsque Privilegiis.

SUMMARIUM.

431. *Vocatio ad statum religiosum est gratia gratiarum, ut propterea*
432. *Remissionem omnium peccatorum quoad pœnam acquirit à Deo.*
433. *Limitatur tamen dupliciter.*
434. *An Religiosus sola recordatione Professionis acquirat indulgentias, ad renovationem votorum probabiliter extenditur.*
435. *Indulgentia quinque annorum & quadragenarum acquirunt cum veneratione exosculantes Religionis habitum.*
436. *In sua Ecclesia orantes lucrantur omnes indulgentias sicut visitantes Romæ Ecclesias.*
437. *Quid requiratur ad lucrandas istas indulgentias.*
438. *Alia indulgentia.*
439. *Lauream Martyrii obtinent Religiosi professi.*

431 VOcationem ad statum Religiosum gratiam gratiarum divinarum esse omnes Ascetæ, tanquam veriores rerum spiritualium æstimatores, asserunt; Professionem verò Religiosam opus esse excellentissimum, excedens omnes quoscunque alios actus humanæ vitæ, omnes pariter SS. PP. & Doctores deprædicant; nec mirum; illa enim juxta S. Tho, 2. 2. q. 85. a. 3. *sacrificium est propriè tanquam actus latriæ, & Religionis, qua solus Deus honoratur*; ipsique se totum omnia tam interna, quàm externa in gratissimum holocaustum Religiosus professus offert.

In hoc holocausto (quòd secun-

cundùm S. Thomam 2. 2. q. 189. a. 3. ad 3. *excedit omne genus satisfactionis*, secundùm S. Gregorium *excedit ipsum sacrificium*) Religiosus est *sacerdos*, *hostia*, ipse totus homo, *altare* voluntas, in quo continentiæ cultro superbiam quasi *taurum* immolare, iracundiam quasi *arietem* jugulare, luxuriam, omnémque libidinem tanquam *hircos*, & *hædos* litare, ac virtutum omnium *incensum* sacro paupertatis, castitatis, & obedientiæ thuribulo dare necesse est, si se in *holocaustum* pollicitum exhibere Deo jugiter cupit; ùt pulchrè locutus fuit Origenes *hom. 9. in Exod.* tanti operis excellentiam satis declarant insignes favores prærogativæ, & tum divino, tum humano jure concessa privilegia, quæ hìc Novitio ad captum aperiuntur.

432 Primum Religiosæ Professionis privilegium spirituale est, quòd per eam professus *regulariter* acquirat remissionem, & condonationem à Deo omnium suorum peccatorum *quoad pœnam* peccatis debitam, ita, ut, licèt indulgentiæ non essent omnis pœna temporalis absorberetur; quia professio ex se tantam vim habet, & meritum movendi Deum ad remissionem omnium pœnarum pro gratiosa recompensatione tantæ oblationis.

433 Dixi 1. *Regulariter*; nam si peccata antea in sæculo commissa forent valde multa, & enormia, tepida verò, atque nimis remissa sui in S. professione oblatio licèt cæteroquin præcellentissimum ac perfectissimum sit opus, per talem tepidam ac remissam professionem plena non esset satisfactio pro culpa, consequenter cùm sine perfecta remissione *culpa* non fiat perfecta remissio *pœna*, taliter professus non omnimodam consequeretur relaxationem pœnæ, ut docent D.D. apud Palao *tract. 16. D. 2. p. 1. n. 3.* nisi aliàs plenaria esset concessa indulgentia, quam tamen scimus à SS.PP. concessam, & à Paulo V. confirmatam.

Dixi 2. *quoad pœnam*, non quoad culpam; cùm enim professio non sit sacramentum, nec actus contritionis, aut Charitatis, quibus solùm id competit, non remittitur culpa peccatorum, sed hæc per veram sacramentalem confessionem abstersa supponitur ante professionem.

Unde si professionem quis deponeret in statu peccati mortalis, remissionem istam non obtineret; nec postea per subsequentem justificationem, vel professionis renovationem acquireret; quia hoc solum competit Sacramentis. Lezana *to. 1. cap. 3. de Privil. Reg. cum D. D. ibidem.* Pro Remissionis hujusce certitudine majori ex applicatione meritorum Christi, quæ fieri potest à Dispensatore S. Pontifice, Paulus V. indulgentias

plenarias Novitiis ingredientibus, & similiter profitentibus post annum probationis expletum concessit, cujus bullam refert Bordonus *to. 5. de Privil. Nov. c. 12.* Philip. à Domina Nost. *de profess. Regular. n. 20.* nos annotavimus suprà

Meritò igitur SS. Patres professionem *secundum baptisma* appellarunt propter ingentes gratias, & similitudinem hujus cum illa ob renuntiationem tam pompis Diaboli, quàm vitiis, & commoditatibus propriis sæculi; confirmantur etiam hic dicta *Cap. 1. art. 1. n. 8.* & universim ibi ostensa Religionis, & ad eam vocationis insignia dona.

Ex hoc secundùm privilegium
434 ascetico more deduco ex D. Carthusiano *append: de profess.* fol. mihi 417. quòd Religiosus quotiescunque suæ recordetur professionis (in statu gratiæ, & ritè peractæ) & hanc esse factam gaudeat, adeò ut si illam non fecisset, adhuc Dei amore motus faceret: hoc modo suæ professionis quicunque fuerit memor, indulgentiam omnium peccatorum suorum plenam assequitur &c. cujus à contrario argumentum sumitur, quòd homo, qui post peccatum à se patratum gaudet de eo, iterùm facturus, si posset, ob hanc malam voluntatem priore se scelere contaminet, & tot, sicut prius, pœnæ gradus mereatur: ita pariter, cùm Religiosus in professione acquirat indulgentiam plenariam omnium suorum peccatorum, convincitur etiam, quotiescunque gaudet de ea ita ut rursùs ipsam faceret, si non fecisset, aut eandem piis affectibus renovat, eandem indulgentiam plenariam absque dubio consequitur, quam in professione habuit. Ita paucis mutatis D. Dionysius Carth. c. l. Ast huic opinioni adversantur non pauci DD. cum Tabiena V. *Novitiatus. in fine.* Sanchez, & Lezana l. c. aliique, qui negant hanc gratiam etiam renovationi professionis, quorum ratio est, quòd prima traditio difficilior sit, & frequententer intensior. Certè privilegium Pauli V. solùm se extendit ad primum actum assumptionis habitûs religiosi, & professionis, proin ultra B. certum determinari non potest. Interim rejicienda non est sententia illorum Doctorum, qui putant plenariam peccatorum remissionem obtineri etiam in renovatione votorum, quæ apud plerosque Religios. Ordines semel in Anno cum quadam solemnitate fit. Quia renovatio quoad voluntatem, quam Deus specialiter respicit, est nova traditio, & sæpe ex Majori affectu & amore in Deum procedit. Quid ergò merito & satisfactioni plenæ obstare potest, tametsi faciliùs præstetur? Layman *l. 4. t. 5. c. 10. n. 2.* Eman. Sà. V. *Religio n. 17.* Palao

lao *tr. 16. d. 2. p. 8. n. 3.* Cui placet hæc ultima sententia ùt magis pia, adhibitâ supradictâ moderatione, ut peccata non sint nimis gravia, nec renovatio remissa, sed fervens, & devota, ut par est. Et in hoc sensu quotidiana renovatio ferventissimè peracta, & conjuncta cum perfectissimo charitatis in Deum actu intelligi debet secundùm mentem D. Dionysii Carthus.

Hanc professionis memoriam singulis diebus Paphnutius, hanc D. Jacobus Allemanus singulis horis refricabat, ùt refert Lairv. parte 2. lect. 70. Et has indulgentias quotidiè toties lucrari vales, quoties Religionis exercitia, vota promissa, vel opera supererogatoria cum pio affectu & desiderio, aut motivo ad illam relato peragis: dignus ergò negligentiæ pœnâ haberi poteris, si tanta acquirendi merita, occasionem cum die otiosè abire permiseris: cogita ergò vel post meditationem, ante vel post mensam, in utroque conscientiæ examine, ante vel post horas Canonicas, præsertim tempore Confessionis, & S. Communionis, facilem acquires praxim, quæ æternum gloriæ pondus operandi utilitatem habet.

435 Tertium asceticum privilegium est concessa indulgentia quinque annorum, & totidem quadragenarum iis, qui habitum suæ Religionis cum veneratione exosculati fuerint, & quamvis hoc privilegium à S. Pontifice Joa. 23. omnibus Christi fidelibus exosculantibus habitum Ord. D. Dominici concessum fuerit, cæteris tamen S. Ordinibus per communicationem privilegiorum (quali & nos Canonici Beyrbergenses ob renovatam Anno 1710. 5. Septemb. Congregationis Lateranensis aggregationem gaudemus) cum maximo fructu extenditur: cur enim Sancta Mater nostra, Canonica Religio ætate, & prærogativis alias excellens, tam Sancta puritatis spiritualis remedio privetur, quo sanctus filius, S. Aug. Nepotes Dominicani condecorati fuerunt? neque has indulgentias revocatas fuisse in Bulla Pauli V. testatur Lezana. V. *habitus.* n. 13.

Quoties igitur, Religiose, habitum sacrum induis, vel exuis, memorare professionis tuæ, osculo sanctam venerationem habitûs habe, ut participem hujus privilegii actu te facias; time verò malè tractare cælestem vestem tuam, aut temerè dimittere; ne pœnas excommunicationis etiam majoris incurras. Ibidem n. 2.

Quartum insigne privilegium 436 Religiosis Paulus V. indulsit, quòd intra claustra viventes, qui suam Ecclesiam devotè visitaverint, ac, ùt præfertur, oraverint, consequantur easdem indulgentias, quas visitantes Ecclesias Urbis & extra eam diebus stationum conse-

se-

sequuntur in omnibus diebus perinde, ac si ipsas Urbis Ecclesias personaliter visitarent. Nota hic, indulgentias stationum à M. Greg. institutas, esse 7. Annorum; quibus alii etiam S. Pontifices quadragenas, plures adhuc annos, quin certis diebus, & majoribus festis Dominico, B. V. Mariæ Apostolorum, & Patronorum prædictarum Urbis Ecclesiarum plenarias tum pro vivis, tum subinde etiam pro defunctis addiderunt; has proin incidentes in diem stationum consimiliter lucrari posse modo ante dicto probabiliùs mihi videtur cum Peyrinis *to. 2. priv. §. n. 3. & 4.* Nam S. Pontifex suprà citatis verbis loquitur *de iisdem indulgentiis, quas visitantes in diebus stationum consequuntur*; sed visitantes Romæ Ecclesias diebus festivis, ubi incidunt plenariæ ibidem, plenarias similiter lucrantur, ùt per se constat: ergo etiam Religiosi in suis Ecclesiis easdem consequentur. Deinde si difficilè à S. Sede soleant concedi plenariæ, potuisset S. Pontifex in illa Bulla, ubi aliàs plurima Religiosorum privilegia cassavit, limitavit, etiam expressè plenarias indulgentias excipere; quin fecisset, nisi rigorem suum mitigaturus, indefinita, & universalia sine exceptione verba ponere, consequenter favorem hunc nulli in præjudicium, piis verò Religiosis, & purgantibus animabus in maximum solatium cedentem ampliare voluisset; & hanc opinionem Lezana V. *indulgentia* n. 21. ùt probabilem relinquit; nobis hæc sufficiant, ne ultra sphæram nostram Sapiamus.

437 Pro istarum consecutione indulgentiarum in propriis Ecclesiis Religiosi 5. communiter Pater, & Ave cum Symbolo Apostolico recitare debent ad hanc intentionem Pontificis, simul pro Christianorum Principum concordia, pro hæresum extirpatione, Romani Pontificis salute, & S. Matris Ecclesiæ exaltatione.

Easdem porro lucrari posse extra proprias domos commorantes ad breve tempus, seu in itinere visitando altaria Ecclesiarum illorum locorum; item infirmos, & decrepitos, qui non possunt Ecclesiam adire, posse eas consequi in lectulo suo, dummodo agant aliquod opus pium arbitrio Confessarii, declaravit præfatus Pontifex. Lezana V. *Indulgentia*, n. 9. & alii ibidem.

438 Sunt adhuc alia privilegia, quæ professionem sequuntur, & hic breviter annectere placet:

1. Per professionem omnia vota, juramenta soli Deo facta in sæculo extinquuntur, & in vota Religionis permutantur, cùm ex natura professionis oriatur mors vitæ præteritæ.

2. Tollitur irregularitas ex defectu natalium quoad S. Ordines suscipiendos.

3.

3. Solvuntur Sponsalia, & Matrimonium ratum.

4. Tollitur crimen ingratitudinis filii erga Patrem, ob quam exhæredari poterat.

5. Professus liberatur à patria potestate & transit in potestatem Prælati, & Religionis.

6. Professus non ampliùs conveniri, nec accusari coram judicio potest sæculari. De his, & plurimis aliis immunitatibus, privilegiis,& prærogativis agunt præsertim Canonistæ apud Lez. t. 1. cap. 3.

Addo ulteriùs, ex professione nasci gravem obligationem ex parte Religionis, professum ùt filium suum tractandi, alendi, vestiendi, ad studia S. statui congruentia, & necessaria applicandi, salutem ejus tam corporalem, quàm spiritualem procurandi, & consuetas preces, sacrificia, & pia suffragia post ejus mortem pro eo persolvendi; ut adeò propter hosce favores S. Religio summè æstimata, ejúsque ingressus multis facilitatus fuerit.

LAUREA MARTYRII.

439 PRofessio religiosa non tantùm habet prærogativas *baptismi secundi*, *holocausti acceptabilis*, & *hostiæ pacificæ*, quæ nimirum significatur, quòd Deus tam eximiâ oblatione per tria vota delectetur, ut etiam Religiosorum precibus facilè placari, & eorum petitis annuere soleat, sed insuper *Lauream Martyrii* comprehendit, ne ullum genus sacrificii Religioni desit, cùm ipsa sit illustrissimum quoddam Martyrium, uti S. Hieronymus in Epitaphio Paulæ declarat: *Devotæ mentis immaculata servitus quotidianum est Martyrium.* S. quoque Doctor Claravallensis *Ser. 1. in festo S. S. om.* *verè*, inquit, *Martyrii genus est paupertas voluntaria.* De quo videantur dicta p. 1. c. 1. a. 1. n. 9.

Hujus porro Martyrii genera quædam describit cit. S. Hieronymus Rusticum suum ita instruens.

„In Monasterio hic te silen-„tium, ille doceat mansuetudi-„nem. Non facias, quod vis, „comedas quod juberis. Vestia-„re, quod acceperis: operis tui „pensum persolvas; subiiciaris, cui „non vis. Lassus ad stratum ve-„nias, ambulánsque dormites, & „necdum somno expleto surgere „compellaris. Dicas psalmum in ordine tuo, in quo non dulcedo „vocis, sed mentis affectus quæri-„tur. Servias fratribus: hospi-„tum laves pedes.

„Passus injuriam taceas: Præpo-„situm Monasterii timeas ùt Do-„minum, diligas ùt Patrem. Cre-„das

„das tibi salutare, quidquid ille „præceperit, nec de majorum „sententia judices, cujus officii est „obedire, & implere, quæ jussa „sunt.

„Fæminæ nomen tuum noverint, & vultum tuum nesciant. „Multo tempore disce, quod doceas: nec credas laudatoribus „tuis, imò irrisoribus.

Denique S. P. N. Epist. 167. ad Festum clarè testatur, quòd *Martyres veros non faciat pœna sed causa.* Sed Religiosi ob Divinum obsequium se se abnegantes hujusce mortificationis causam aliam non habent, quàm divinam voluntatem, cui super omnia sacrificia placet totalis sui oblatio per religiosam professionem. Nam in S. Religione putandum non est, deesse occasiones coronæ, & Martyrum laureolæ, quia *quotidie persecutiones à diabolo fiunt sive per suggestionem, sive per molestias aliquas corporis. Noli, cùm viceris, per superbiam tibi tribuere, quasi de viribus tuis luctatus fueris, sed agnosce præstitum esse à Deo, qui dedit vires ut vinceres, qui & ipse vicit sæculum. Sic semper coronaris, & Martyr hìc eris, si omnes tentationes superaveris.* Ita S. P. N. *Ser. 44. de divers. c.* 33.

Ad obtinendam gloriosi Martyrii Lauream S. Aldobrandus, sive Aldobrandinus sæculum reliquit, & in Monasterio Portuensi Regularem vitam professus est. Sorbetulum in Flamminia oppidum Patria ei fuit. Scientia & virtutibus excellens Arimini in Ecclesia Cathedrali itidem Regulari aliquamdiu facundum verbi Dei Præconem egit. Cùm nonnumquam potentes quosdam Laicos ob illicitam bonorum retentionem pro Spiritûs sui zelo vehementius objurgasset, obortus est contra ipsum tantus tumultus[1], ut è suggestu descendere, & clam civitatem deserere debuerit.

Sed in ipso egressu, ita disponentibus Superis, Legatos civium Forosempronienſium offendit, qui illum à Clero, reliquóque populo in suum Episcopum electum asseruerunt, rogarúntque flexis genibus, ut hanc pastoralis curæ sarcinam assumere vellet. Longis precibus tandem victus Pontificale illud munus in se suscepit, gregémque sibi commissum exemplo potius quàm verbis ad piè vivendum instituit.

Porro erga alios mitis, verè Pater pauperum, pupillorum ac viduarum, sibi verò rigidus & austerus exstitit, ciliciis ac jejuniis corpus suum in servitutem redigens, atque ab esu carnium semper abstinens.

In cubiculo quidem suo lectum splendidè ornatum habebat, ast ligneæ duntaxat tabulæ indormiebat.

Singulis festis diebus ipse pro concione dicebat. Accidit verò, ut, dum vice quadam è suggestu ver-

verba facit, hirundinum strepitus concionem impediret, quibus ille silentium imponens, eas obmutescere fecit. Morti proximus, cùm nec cibum amplius crudiorem sumere posset, Ministri coturnicem coctam ipsi attulerunt, quam tamen arrepti sui propositi carnes non comedendi memor, non tantùm non manducavit, sed facto super eandem salutiferæ crucis signo, coram adstantibus liberè avolare fecit. Obiit 1. Die Maii Anno 1119. centenario Major. Cùm anima illius è corpore egrederetur, campanæ Urbis sua sponte auditæ fuerunt pulsari, haud dubiè in testimonium Sanctissimi Viri, uti in vita, ita post funera miraculis illustris. *Ex vita & Lectionibus secundi nocturni Officii à Canonicis Regularibus hac die recitari solitis, & à Pio V. approbatis.*

Pro eadem Martyrii exoptati laurea certavit Reverendissimus Gabriel Reeb Aichstadianus Franco Cœnobium Reebdorffense ad Allemonium prope Episcopalem civitatem petiit; ibíque Canonicum Ordinem professus est, ubi exigentibus virtutum suarum meritis postmodum Prior, ut vocant, sive Prælatus mitra & pedo à Sede Apostolica donatus plura in bonum Religionis & emolumentum Congregationis Windesimensis egit, fecítque.

Præter alias egregias animi dotes non solùm magnanimitatem ac dexteritatem in rebus agendis, qua insigniter tollebat, sed & in adversis fortunis, quibus maximè belli Suecici tempore premebatur, patientiam præseferebat, cui raram in Deiparentis Sponsum & Christi nutritium D. Josephum pietatem conjunxit, ut ei in corde melos, in ore jubilus esset, & itentidem proferre lingua Triadis S. Creatæ nomina JESUS, MARIA, JOSEPH, cujus honori ampliando in Ecclesia Reebdorffiana aram privilegiatam, ut appellant, erigi curavit, sodalitiúmque sub ejusdem Sancti tutela Anno 1649. instituit, cui maxima hominum multitudo sua nomina dederunt. Ad hæc à Summo Pontifice Innocentio X. copiam obtinuit benedicendi annulos, quibus S. Josephi nomen insculptum efficacissimum est contra apoplexiam remedium. Porrò corpus suum flagris ad sanguinem usque cruentis, ac catena ferrea domare consuevit, quæ ad intima carnis penetrans, adeò fixè eidem adhæsit, ut post obitum illius, qui ei sexagenario accidit 11. die Martii Anno 1652. exscindi necessum fuerit. Laudatus è suggestu concione funebri à Patre quodam è Religiosissima PP. Capucinorum familia. *Ex Theat. Virt. Reverendissimi Georgii Grueber.*

ARTICULUS. IV.

De Reclamatione contra Professionem.

SUMMARIUM.

440. *Ut Religiosus contra Professionem validè reclamare possit, juxta Concilii Tridentini conditiones debet.*
441. *Reclamatio est clamosa contradictio contra professionem in foro fori legitimè facta.*
442. *Qui professionem fictè emisit, non opus habet ad ratificationem consensu Prælati & Conventûs.*
443. *Etiam fictè professus tenetur in Religione manere, usque dum probaverit suam causam.*
444. *Perseverans ultra quinquennium, sed professionem, si sciat evidenter Prælatus, potest dimitti.*
445. *Legitimè impeditus ad reclamandū intra quinquennium potest uti beneficio restitutionis in integrum.*
446. *Quod non contrariatur Concilio Tridentino.*
447. *Casus infelix reclamantium contra professionem Sempronii &*
448. *Titii, qui*
449. *Sufficientia motiva non attulit pro annullatione suæ professionis.*
450. *An Suffraganeus non habens Ordinarii potestatem sufficiat pro judice cognoscendi causam reclamationis? Resp. Negativè.*
451. *Infelices sunt Religiosi reclamantes, quia illos Deus, Religio, & ipse mundus aversatur.*

440 Contingit non raro, Religionem profitentes ex malo dæmonis instinctu, carnis illecebris, aliáve naturæ depravatæ malitia, agitatos contra sacratam professionem excipere, reclamare, fictiones animi, & nullitates votorum emissorum obtrudere, ut à gravi, quod putant, Religionis jugo liberi evadant. Necessarium proin duxi, quædam in hoc nostro Tyrocinio afferre de requisitis ad justam reclamationem.

Ante omnia autem notandum est, quod Religiosus invalidè professus, sive id bona sive mala fide factum est, post cognitam professionis suæ nullitatem eandem de novo ratificare, vel debito modo contra illam tamquam nullam excipere, sive reclamare debeat, & quidem intra quinquennium à die professionis computandum, prout exprefsè statuit *Concilium Trident. Sess. 25. c. 19. de Regular.* Cujus verba integra admetior cuivis perpendenda.

Quicunque Regularis prætendat se per vim

vim & metum ingressum esse Religionem, aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licentia Superiorum: non audiatur nisi intra quinquennium tantùm à die professionis, & tunc non aliter, nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quodsi antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcunque causam admittatur; sed ad Monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur: Interim verò nullo privilegio suæ Religionis juvetur. Nemo etiam Regularis cujuscunque facultatis vigore transferatur ad laxiorem Religionem, nec detur licentia cuiquam Regulari occultè ferendi habitum suæ Religionis. His prænotatis

441 Dico 1. Reclamatio contra professionem invalidam est *clamosa contradictio in foro fori legitimè facta.* Ita communis D. D. cum Donato to. 1. p. 2. tr. 12. Q. 1, dicitur; *clamosa contradictio*, quia debet fieri coram competente judice contentiosè, sicut aliæ causæ forenses tractantur. Dicitur 2. *in foro fori*, non in foro poli, sive conscientiæ, debet enim reclamare volens probationes suas de vi, metu, vel nullitate consensûs interni, per signa externa manifestati, aut de aliquo quocunque impedimento professionem dirimente allegare, & coram judice ac testibus producere. Dicitur 3. *legitimè facta* non solùm coram competente judice scilicet coram professi prælato, & Ordinario, uti expressè requirit Tridentinum, sed etiam debet fieri causæ cognitio, auditis partibus, & rationibus bene discussis. Proinde ad validè reclamandum contra professionem tria necessaria interveniant, necesse est.

1. Ut fiat intra quinquennium à die professionis numerandum. 2. Ut causæ nullitatis coram Superiore, & Ordinario Episcopo, sive ejus Vicario Generali producantur. 3. Ut habitus Religionis non dimittatur ante reclamationem. Quæ conditiones in *cit. c. Conc. Trid.* exprimuntur ita, ut si una ex his desit, *Reclamatio* de jure ordinaria jam locum ampliùs non habeat. Hæc si bene observentur, ad quævis dubia dissolvenda circa reclamationem contra professionem inservient.

Dico 2. Qui professionem fictè emisit, puta, si oretenus tantùm, non corde, postea verò eandem professionem pœnitentia ductus ratificat apud se, non debet novum consensum etiam à Prælato & conventu petere. Ratio est; quòd professio æquiparetur Matrimonio, sed in hoc etiam fictè contracto sufficit, ut sit validum, si superveniat novus consensus illius, qui simulatè contraxit, qui manet in virtute alterius consensûs: ergò etiam sufficit no- 442

vus consensus ex parte professi, manente in virtute priori Religionis consensu. Potest autem in omni contractu consensus diverso tempore esse, nam *l. 1. §. 1. ff. de contrah. empt.* etiam per nuntium, literas, & procuratorem contrahi posse dicitur, ubi tamen consensus non præstantur simul. Et certè satis mutuus consensus dicitur, quòd prior non sit revocatus, maneátque in virtute. Ita Sanchez *de Matri. l. 2. D. 32. n. 3. & 5.* Pellizarius *in Manuali Prælat. tr. 3, c. 1. n. 43.*

443 Dico 3. qui fictè emisit professionem, compellitur tamen manere in Religione, usque dum probaverit fictionem. Nam etsi in *foro poli* sive conscientiæ ex defectu legitimi consensûs, qui essentialiter necessarius est ad substantiam cujusvis contractûs, & consequenter etiam professionis, obligatus non est ad servanda Religionis vota, obligatur tamen in *foro fori*, & habetur pro professo, ùt expresè constat argumento *Can. Quod interrogasti d. 27.* & *Can. Viduas velare 27. Q. 1.* Ubi viduæ solemniter professæ ad Monasterium redire coactæ sunt, non admissa eorum excusatione, qua dicebant se fictè esse professas. Quoties ergò professionis habitum Religiosus suscipit secundùm formam Canonicam, & secundùm illam vivere promittit, licèt fictè id faciat, habitum tamen ampliùs deponere, nequit, quia aliàs ingens Religioni detrimentum, & Ecclesiæ præjudicium fieret. Ratio est à pari; sic in Matrimonio carnali, quod est in facie Ecclesiæ contractum, tenetur aliquis perseverare, etiamsi fictè contraxerit, quia Ecclesia judicat secundùm actus exteriores, & non secundùm actus interiores, qui sibi innotescere non valent: ergo etiam in spirituali Matrimonio, scilicet in sacra Professione Ecclesia non judicat de internis, & occultis, sed intentionem internam per externa signa præsumit, interna enim declarantur per externa. Ex hac ratione ficta professionis depositio difficillimæ est probationis, nec admittitur etiam juramentum reclamantis, nisi alia adminicula, & probationes juris adsint. Ratio est, quòd sicut in aliis causis fieri solet, vi solius juramenti depositi ab una parte nunquam altera pars exturbatur à sua posessione: atqui in casu fictæ professionis à Religioso depositæ, Religio est omnino in possessione professionis validæ & veræ, cùm semper qualis apparet actus in sua figura, talis præsumatur in sua essentia, & Ecclesia per signa externa præsumat internum consensum: ergo vi solius juramenti de professione simulatè deposita non exturbatur Religio à sua possessione, nec admittitur ad tale juramentum professus Religiosus, ut clarè docent D. D. Navarrus

varrus *man. c.* 11. *n.* 27. Sanchez *de Matri. l.* 7. *D.* 37. *n.* 14. Cajetan. 22. *q.* 88. Soto *l.* 7. *de Justit. q.* 1. *a.* 2. Angles *in floribus p.* 2. *de vot. q. un. a.* 1. *difficult.* 4. Donatus *to.* 2. *p.* 2. *tr.* 11. *Q.* 15. Pignatel. *tol.* 1. *cons.* 6. *n.* 9. & alii apud istos citati.

Dixi *nisi alia adminicula & probationes juris adsint.* Nam si adessent præsumptiones potentes, valde probabiles conjecturæ, & testimonia simulatè professo faventia, tunc ex doctrina communi authorum tam citatorum, quàm aliorum, stari posset juramento professi, asserentis se fictè professum. Ast non levia oportet esse ejusmodi adminicula, utpote quæ tanquam graviores causæ coram Superiore & ordinario judice juxta dispositionem *Concilii Tridentini l. c.* deduci debent, & examinari, num satis potentes sint, ut admittatur professus ad juramentum.

444 Quæres in casu, quo aliquis nulliter professus in Religione ultra quinquennium perseverasset, nec intra id tempus suam professionem ratihabuisset, idque certò constaret Superiori sive Prælato, utpote cui ipse professus intentionem suam privatim sæpius intimâsset, possetne talis etiam post quinquennium à Prælato dimitti?

R. Affirmativè cum Sanchez *l. c. n.* 13., quia in hoc casu Prælato evidenter constat jus Religionis in talem professum non esse verum, sed in falsa præsumptione fundatum, cùm professio ejus absolutè sit nulla. Hinc secreto posset dimittere, sicut judex conscius innocentiæ alicujus, qui secundùm allegata & probata est reus, potest illi occultè facere fugæ viam.

Si dicas juxta *Concil. Trident.* ultra quinquennium non esse audiendum reclamare volentem: ergo nec dimittendum. R. in illo decreto Tridentino tantùm præcipi, ne Superior & Ordinarius audiant talem in foro externo, nec per talem dimissionem occultam irrogatur Monasterio injuria, cùm jus verum in Religiosum talem nunquam habuerit, sed tantum præsumptum, præsumptio autem cedit veritati, si de ea, constat, ut est in casu proposito. Cæterùm nemo dubitat Prælatum fictæ professionis conscium graviter peccare talem admittendo, & fortè tacitis promissis v. g. quod velit professum mittere ad Universitatem pro studiis suis cum plausu publico absolvendis, dein ad speciosa officia applicare, aliásve commoditates illi concedere &c. alliciendo, cum Religioni non modicum detrimentum faciat, tum propter subministrata alimenta & necessarium vestitum, tum etiam propter aliorum scandalum.

Interea si ad forum contentiosum deduceretur, talis fictè professi causa non ampliùs audiretur, ut-

utpote cum quinquennium jam effluxisset, prout extat declaratio super dictum cap. Trident. hujus tenoris: *Felicis recordationis Gregorius XIII ex sententia Congregationis Concilii declaravit eos, qui per vim & metum se Religionem professos praetenderent, nisi intra quinquennium reclamaverint, eo elapso non esse audiendos, tametsi allegarent vim & metum semper durâsse.*

Quæres 2. an legitimè impedi-
445 tus ad reclamandum intra quinquennium possit elapso quinquennio saltem uti beneficio restitutionis in integrum?

R. Non solùm minores, sed etiam majores posse uti hoc remedio extraordinario ratione justæ ignorantiæ, aut impedimenti ad reclamandum, & siquidem majores ex clausula generali *l. 1. fin. ff. Ex quibus causis majores.* Ibidem *item siqua alia mihi justa causa esse videbitur, in integrum restituam.* Minores verò ratione fragilis ætatis, & ob infirmum consilium, multis deceptionibus, insidiísque expositum. *l. 1. ff. de in integrum restitut.* Ratio est, quia licèt contra præsumptionem juris & de jure, uti est perseverantia professi ultra quinquennium, nulla admittatur probatio in judicio ordinario, admittitur tamen in judicio extraordinario, & datur restitutio in integrum ex *l. si mater principio. ff. de except. rei judic.* Igitur etsi Tridentinum introduxerit præsumptionem juris, & de jure ratificationis professionis post lapsum quinquennii, non tamen obstabit, quin ex causa justæ ignorantiæ, aut impedimenti, aut fragilis ætatis concedatur restitutio majoribus, & minoribus. Quare in judicio extraordinario, in quo nulliter professus intendit probare justam causam restitutionis in integrum, allegando causas, ob quas verè & justè & realiter non potuit reclamare intra quinquennium, audiendus est. Sanch. *l. c. n. 22.* & Donatus *to. 2. tr. 12. q. 14.* Aliud siquidem foret, allegare causas nullitatis professionis, & aliud allegare causas, ob quas non potuerit intra quinquennium legitimè reclamare.

Neque id contrariatur Decreto 446
Tridentino, quia dum denegatur inibi audientia, non tam propterea tollitur beneficium restitutionis. Sicut *c. Coram 7. de integrum restitutione* denegatur audientia Ecclesiæ post terminum peremptorium, & tamen expresse conceditur eidem restitutio in integrum formalibus terminis: *per restitutionis beneficium id vobis duximus indulgendum.* Hinc Regula *84. juris in 6. cùm quid unâ via prohibetur alicui, ad id alia non debet admitti*, intelligi debet de jure communi, & ordinario, ut scilicet *unâ viâ*, certa lege, & jure prohibitum, & denegatum, *aliâ viâ*, sed eodem jure, ac lege non debeat concedi &c. potest

test tamen admitti novo, & speciali jure, quod fit per beneficium restitutionis in integrum, sicut in aliis momentosis contractibus fieri solet, dum *ignorantia juris*, *metus*, vel *vis* intercedit. Sic licèt via ordinaria elapso quinquennio per Decretum *Concilii Tridentini* non audiatur professus contra professionem reclamans, auditur tamen in foro externo per beneficium *restitutionis*.

CASUS INFELIX.

447 INfelicem ideo pono casum, quia infelicem certè suppono Religiosum illum, qui contra professionem reclamat. Ne autem damnare videar reclamantes sine ratione, casum infelicem duplicem affero.

Sempronius Religionis suæ pertæsus contra professionem reclamavit, & juxta Concilium Tridentinum coram Superiore suo, & in Episcopali consistorio coram delegatis causas suas deduxit, hæcque motiva scripto protulit:

1. Quod ex importuna persuasione alicujus personæ in dignitate constitutæ sanctam Religionem fuerit ingressus animo potiùs ad vitam sæcularem, quam religiosam inclinato.

2. Quod nec unquam durante Novitiatûs anno, nec in ipsa actuali professione sinceram habuerit intentionem permanendi in sanctioris vitæ, & Religionis susceptæ proposito, quòd omnino deseruisset intra probationis annum, nisi binas minaces literas accepisset à Sorore sua germana, ne ad sæculum rediret, eò quòd summam indignationem incurreret parentis: imò ad ipsius aspectum accedere non ampliùs permitteretur, aliorúmque propinquorũ, à quibus proinde nullum favorem, nullam opem, nullúmque auxilium esset obtenturus, sed uno verbo, ab omnibus derelinquendus, ut adeo non nisi inopem & miseram ducere vitam cogeretur.

Proin gravis iste metus sibi incussus, cùm aliàs durum patris genium nosceret, causa fuit protrahendi Novitiatum. Hoc tamen non obstante

3. Tribus vicibus à R. P. Magistro suo sæculares vestes petiit, & licentiam abeundi, quæ tamen ipsi negata fuit.

4. Quod in confidentia coram conovitiis suis sæpissimè intra annum contestatus sit: *si tandummodo meus parens expiraret, vi dimissionem à Religione peterem.*

5. Quòd adhortantibus & compellentibus parentibus & consanguineis professionem quidem emi-

e miserit, sed mere ex necessitate ac metu paternæ indignationis, aliorúmque gravium incommodorum, quæ certo incurrisset, si ad sæculum rediisset. Unde

6. Mox post depositam professionem utpote metu extortam solemniter reclàmavit, & efficaciter protestatus est contra illam, quamvis cæteroquin nullam haberet querelam contra S. Religionem, aut Superiores, aut Confratres. Igitur

7. Ad faciendam fidem, & à Patre suo Spirituali & confessario licentiam rogavit, petiitque, ut attestaretur, quod nullum unquam indicium alicujus vocationis religiosæ durante novitiatûs tempore in ipso perceperit, quin potius ex hoc ipso motivo sæpissimè persuaserit, & quidem ferme in omni confessione, ut religioso habitu deposito ad sæculum rediret.

Testes coram pleno judicio assignati sunt Soror professi germana, quæ minaces scripsit literas, parentis indignationem præseferentes. Magister Novitiorum, Pater Confessarius, & ipsi Connovitii. Delegati judices R. D. F. W. R. D. J. B. P. Advocatus in causa D. J. R.

Discussis istis motivis, probatísque allegatis, & insuper testium depositione juramento confirmatâ lata est sententia in Episcopali curia pro Sempronio, illiúsque professio invalida fuit declarata, datáque facultas remeandi ad sæculum. Ubi num feliciùs certiúsque sit animæ suæ salutem procuraturus, & temporaneæ navigationis partum æternum sit acquisiturus, in mundi hujus pelago natanti relinquitur. Ast huic sors cecidit (ut dicunt mundani homines) alteri propitia non fuit.

Titius Religionem professus est, & in ea per triennium circiter vixit, malo dein genio perductus reclamavit contra suam professionem ex motivis sequentibus 448

1. Quia vitam Monasticam ei adhuc in sæculo degenti disuaserunt viri docti, asserentes, hanc vocationem exitum desperatum secuturum.

2. Quia cùm adhuc candidatus esset, audivit, quasi internè sibi acclamari: *ne ingrediaris Monasterium, non es vocatus.*

3. Quia durante Novitiatu semper habuit intentionem statim post Novitiatum redeundi ad sæculum, si pecuniæ pro veste & itinere ad manus forent; has verò cùm non haberet, ex absoluta necessitate emisit Professionem, ea tamen formali apposita conditione, ut nulla illa sit, nec ipsum in perpetuum obligare possit.

4. Quia in actuali professione hanc tacitam apposuit conditionem, ut Religioni nolit servire, sed potius vicissim ab ea expellatur. Hinc sperabat, & putabat se

se esse expellendum tanquam refractarium, & recusantem regulares pœnas.

5. Quia loci Prælatus ad Religionem pellexit promissis, quod velit ad Universitatem mittere pro absolvendis studiis, quibus postea non stetit, sed tantùm ad studia domestica applicuit.

6. Quia ingressus est Religionem, eamque professus ex ratione, quod iterum abire possit.

7. Causam putat reclamationis sufficientem, quod indolem gerat religiosæ vitæ impatientem: unde & ipsi & Monasterio ingentia damna evenire possunt.

Super istis motivis, & nullitate professionis Titius juramentum deponere vult coram Superiore, & Suffraganeo, qui quidem non habuit potestatem ordinariam, sed tantùm potestatem vicariam in Pontificalibus non spiritualibus. Sed

Jam quæritur, an motiva à Titio allegata sint suffiicienta? 2. an causa sit deducta coram legitimo judice? Quare

R. 1. Non esse sufficientia
449 motiva, uti ostenditur. Nam nec prima, nec secunda ratio allata est alicujus momenti, quia nimiùm probant; probant enim, quod etsi professionem emisisset animo se obligandi, illa tamen esset nulla considerato instinctu, naturæ complexione, prudentum virorum monitis, dicere enim semper posset, se non esse vocatum. Id ipsum quoque allegare posset quoad 7. motivum. Non enim dimitti potest, qui professionem emisit propter indolem disciplinæ impatientem, sed potiùs nolens volens ad regularem suo Ordini convenientem observantiam etiam per pœnas regulares adigi debet. Hinc si talem instituat vitam, se seque regulis conformet, nullum damnum timendum erit Religioni. Planè argumentum hoc serviret omnibus rebellibus Religiosis ad reclamandum intra quinquennium, quod nullus D. D. admittit.

Nec 3. est alicujus considerationis, quia defectus pecuniæ pro vestitu & itinere absolutam necessitatem non inducit, cùm novitio discedenti à novitiatu reddenda sint omnia, quæ ad Religionem attulit.

Nec. 4. Adminiculum præbet, cùm sit sui elisiva, impossibile enim est voto se obligare Religioni sine aliquo servitio, & ridiculum est, si miles nomen suum dare velit cohorti, ut ab ea expellatur. Deinde patet ex n. 235. ad votum sufficere actualem promissionem Deo factam, etsi non adsit animus exequendi promissa ergo tacita conditio, *quòd nolit Religioni servire, sed potiùs ab ea expelli &c.* non vitiat professionem, sicut neque sextum motivum aliqua consideratione dignum est.

Neque 5. ratio professionis rescissionem inducit, cùm Prælatus promissum tale sine consensu capituli dare non potuerit, sicut sine hujus consensu ad Religionem & Professionem admittere nequivit, quod bene sciverit ipse Professus. Deinde applicatio ad studia sufficiens est, si fiat secundùm morem Religionis, ita ut necessariam scientiam acquirat pro animarum cura, & Religiosa vita ritè instituenda. Itaque ad depositionem juramenti nec comitti debet, nec potest juxta dicta, cum non adsint præsumptiones potentes, conjecturæ faventes vel alia adminicula.

450 R. 2. Negativè, quia Suffraganeus non est ordinarius, quod requiritur ex Concilio Tridentino, nec est Episcopi Ordinarii delegatus in causa, ut suppono. Hinc non est judicium competens, nec ita potest audiri Religiosus, nec causa reclamationis decidi, quin ipse Suffraganeus jurisdictionis sibi de jure non competentis actū talem exercens ex Decret. Urbani VIII. suspensionem incurrit. Ita Donat. in prax. Regul to. 2. p. 2. tr. 8. q. 9. Corrad. prax. Dispens. l. 5. c. 14. n. 11.

451 Longè feliciores forent Religiosi, si felicitatem suam perpenderent, quam miserentis Numinis gratia assecuti sunt, dum ad religiosum statum vocati certum pignus divinæ prædestinationis acceperunt; proin magis laborarent, ut dignè cooperarentur vocationi suæ, quàm illam ad fallaces mundi Illecebras, & infernales fraudes turpiter abjicerent. Plenæ sunt historiæ in omnibus S. Religionibus, felicitatem imaginariam cum temporali infelicitate, utinam non æterna commutasse illos, qui tam vanis motivis irretiti Religionem deseruerunt, & mundi mancipia effecti nec ab ipso desideratas delicias, nec honorem speratum adepti sunt, quin potiùs veluti transfugas à se & à Religione inglorios, sæpe miserabiles, & egenos derelinquere solet fastus mundanus, ut postea tales reclamatores contra professionem sera pœnitentia ducti prædestinationis filum sibi præcisum recognoscant, & non nunquam in desperationis abyssum ruant, de quibus Lamentatio Jeremiæ Thren. 4. verificatur. *Qui vescebantur voluptuosè, interierunt in viis: qui nutriebantur in croceis,* divinis nempe gratiis, spiritualibus illustrationibus, & internis solatiis in S. Religione, *amplexati sunt stercora* turpissimarum voluptatum carnalium, & fæcis mundanæ.

Quàm alii devotissimi Canonici vocationem divinam prosecuti sint, & super aurum ac topazion æstimarint, folia non sunt implenda, nec speciales hic adduco testes, sed brevi epilogo concludo Articulum. Cui subscribunt

bunt Ludovicus Orlandinus Venetus Congreg. S. Salvat. Bonon. qui etiam Episcopatum Forojuliensem pro sua modestia animique demissione religiosæ quieti posthabuit. Interfuit Concilio Tridentino. *Ex Josepho Mozzagrugno l. 7.*

Guilielmus Zegerus Belga Verlensis ex Congregatione Windesemensi in Collegio Corsendoncano per plures annos munere Supprioris fungebatur, regularis disciplinæ cultor zelosissimus. Prior post rectoratum Monialium Antverpiæ ordine undecimus electus tantæ fuit constantiæ & æquitatis, ut adulatores ferre, & quosvis vel regularis observantiæ, vel Ecclesiasticorum osores vereri non posset. Religiosæ vocationis adeo amans, ut quotidie ad horas Canonicas primus surgeret, silentii devotionem, & cellæ custodiam strictissime observaret. Post 12. annos in Prælatura exactos ad Superos abiit. *Ex Joanne Hoypergio in Notis ad hist. Corsendon. f. 177.*

Joannes Roa Avila Hispanus Prior Caveri tanti æstimavit religiosam vocationem, ut ea pretiosius in vita æstimaret nihil. Ob doctrinæ præstantiam librósque de variis materiis editos Romæ notus, & ob spectabiles virtutes à Viris Principibus magni habitus, feliciter è cella in cælum migravit. Anno 1631. *Ex Hippolito Marraccio in Bibliotheca Mariana.*

ARTICULUS V.

De S. Regula, ejúsque obligatione.

SUMMARIUM.

452. *Regula est mensura obedientiæ, & explicatur S Augustini, ubi sunt præceptoria, consultatoria, & exhortatoria.*
453. *Ejus obligatio triplex sub peccato mortali, sub peccato*
454. *Veniali, & quia*
455. *Non continet mera consilia & adhortationes,*
456. *Hinc etiam sub imperfectione & pœna regulari.*
457. *Brevis ratio strictè servandi Regulam.*
458. *Signum prædestinationis est observatio Regulæ.*

452 Cùm in S. professione quilibet Religiosus promittat obedientiam secundùm Regulam sui ordinis; est enim regula exemp

lar & mensura eorum, quæ ex vi votorum tenentur exequi Religiosi professi. *Lez, t. 1. c. 7. n. 1.* benè post explicationem Canonicæ professionis nunc de S. P. N. Augustini Regula agimus. De hac, inquam, quam ultra triginta sacri approbati ordines amplectuntur, & tanquam

Viam tenent Regiam.

Ut in suo officio SS. August. composito canit S. Thomas Aquinas, Brevem Oeconomiam dare, eámque in duodecim capita distribuere placet.

Caput *1.* Agit de dilectione Dei, & proximi.

2. De unitate concordiæ, & communione corporalis sustentationis.

3. De virtute humilitatis.

4. De puritate, & frequentatione orationis.

5. De abstinentia cum discretione servanda.

6. De venustate morum, & castitate corporis.

7. De spontanea sui ipsius denuntiatione.

8. De regulari vestium custodia.

9. De earum ablutione, infirmorum cura, Bibliotheca, & petitione quotidiana librorum.

10. De litigiis cavendis contra fraternam charitatem.

11. De reverentia erga Superiores.

12. De solicitudine observandæ regulæ.

Circa obligationem hujus sacræ Regulæ tria sunt attendenda, quæ in illa continentur, *Præceptoria* nempe, *consultatoria*, & *exhortatoria* ùt refert Lairv. to. *2.* Lect. 137. fol. 1183. *præceptoria* sunt plerumque ea, quæ continentur in capite primo, 2do, 4to, 6to, 7timo, 10. & 11. Cætera sunt communiter *consultatoria*, & *exhortatoria*, quibus vel bona disciplina, regularis ordo, spiritualium exercitiorum vicissitudo conserventur, vel malis quibusdam ex nimio appetitu vestium, usu ciborum, & neglectu legendæ regulæ nascituris præcavetur. Id mea opinione benè notandum est, nullum caput in nostra S. Regula esse purè præceptivum, sed communiter continere quædam consilii, vel adhortationis, quæ tamen utpote à sanctissimo, & sapientissimo Magistro conscripta nullatenùs contemptui habenda sunt.

Ulteriùs, ut ordinatè proceda- 453
mus, præcepta regulæ in triplici differentia accipienda sunt, prout scilicet sub *peccato mortali, veniali*, vel *pœna solùm regulari* statuuntur; si enim omnia obligarent ad gravem culpam, jam non esset ampliùs regula discreta, & rationabilis, cùm non dirigeret ad cælum, sed potiùs ad infernum. Igitur observet Religiosus sub *peccato gravi* se obligari ad servandam Regulam

lam, primò si aliàs in regula contentum, gravi præcepto divino, vel humano statutum sit, aut per se necessarium ad salutem, & illud proœmii S. Regulæ habeat: ante *omnia diligatur Deus, deinde proximus.* Hæc enim lex principalis extra sacram regulam apud Sanctos Evangelistas lata est, & ad salutem necessaria in adultis.

2. Obligat S. Regula sub peccato gravi, ubi in se continet materiam votorum, castitatis paupertatis, & obedientiæ.

3. Obligat similiter sub gravi ad faciendum, quod juxta Regulam à Superiore præcipitur.

4. Obligat pariter ad non agendum contra eam ex contemptu, neque ad contemnendam perfectionem Religiosam.

Ita benè docet Valen. 2. 2dæ disput. 10. q. 4. de statu Rel. p. 5. cum eo Sylvest. V. *Religio.* Q. 8. Lezana. *to. 1. cap. 7.* & Doctores communiter.

454 Sub *peccato veniali* autem obligat S. Augustini Patris nostri Regula 1. in transgressione legum moralium; similiter in S. Regula contentarum, sed neque extra graviter obligantium.

2. Si lædantur vota leviter; item indecentibus verbis, vel immodestis moribus, otiosis circumvagationibus aliquod scandalum proximis, vel confratribus pravum exemplum præbeatur, & charitas offendatur, *nihil* enim *fiat, quod cujusquam offendat aspectum. cap. 4. Reg.* id est, sanæ interpretationis: nemini scandalum, & peccandi exemplum, aut malè de Canonicis suspicandi ansa præbeatur, intelligendo in re non adeò gravi, aliàs enim culpam inde lethalem orituram, per se constat.

3. Si Superiori rem levem præcipienti, aut aliquod grave, sed non nisi sub levi obedientia prohibenti, non obediat, præciso tamen contemptu.

Pro meliori ascetica notitia ex tradita huculque doctrina haurienda, & percipienda tam sanctæ Regulæ discretione benè notandum est, talia sub peccato obligantia à S. regula non præcipi, ùt nova præcepta, & quodammodo superaddita, sed solùm cum intentione reducendi in memoriam ea, quæ aliàs præcepta sunt à Deo, vel Ecclesia, ùt bene notat Lez. tit. 1. cap. 7. n. 9. cum Cajet. & Valent. in tantum igitur optimè poterit dici S. regulam esse *exhortatoriam,* ùt suprà explicatum est. Umbert. *in expos. regol. proëm. cap.* 10.

Cæterùm Sanctam regulam plùs continere in se, quàm mera consilia, & adhortationes, imò veram rationem legis, & præcepti habere, docet Umbert. loco mox citato, & dilucidè probat: dicit enim SS. Legislator *cap. 1. Reg. hæc sunt, quæ ut observetis, præcipimus.* Dein *cap. 6,* transgressores, qui *tacitè* 455

tè litteras, *munuſcula acceperint*, aut aliter peccaverint, jubet *emendatoriam ſubire vindictam*; quæ omnia ſatis indicant *pœnam Regularem*, ad quam quilibet profeſſus juxta unanimem D. D. ſententiam obligatur, cùm in formula profeſſionis expreſsè promittat *obedientiam ſecundum Regulam Auguſt.* adeò ut ſenſus ſit formulæ: promitto, me ſervaturum eſſe regulam, aut ſubiturum pænam, quæ à Prælato ob tranſgreſſionem imponetur. Cùm verò omnis pœna præſupponat culpam, magna lis eſt D. D. ſub qua culpa obligare poſſit de facto, & actu obliget regula S. P. N. Auguſt. pro cujus deciſione cum Aug. Erath. fol. 36. videtur.

456 Dicendum, S. Regulam obligare ad culpam moralem impropriè, & latè talem, ſeu *imperfectionem*, quæ quidem propriè peccatum non eſt, diſplicentiam tamen Deo efficit; quia transgreſſiones præceptorum, & violationes Religioſarum regularum, etſi non obligent in conſcientia ſub peccato, diſplicent Superioribus Dei Vicariis, quos qui ſpernit, Deum ſpernit; & certè S. Patri N. ejusmodi violationes, tanquam aliquid diſtortum à vita Apoſtolica, & tanquam à ſanctiori exemplari aberrans non placerent, quin minùs amaret transgreſſores, quàm alios ſuos filios, qui diligenter præcepta regulæ obſervarent.

Deinde S. P. cap. ult. Reg. etſi ſuos nolit eſſe *ſicut ſervos ſub lege* (peccati) ſed *ſicut liberos ſub gratia* (quam transgreſſio nec auferat, nec minuat) tamen jubet, ut *quicunque videt ſibi* (in regulæ obſervatione) *aliquid deeſſe, doleat de præterito*; at de nulla re debemus dolere, niſi de aliquo malo, quod prudenter diſplicere poteſt, & quale eſt violatio Regulæ: ergo de hac dolendum tanquam de malo, non quidem peccato, ſed regulari imperfectione. Tandem quod diſponit ad aliquod malum morale, nempe peccatum ſaltem veniale, vel cùm hoc ſæpiſſimè, & vix non communiter conjunctum eſt, illud in omni aſceſi imperfectio habetur; violatio autem regulæ ita diſponit juxta doctrinam S. Tho. 2. 2. *q.* 186, *a.* 9. *ad* 1. cùm impediat ea, quibus aliquis diſponitur ad obſervanda alia in regula præcepta; imò ſæpiſſimè conjungitur peccato veniali, quia talis violatio advertenter facta valdè raró prudenter poteſt ad bonum finem referri: ergo ejusmodi violatio eſt imperfectio.

De hac imperfectione videatur laudatiſſimus, & in rebus aſceticis verſatiſſimus P. Lancicius Soc. Jeſu *opus* 3. *cap.* 1. *n.* 9. & ſequentibus, de qua & nos p. 1. Cap. 6. a. 4. n. 346. egimus.

Ex his igitur argumentum tibi 457
ſume, Religioſe; divinæ etiam diſ-

displicentiæ in transgressionibus S. Regulæ, ut propterea divina Bonitas illas speciales gratias, fidelibus observatoribus alias dari solitas, deneget, quibus negatis facilis est descensus ad graviora. Exemplum sume ab exacta Sanctorum Ordinis tui vita, & aliorum Sanctorum gestis, quorum nemo ad tantum Religiosæ simúlque sanctæ perfectionis apicem pervenerit, quin minimos regulæ suæ apices observaverit. Proin efficax sume tibi propositum, nunquam deliberatè sine rationabili dispensationis causâ, contra illam agendi, verùm potiùs servandi ea non tantùm, quæ præcepti tum divini, tum Ecclesiastici memoriam ingerunt, sed & ea, quæ sine culpa morali, sub pœna regulari solùm, sub prænominata imperfectione præcipiuntur; lanquidus enim est ille Religiosus, qui, neglectis cæteris, observare tantummodò vult, quæ sub interminatione divini judicii, & gehennæ ignis præcipiuntur; talis non tendet ad perfectionem, brevì deficiet, proximus jam est lapsui, & in periculoso versatur statu; uti probatum est c.8.a.7.à n.188.&seq.

Signum Prædestinationis.

458 Celebris ille Vir Joannes Nadasi S. J. Religionis ingressum, regulæque observantiam *signum* posuit *prædestinationis* æternæ, & meritò, *Religio* enim est teste S. Bernardo *Vita beata, vita Angelorum, verè paradisus. Verè non est hic aliud, nisi domus Dei, & porta cœli. Porta præclarissima, per quam in Sanctam Civitatem intratur, per quam regnum cælorum rapitur, & possidetur, ad æternæ hæreditatis patrimonium pervenitur. Tu fornax, ubi vasa Superni Regis formantur, possessióque terræ verè viventium comparatur! Tu Scala Jacob, quæ animas perducis ad paradisum. Tu stadium concertantium, luctatorúmque bene currentium perducis ad altas coronas.* Igitur, Religiose, nonne felix es, & prædestinatus ad *coronam*, qui vocatus es ad *stadium*? nonne feliciter ascendere poteris, cui divina gratia porrexit *scalam*? nonne facilè vitæ præteritæ maculas eluere, & peccatorum scoriam purgare poteris, qui habes *fornacem* quotidie ad deputandam animam? quin jam es in limine *paradisi*, si Religio tibi videatur *paradisus*. Ast non sufficit, reliquisse mundum corpore, si non animo; non sufficit, esse in stadio, si currere negligas: ut autem rectè curras, *regulâ* opus est, quæ cursum dirigat, ne aberres. *Regula* enim est *præceptum vitæ cælestis* juxta do-

doctrinam. Magni Gregorii *in 1. Reg. l. 5. c. 4.* Quia *legem dare, est præcepta vitæ cælestis proferre: benedictionem dare, est gratiam implendæ legis impendere.*

Certè legem à Religionum Legislatoribus datam, esse *legem Dei* Religiosorum *animis inscriptam*, quæ *fugat diabolum*, docet S. Chrysostomus *Hom. 2. in c. 1. Joan.* Fugas certè diabolum observantiâ regulæ, quæ optimi instar est exorcismi. Nunquam te dæmon è Religione poterit elicere; ad peccatum trahere; in Ægyptum reducere, & inferni reum proclamare; si leges tui Ordinis accuratè custodias. Custodient te, ac Dei erga te liberalitatem invitabunt ad effundendas in te irrigationes gratiarum efficacium, si non tantùm legem Decalogi, sed & consilii custodiêris. Hinc monet Sapiens *Prov. 3. v. 21. Fili mi, ne effluant hæc ab oculis tuis: Custodi legem, atque consilium, & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis.* Ubi apud Lobbetium *tr. de Observ. Regulæ. p. 58.* Hebræi pro *custodi legem*, legunt, *custodi essentiam, & subsistentiam.* Nempe Regulæ Religionum sunt illius *essentia*, & tam diu subsistunt Religiones, quamdiu adest *subsistentia* Regularum. Dum enim libertini regularum prævaricatores laxatis regulis grassantur sensim in viscera, *essentialia* Religionis destruunt, nempe protervâ libertate votorum *subsistentiam* demoliuntur, ipsámque Religionem tanquam *signum damnatorum* efficiunt. Quàm Deo displiceant regularum violationes, quadam visione ostendit, dum *cuidam Monіali apparuit, eámque acriter coarguit, inferno illi ostenso, ni ad regulæ spiritum, & fervorem rediret.* Quàm econtrà Deo grata sit observantia, refertur in *Menologio Francisc. 13. April.* dum Gondisalvus, *in Throno cum sceptro, & corona visus est, quòd regulas accuratiùs observasset.* B. V. Mariæ accepta etiam est, uti Marcellinus de B. Bernardo Tolomeo suis Religiosis inter ultima verba dixisse ait: *Eritis semper Mariæ Filii, si Regulam observaveritis.*

Numinis vocem secutus in Religione Regulam exactè observavit Hartwicus. Cùm priùs Decanum in celeberrima Canonia Rotenbuchensi ageret, Fundatores illustrissimi virtutum ejus capti bono odore & notâ industriâ, approbante Hermanno Episcopo Augustano, inde Damasiam acciverant. Is quondam aulæ Bavaricæ Cancellarius, ad Monasterium illud fortè venerat in comitatu Principis, cùm Ecclesiam ad Vespertinas Dei Laudes ingressus, verba illa Christi per voces cantantium accepit: *Amice, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialem?* quæ ipse verba ad se referens, & ornatum suum sericum ac versicolorem Evangelicis nuptiis parum convenire interpretatus,

tus,

tus, mundo nuntium extemplò remiſit, Canonicúmque Regularem induit. Quia verò Dieſſenſe Monaſterium a S. Georgii ad ædem S. Stephani translatum erat, ejus translationis (annitentibus ſimul Fundatoribus & Epiſcopo Hermanno) confirmationem cum aliis privilegiis ab Innocentio II. Pont. obtinuit. Interim tamen Monaſterium S. Mariæ dudum cœptum, Otto Comes à Wolfartshauſen cum propinquis ſuis Comitibus & Marchionibus Andexienſibus egregiè urgebat, Hartwico etiam non impigrè allaborante. Qui præter Canonicorum Sodalitium, & Sanctimoniales rexit ſeparato clauſas Cœnobio: rexit, inquam, ea moderatione & prudentia, quam B. Mechtildis earum Præpoſitæ perſpecta Sanctitas commendat. Demùm Anno gubernationis XLI. Servus bonus & fidelis vocatus eſt in gaudium Domini ſui: cujus corpus ante altare S. Joannis Evangeliſtæ ad parietem Aquilonarem ſepultum, lætam Anaſtaſin exſpectat. *Ex Metrop. Salisburg.*

Hartwico adjungimus Venerab. Petrum de Juge Pariſienſem Gallum Martyrii Laurea coronatum.

Ille poſtquam Familiæ noſtræ Canonico-Auguſtinianæ nomen dedit Anno 1574. in regali Abbatia ad S. Genovefam Pariſiis adoleſcentiam ſuam poſuit in colenda pietate & literis addiſcendis, unde in Priorem Curatum S. Medardi de Liſiaco aſſumptus boni Paſtoris partes omnes adimplere ſategit, nec enim duntaxat forma gregis ex animo factus eſt, ſed & ipſam ſuam animam pro grege poſuit graſſante quippe tunc temporis per Gallias Calviniſtarum rabie, cùm fortè iter ageret, in eorum manus incidit, qui nacti occaſionem inimicũ ſuum infeſtiſſimum è medio tollendi eum aggreſſi ſunt, ac Juvenem nec ullo modo reluctantem internecioni dederunt, unde jure merito Martyris titulum meretur in terris, cujus lauream procul dubio adeptus eſt in cælis die XXVIII. Aprilis Anno M. D. LXXXX. cum Religionem ſuis virtutibus 16. Ann. illuſtraſſet. *Ex Relatione Pariſiis transmiſſa apud Reverendiſſ. Grueber in Theat. Virt.*

Inter illuſtres Canonici Ordinis Viros haud ſupremum meretur Locum Reverendiſſimus Petrus de Babenberg Campidonenſis Patria, natione Suevus, Profeſſione Canonicus Creuzlingenſis, dignitate Præſul ampliſſimus, virtute illuſtriſſimus.

Sub ejus regimine, occaſione belli inter Auguſtiſſimum Imperatorem Maximilianum I., & Helvetos gliſcentis, Monaſterium Creuzlingenſe deſtructum, ac ſolo fere æquatum eſt. Quod poſtliminio ſedulus Abbas iſte magnis

 ſump-

ſumptibus reædificavit. Idem Præſul cum Canonicorum ſuorum Collegio, tumultuante hæreſi Zwingliana Anno 1529. Monaſterio ſuo ejectus in partibus Sueviæ, pago Hirſchlat / dicto tamdiu delituit, quoad pace illa publica, vulgò Land-Fridem in Turgoia publicatâ ſtudio zeloſiſſimi Decani ſui D. Georgii, nec non Auxilium Cantonum Catholicorum, pulſo pſeudo-præcone Zwingliano cum ſuis Canonicis reſtitutus eſt. Præfuit Cœnobio ſuo maxima animi conſtantia, Annis 47. Tandem verò creſcente virium defectu Anno 1545. liberrimè Abbatia ſe abdicavit, ſoli Deo & ſibi in quieta ſolitudine poſthàc vixurus.

Aſt cælo jam maturus eodem adhuc Anno ad æterna gaudia translatus eſt 30. die Junii à ſuis non tantùm optimè meritus Antiſtes, verùm etiam alter Fundator nuncupatus. *Ex Germania ſacra Gabrielis Bucelini Folio 129.*

De Nantero Gallo IV. Priore Cœnobii Pariſienſis ad S. Victorem magnâ Sanctitate prædito, & An. 1162. ad Superos evocato extat in dicta Canonia ſequens elogium.

Nanterúſque Prior, Vir dignus glorificari,
A Clauſtro meruit in cælum Virgo levari.

Ex vita Richardi à S. Victore operibus ipſius præfixa.

Bernardus Viſcher ex Auguſtano S. Crucis Collegio ad Prælaturam S. Zennonis in Bojaria poſtulatus ob eximium Religionis zelum intrepidam conſtantiam, & ſummam dexteritatem in rebus agendis viris Principibus etiam charus, triginta ampliùs annis adminiſtrationem geſſit. Inter miras rerum & temporum adverſitates ſolerti cura ſua ad ruinam vergentem S. Zennonis Canonicam pulchrè erexit, propriáque induſtria & labore redditus ultra fidem etiã adauxit, diſciplinã reſtituit, ut meritò poſt primum fundatorem *reſtaurator* Cænobii audiret. Veneranda canitie ſenex inter Chriſti amplexus obiit 6. Junii An. 1658. ætatis 71. Sacerdotii 46. Prælaturæ 31. *Ex literis Mortualibus.*

ARTICULUS VI.

De Periculis ob laxitatem, & contemptum S. Regulæ.

SUMMARIUM.

459. *Scopulus juniorum eſt, regularis obſervantiæ neglectus. Proin obſervent hi magna pericula, in qua conjiciuntur negligentes:*
460. 1. *Periculum labendi in mortale.*
461. 2. *Scandali.*
462. 3. *Perverſi judicii.*
463. 4. *Inobedientiæ.*
464. 5. *Retardationis in ſpirituali profectu.*
465. 6. *Communis damni.*
466. 7. *Impœnitentiæ & Apoſtaſiæ.*

467. *Licèt non sit periculum proximum & causa proxima spiritualis ruina est tamen*

468. *1. Periculum contemptûs.*

459 HIc scopulus est recentiorum, dum apud veteres non vident observari regulas; alii enim ad Superioris tantùm præsentiam, alii omnino non observant, unde dura est Superioribus necessitas visitandi, corrigendi, objurgandi &c. quia nemo sponte observat Regulam: Verùm Juniores sibi attendant, quidquid alii fecerint suo tempore à Deo severè judicandi; ne Regulas transgrediantur ob sequentia pericula. Ita in M. S. Novit. Revdsm. Udalricus noster, unde paucis admetior periculosum illorum statum, qui negligunt regulares observantias.

460 Primum periculum est labendi in peccatum mortale, qui enim sciens & volens temerè contra Regulam agit, nulla rationabili causa motus, sed solâ pravæ delectationis libidine, aut tœdii impatientiâ, quomodo non subsit in tali malitia? ex hoc nascitur

461 Secundum periculum scandali, iteratæ enim transgressiones offendunt piorum confratrum oculos, & contristant spiritum in vidente, deinde alios debiles ad parem laxitatem inducunt, ita enim hi ad aliorum exemplum argumentantur: *iste & ille est* (vel saltem vult videri) *bonus religiosus, etsi hoc aut illud faciat, Regulam non observet, utpote sub peccato non obligantem; Superior videns, non statim corripuit; non erit itaque tantum malum, quantum in novitiatu didici &c. si illi impunè licuit, licebit & mihi.* Ecce in firmam Juniorum ætatem, aliàs ad laxiora ob defectum gravioris Judicii, & æstimationis atque ob incentiva naturæ magis pronam! hanc negligentiis tuis ad sequelam moves, verbis allicis, exemplo trahis, laxitate vitæ tibi consocias, *væ homini illi, per quem scandalum venit. Matth.* 18.

Tertium proprii judicii perversitas, quia post frequentes transgressiones intollerabile tandem judicabit S. Regulæ onus, ad excusandas excusationes in peccatis semper promptas habebit rationes, sibi in Regularibus observantiis connivendo, suas interim cupiditates explebit, frangendæ valetudinis metu rigorem incusabit. Tales S. Scriptura *pigros & frigidos*, asceta *amoris proprii servos, onera Ordinis, ac ulcera* vocánt; cupiunt interea amanter tractari ut servi Dei, extolli ad Officia, cùm tamen nunquam se disponant ad gustandam suavitatem jugi Domini, sed per suam negligentiam & superficialem agendi modum nihil constanter exequuntur, sed iis omnia difficilia videntur, ut gravissimè proloquitur Noster Reverendissimus. 462

Quartum. Inobedientia, & voluntatis obstinatio; cum enim Su- 463

Superiores, prout tenentur, observationi Regulæ instant, post plures admonitiones & punitiones transgressor fiet pejor, resistet in faciem, remurmurabit, & cum pertinacia, quod lubet, faciet.

464 Quintum. Nullus profectus in virtutibus; experientia enim constat, Regularum neglectores variis vitiis, erroribus, passionibus, & gravibus tentationibus esse obnoxios. *qui* nempe *in minimo iniquus est, & in majori iniquus erit* secundum S. Dorotheum. Id ipsum S. P. ultimis Regulæ verbis includit, dum violatorem illius jubet orare, *ut in tentationem non inducatur.* Industrii econtra observatores, *tanquam spiritualis pulchritudinis amatores, & bono Christi odore de bona Conversatione fragrantes* abundant virtutibus, acquirunt à Deo gratias, & insignem aliquando sanctitatis gradum ac Gloriam consequuntur.

465 Sextum. Grave & commune periculum est per frequentes transgressiones dissolvendæ Disciplinæ; Ubi enim quilibet suo genio, suæ voluntati, sui cupiditati, suo ventri viveret, ubi obedientia erga Superiores? ubi concordia inter confratres? Ubi tendentia & studium perfectionis? Ubi salutis, & animarum cura? nempe ordo esset sine Ordine, Religio sine Religione, corpus sine anima teste Lairv. t. 2. Lect. 100. fol. 951.

Ast hæc parum forsan te movent, ut igitur te saltem aliena pericula cautum faciant, ultimum sit, quod te moveat.

Septimum. Periculum impœnitentiæ, usque ad finem vitæ, Apostasiæ, abnegandæ à Deo gratiæ finalis, & tandem districti divini Judicii &c. hoc, inquam periculum te moveat, Religiose, ne in illo pereas, sicut quondam malè periêrunt ii Religiosi, qui Arbitrio suo viventes morte peccatorum pessima obierunt, ut sparsim horrenda exempla adducit Lairvelz. Non egemus tamen illis, cùm à nostris historiis, & adhuc viventibus testimonium divinæ in transgressores vindictæ habeamus: quando quidam laxioris vitæ Canonici Regulæ observantiam negligentes sensim sine sensu ad pejora lapsi, tandem adhortationes Superiorum ægrè ferentes in turpes Apostasias proruerunt, & ultimo vitæ tædio affecti, morti, violenta manu propria sibi illatæ, in prædam devenerunt, qui nolebant vivere ad normam Apostolicæ Regulæ, *quam qui amant, & sequuntur &c. Redeunt ad Patriam.* 466

Id tamen notes, velim, violationes S. Regulæ neutiquam proximam esse causam tantorum malorum, & spiritualis ruinæ animæ, cùm transgressiones illæ quantumvis frequentes extra materiam votorum, & aliorum præceptorum solùm imperfectiones non 467

pec-

peccata sint; sed dispositionis esse assero, quibus liberior vivendi modus, disciplinæ fuga, minimorum neglectus, se ipsum vincendi horror, ad perfectionem Canonicam tendentiæ contemptus aliquis inducuntur, & ad has dispositiones, tanquam ad proximas peccatum veniale oriri, si non concomitanter jam adsit, quis negare poterit? peccata autem venialia dispositiones esse ad mortale. Angelicus Doctor 22. Q. 186. a. 9. ad. 1. clarissimè exprimit.

468 Octavum. Periculum potest dici contemptûs, qui tunc committitur, quando aliquis ex prava voluntate nollet se subjicere S. Regulæ, aut Ordinationi Prælati, & propterea movetur ad transgrediendum Regulam. v. g. Religiosus nihilo ducens cap. 3. Reg. n. 2. tantum ideo extra horam prandii aliquid alimentorum sumit, quia Regula prohibet, & ut eam hac in parte inanem, futilem, & prorsus risoriam reddat, talis procul dubio ex contemptu agere censendus est.

Quando autem quis ob alias causas v. g. ob concupiscentiam, iram, passionem, Disciplinæ tœdium transgrediatur Regulam, non peccat ex contemptu: monet tamen S. Th. l. c. quòd frequentia peccati dispositivè inducat ad contemptum secundum illud *Prov. 18. impius, cùm in profundum venerit peccatorum, contemnit.* Ecce! nemo transgrediendo Regulam derepente fit malus, sed successivè in peccata labitur, successive malos contrahit habitus, successivè spretis divini inspirationibus induratur in malo, vitiis turpissimè insordescit, & successivè damnationem finalem impleto peccatorum suorum numero accelerat, ac horrendæ desperationi immoritur. Ecce! pericula, transgressoribus obvenientia! in quæ ne & tu Religiose Tyro cum æterno salutis tuæ dispendio incidas, magni æstima minimam Regulam, noli committere contra eam, quod parvum est, imo propter amorem Dei, Religionis incrementum, & virtutis perfectionem id ipsum parvum stude vincere, *magnus enim esse vis*, inquit S. P. N. *à minimo incipe*, quia in minimo continetur perfectio, ad quam in vita tua te tendere oportet, sicut in sacra professione promiseras.

Conserva itáque præcepta S. Patris tui Augustini, & ne dimittas legem Matris tuæ Canonicæ Religionis, ut addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo in æterna gloria. Amen.

Hunc in finem tot Monasteria & Regularium Collegia à piissimis fundatoribus passim erecta sunt, scilicet ut exactè observaretur in illis regula. Legimus etiam in Historiis, quòd primi Cœnobiarchæ omne impenderint studium, ne ulla, etiam minima, viola-

laretur regulæ pars, Hinc quoque ùt plurimùm, saltem in privata cœnobiorum opinione, tanquam Viri sancti, & altum gloriæ cælestis gradum obtinuisse creduntur. Hos inter non ultimum meretur locum B. Diethramus venerabilis Sacerdos, qui Ottone, & Berengero comitantibus majoris devotionis, & pietatis causâ in quandam eremum *Eglingersfurt* vocitatam secessit, ubi tandem post duos annos magna vitæ austeritate transactos divini Numinis instinctu in honorem *S. Martini* Ecclesiam erexerunt. Interea dum templo cænobium adjiceretur, Diethramus Romam contendit, & à Paschali Pontifice confirmationem anno N. S. 1107. obtinuit. Postea Otto Episcopus Frisingensis unacum Episcopo Prixinensi Hermano consecrasse hoc monasterium literæ perhibent. Dum verò litibus emergentibus circa locum, & terminos territoriales iteratò Romam perrexit pro suo cænobio maximè solicitus Dietramus novam suis apud Deum meritis impetravit postliminio ab Urbano III. S. Pontifice litigantium partium compositionis confirmationem, cum jam antea post multiplices laborum suorum fructus cælestem mercedem adeptus fuisset succedente ei in Prælatura Conrado hujus nominis primo.

V. Paulus Bernriedensis Canonicus Ecclesiæ Ratisbonensis ab Henrico Imp. IV. in exilium actus, recentis fundati cænobii incola Regularis Gregorium Summum Pontificem VII. egregiè contra calumniatores illius ævi potentissimos defendit. Vitam scripsit, & res gestas B. Herlucæ Virginis in eodem cænobio tumulatæ. Fatetur B. Præsul in illius vita quandam visionem in Ecclesia Beyrbergensi factam, suismet verbis expressam. §. 37.

„Illuc ergò conducti charitate „ad curandam sepulturam, sororis Gepe invitè tunc absentis „Cunradi Eremitæ, qui auctor extitit Buribergensis cellæ, præfatus videlicet Henricus, & Domna Bertha mater Ottonis. Ego „quoque Paulus & Gebehardus, „alumnus meus, occurrentem „nobis magno cum gaudio suscepimus suavissimam Herlucam: „quæ cùm non solùm pro tractatu funeris contristaretur, sed etiam pro festo S. Jacobi, quod „tunc instabat, spirituali nobiscum lætitia jocundaretur, interfuit missarum celebrationi, quæ „agebatur in veneratione ejusdem Apostoli. Cúmque ventum esset ad canonem, candentem videre cæpit spirituum justorum multitudinem, ut non „solùm Ecclesiam, sed etiam tectum ejus, & atrium repleri cerneret, sacerdotalibus quoque „vestibus nonnullos incessisse

„con-

„conſpiceret.„ Poſt multos tandem, quas ſuſtinere debuit, perſecutiones ad cæleſtem evocatus eſt coronam vir ævo ſuo celebratiſſimus, & à ſcriptis monumentis ſæculo noſtro adhuc in honore,& benedictione, cujus memoria nunquam intermortua fuit. *Ex Metropoli Salisburgenſi, & vita B.Herlucæ.*

Quàm ſanctè obſervata olim fuerit regularis vita, teſtis ſit B.Rathard⁹ Dieſſenſis,de quo ſequentia.

Anno poſt receptum à Chriſto Genus humanum, quinquageſimo ſupra octingenteſimum, Ludovico Pio Caroli M. Filio rerum potiente, B. *Rathardus* ex nobiliſſima & ſanctiſſima Andecenſium Principum familia natus, ſacriſque Sacerdotii initiatus, hæredem bonis ſuis ex aſſe Chriſtum relicturus, à quo hæres olim æterni regni ſcriberetur, auctore Hautone Germano Fratre, Pontifice id ejus, Auguſtano, ad Damaſiam in *B. Rathonis* geſtis laudatam, ædem S. Georgio Megalomartyri Sacram inſtituit,eámque S.Auguſtini Sodalibus, qui locum hodiéque colunt, adjuncto domicilio aſſignavit. Ipſe poſt exercitam in omni virtutis genere vitam, eodem loci defunctus, humili tectus cippo, ad extremum templi angulum humatus eſt; quamquàm virtus Sanctorum Virorum ſepeliri cum cineribus non poſſit, ſtatim enim ex beneficiis paſſim ad conditorium ejus accurrentibus præſtitis, ſe ſe Viri Sanctitas veluti ſolis ab aurora relucentis jubar diffudit. Interim Norici Princeps *Arnolphus* cognomento *malus*, quod ab impiis factis illi nomen adhæſit (quamquàm alii aliter tradunt) per omne *Noricum*, *Vindeliciam*, & *Boicam* ferro flammáque graſſatus Provincias fœdis populationibus, & rapinis implevit, ſacráque profanis permiſcuit, cænobia, ædeſque ſacras tum virorum ſanctorum, tum Sacrarum Virginum vaſtavit, aut funditus evertit. In quam ſortem & B. *Rathardi* aſceterium venit,quod unàcum B. *Rathonis*, ſeu *Raſſonis Werdenſi* ſolo æquavit. Sublato *Arnolpho*, cùm domus B. *Rathardi* haud parvo tempore in ſitu & ſqualore jacuiſſet, *Udalricus* quidam & *Adelbertus* è Sacrorum Virorum cenſu Presbyteri animum adjecêre ad B. *Rathardi* ædem inſtaurandam; qui dum rudera & aream purgant, ſolúmque adæquant, ac terram fundamentis jaciendis aperiunt, in grande ſaxum incidunt, mirati, quo caſu in eum locum delatum eſſet.

Tumulus erat B. *Rathardi* jam olim poſt everſum templum ignoratus, & cum templo eâdem ruinâ ipſum quoque ſepulchrum B. Viri ſepultum. Presbyteri dum ſaxum moliuntur, necquicquam tamen, quamvis à multis adjuti proficiunt. *Udalricus* ad conſilium Numinis per preces, & vota con-

fugit, divináque re Sanctiſſimè peractâ, redit ad molem ſaxi, ſolúſque nullo negotio levat, quam antea complures movere nulla ratione poterant. *Udalricus* dum jacentis cervicem intuetur, ſpectaculo territus, attonitúſque clauſam reliquit, quoad divinitùs per viſum nocturnum admonitus, remoto cippo Sacras B. Rathard exuvias, cæleſtes paſſim odores ſpargentes nudavit, debitàque veneratione proſecutus eſt. Adrepsêre inde ægri, & inter hos captus omnibus membris, propè & diſtortis pedum cruribus, ad paſchales ferias, emendatóque corporis vitio ſanus erectúſque domum lætus recurrit. *Hartwicus* inde Præſul cænobii, Sacros *Rathardi* artus ex angulo templi in medium prolatos honoratiore tumulo collocavit. Ædem inſtauratam *Anſelmus* Antiſtes Havelburgenſis bona Pontificis Auguſtini *Walteri* veniâ, ante annos quingentos, CIↃ inquam centeſimo quarto, decimo VI. Idus ſextiles dedicavit. Stetit inde quatuor propè ſæculis, annos trecentos, octoginta ad alterum & viceſimum loci Præſidem, & Præpoſitum *Conradum*, qui animadverſo fatiſcentium parietinarum vitio, veritus templi totius proximam ruinam, laborantes vetuſtate muros demolitus eſt, ædémque à fundamentis excitavit, *Rathardíque* cineres honeſto Sarcophago clauſos altari medio intulit, ubi hodíedum ab accolis copioſiſſimè confluentibus religioſiſſimè coluntur.

Ex communicatis M. S. & Chronica Dieſſenſi.

Concludamus tandem Aſceſin noſtram ſpectabilis virtutis exemplo (dum adhuc millena ſub calamo habemus) in primo noſtro Præſule Henrico, qui doctrinâ, vitæ integritate, inculpatis moribus, prudentiáque ſpectatus, & illuſtrium Fundatorum de nobiliſſimo Iringenſium ſtemate cultor ſingularis, & ab iis Patris loco habitus primò rexit Eccleſiam, regulam S. Auguſtini primùm obſervavit, ut obſervantes alios redderet. Poſt temporale & ſpirituale incrementum collegii ad Superos abiit admodum ſenex. 1184.

Religioſa poſteritas ſequens ei inſcripſit monumentum.

EXEMPLAR.

Lege, attende, mirare!
Quiſquis ſequentium ſubſequeris
Primorum ſcrutando vitam
Prælatorum
Poſterior.

Recenti Eccleſiæ datur novus incola
Cuſtos vigilans.
Novo collegio eligitur primus
Miniſter,

Præ-

Præpositus, Præsul, Pastor
Ter venerandus
HENRICUS,
Cherubici Doctoris, & Magistri
Hipponensis
Discipulus genuinus.
Non quidem eodem tempore in
Africa,
Sed observatâ vitæ Regulâ in *Bojaria*,
Candidum gregem sicutis *Hipponis*,
Ita iste *Beyrberga*, pavit.
Candoris exemplo, quod trahit,
Virtutis verbo, quod movet,
Robore *doctrina*, quæ persuadet.
Legis
Tot Domus incrementa, quot vides
Industriæ vestigia,
Nempe Præsules præsunt, ut prosint;
Dignitas confertur propter officium
Cujus administratio
à Supremo Numine,
Teste Apostolo,
Dispensante Pontifice,
Suis Ministris conceditur
Ad ædificationem, non destructionem.
Attendis.
Phæbeam flammam, *Titanium* jubar
auream *Apollinis* faciem.
Non sibi illustris tantùm sequetuetur
Aliis quoque splendet, & ardet.
Purpureus ejus ortus, natalis est
rosæ
Cùm solares radii
Vernalem temperiem *flagrant*
Fragrant attica thyma,
Calente *Syrio*
Præripitur seges, lanquent flores.
Torpente cælo brumali frigore
Nivea jacent lilia.
Pariter modestus ardor Religionis
Regulares refovet flores.
Miraris
Mirandum Henrici Præsulis regimen,
Felicissimum sanè
Dexteritate oeconomiæ
Ad magnum incrementum rei domesticæ,
Successu disciplinæ
Ad Regulam
Suis moribus vivaciter expressã
Diuturnitate vitæ
Ultra 60, Annos
In Ecclesiastica dignitate
Divinitus concessæ.
Hoc
Lege, & attende,
Bonum Præsulem feliciùs
Regere exemplo, ac imperio:
Nec *mirare*,
Quosdam malè imperare,
Quia imperant tantum.
Ex Chronico Beyrbergensi.

CONCLUSIO.

Tandem perduxi vos ad finem Tyrocinii, charissimi Tyrones. Emensi vastissimum mare ebullientium passionum citra charybdin Evagrici erroris pervenistis ad perfectionis religiosæ

 por-

portum, divinarum gratiarum munera reportantes, postquam *virus paternum* feliciter fuit abstersum, & vos *Januam vitæ* ingressi *Jebusæos domesticos* superâstis. In stadio virtutis currentes velut *aurigæ potentes* spectaculum facti estis Deo, Angelis, & hominibus tam Religiosis, quàm mundanis, licèt non sine magna *Lucta spiritûs*, cum inferno, carne, & mundo initâ. *Pondus amoris* cum amoroso Doctore librâstis, ponderastísque absque gravi pondere. *vinculo perfectionis* constrinxistis animas vestras, & in libertatem filiorum Dei estis à Numine asserti. *Sagitta furentis Achab*, tentantis orci, & *Jezabel* spurcissimæ carnis confracta est. *Insidiæ colubri* detectæ, & superatæ sunt sola cognitione scrupulorum. Tabescere fecit sicut araneas, animas vestras spiritualis ablatio dulcedinis. Visum aliquando vobis est *cælum æneum*, sed nunc copiosa affluunt charismata sacratiora. Particularis amor *lege regia* coercitus etiam minima non respuebat, uti magna & maxima, agere pro divini Numinis gloria. Quin ipse *defectus* augebat *profectum*, defectus nempe in malo erat profectus in bono. Induistis post hæc *armaturam fortium* contra omnes adversarios, virtutémque probâstis ad *lapidem lydium*, certa scilicet principia, & profectûs spiritualis indicia, quæ paulò altiùs considerata horrorem incusserunt, & salubrem semper conservabunt in cordibus vestris timorem, *Religionem* sanctam non *depopulandi*, sanctam Matrem non inhonorandi, & dissolutâ vita affligendi. *Vineam* animarum vestrarum ut sanctè custodiretis, *tribus* circumdedistis *sepibus*, solemnibus scilicet votis *paupertatis*, *castitatis*, & *obedientiæ*. Quantâ cum devotione, sancta reverentia, animi demissione, spiritûs fervore, mentis elevatione divinæ essent peragendæ laudes in hymnis & canticis suavè sonantibus, ore pariter & corde, didicistis. Quanta cum humilitate, sinceritate, & pænitudine proprii defectus in Capitulo detegendi, proclamandi, arguendi, atque pro commissis culpis regulares suscipiendæ essent pœnæ, ut *maledictio* verteretur in *benedictionem*, edocti jam estis. Sileam de silentio regulariter servando, de sacra cubiculi custodia, de temporis cœlestium meritorum feraci usu, déque statu Canonicæ vitæ, quæ omnia haud ignoratis. Demum ad solemnem actum *Baptismatis secundi*, Professionis religiosæ, præparatis animis *Holocaustum acceptabile* obtulistis omnipotenti Deo, immolâstísque victimam gratissimam voluntatem vestram in perpetuum illius obsequium. Ne porrò *laurea martyrii* vobis aliquando desit, nam uti observat Maximum Africæ lumen S. Augustinus *Serm.*

250

250. de temp. temporibus nostris martyrum certamina deesse non possunt: habet enim & pax nostra Martyres suos; nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, superbiam humiliare, pars magna martyrii est, generoso opus est certamine. Proin continuò in armis standum, regulares observantiæ exactè tenendæ, & ad reverentiam regularum assuescendum. Nolite ergo ullum efferre pedem è S. Regula, quia est *via regia* ad cælestem patriam. Assuescite habitare in Regula, non extra vagari per damnosas licentias, transgressiones periculosas, & votivas violationes, ne sensim sine sensu seducamini per vias devias ad regionem umbræ mortis. Si verò aliquid difficultatum, salebrarúmque vobis occurrat in exequenda Dei admonentis mente per hanc, illámve regulam expressa; si quoque dictet vobis conscientia vestra hanc, illámve regulam in his, vel aliis circumstantiis violandam non esse, reflectite animos ad docta in *Tyrocinio* principia, non elabantur vobis administrata documenta, iisque perpensis, & reflexè consideratis, vel denuo perlectis erigite in cælum oculos cum S. Francisco Seraphico, & suspirate intra vosmet; *Omnis pœna me delectat. Tanta gloria me expectat!* O quanta gloria vos regulæ difficultates (quæ planè nullæ, aut exiguæ sunt in aurea Aurelii Augustini Regula) superantes expectat! Ibi *Vincenti datur manna absconditum, quod Deus diligentibus se abscondit*, datúrque *nomen novum*, quod quilibet pro exigentia suorum meritorum propriis inscriptum frontibus perleget, aliisque Sanctorum gloriâ sublimatis legendum exhibebit. Certè Regulæ, & regularis vitæ observantia actuoso amori conjuncta cælestis nobis est prærogativa honoris, & divinæ munus prædestinationis. Hinc R. P. Nadasi *de vit. & mor. prædest. f. 899.* refert. in Regula S. Augustini à P. Cornelio Lanceloto animadverti, Regulam esse librum mandatorum Dei, & legem. *Omnes, qui tenent eam, pervenient, ad vitam: qui autem dereliquerunt eam, ad mortem.* Ambulate ergo per viam ad splendorem ejus, & observate eam charissimi Tyrones. Conservate præcepta Patris vestri, & nolite abjicere ea, ut addatur capitibus vestris gratia, & æternæ corona gloriæ. Sed memores etiam estote vestris apud Deum precibus indignissimi servi, & solius maximâ gratia Numinis in spirituali studio, sive in præsenti Tyrocinio magistri omnium minimi, qui ist hæc ascetita dogmata, sive *tractatum Ascetico-Theorico-Practicum* conscripsit, dictavit, porrexit, & observari ardentissimè desiderat ad sempiternam Dei gloriam, Immaculatæ Deiparæ, Magni Augustini, Sanctorúmq; ómniũ honorẽ. Amen.

INDEX.

Capitum, & articulorum, ac lemmatum, post singulos fere Articulos annexorum, moralique brevi discursu expositorum, numero paginam notante.

CAPUT VII.

De Dominio passionum, & spirituali perfectione. pag. 1.

ARTICULUS I.

De natura passionum in genere. pag. 3.

Virus paternum. pag. 9.

ARTICULUS II.

De malis effectibus, & Damnis passionum. pag. 14.

Janua vitæ, & mortis. pag. 19.

ARTICULUS III.

An exstirpari valeant passiones? pag. 23.

Jebusæus Domesticus. pag. 27.

ARTICULUS IV.

De Dominio passionum. pag. 32.

Auriga potens. pag. 42,

ARTICULUS V.

De modis & mediis passionum Dominium acquirendi. pag. 48.

Lucta spiritûs. pag. 57.

ARTICULUS VI.

De affectibus rationalis appetitûs, & singularibus coercendi remediis. pag. 61,

§. I.

De amore proprio, & speciali coercendi remedio. pag. 62.

§. II.

De voluntate propria, & eam mortificandi communi omnibus regula. pag. 65.

§. III.

De propriæ voluntatis affectibus, nimia sui confidentia, vana gloria, & affectu honoris. pag. 69.

§. IV.

De reliquis amoris proprii affectibus, scilicet de curiositate, contentione, inobedientia, & familiaritate nimia. pag. 79.

Manna absconditum. pag. 81.

ARTICULUS. VII.

De perfectione, & in quo illa propriè constituenda? pag. 88.

Pondus amoris. pag. 97.

ARTICULUS VIII.

De statu perfectionis, & obligatione Regularium ad eam tendendi. pag. 102.

Vinculum perfectionis. pag. 111.

CA-

CAPUT VIII.
De impedimentis perfectionis. pag.120.
ARTICULUS. I.
De tentatione. pag.121.
Sagitta furentis Achab, & Jezabel. pag. 131.
ARTICULUS II.
De scrupulis. pag. 140.
Insidia colubri. pag. 147.
ARTICULUS III.
De arriditate, & desolatione spirituali. pag. 155.
Documentum intercalare. pag. 173
Cælum æneum. pag. 182.
ARTICULUS. IV.
De particulari amicitia spiritualem profectum retardante. pag. 185.
Inimicus amicus. pag. 209.
ARTICULUS V.
De Parrhesia perfectioni resistente. pag. 220.
Lex Regia. pag. 230.
ARTICULUS VI.
De conversatione vana, ac derisione mala. pag. 233.
Risus fletus. pag, 246.
ARTICULUS VII.
De negligentia minimorum. pag. 265.
§. I.
Definitur cura, & negligentia minimorum, atque singillatim explicatur. pag. 265.
§. II.
Sex minima ordine executionis sunt fugienda. pag.269.
§. III.
Sex minima ordine intentionis solerter facienda. pag 276.
§. IV.
Cura minimorum probatur auctoritate ratione & exemplis. pag. 281.
§. V.
Deum singularibus gratiis minimorum curam compensare ostenditur 5. motivis. pag.287.
§. VI.
Objectiones dissolvuntur .pag. 295.
§. VII.
Speciale adversariorum argumentum diluitur. pag. 299
§. VIII.
Objectiones de formali contemptu minimorum enervantur. pag. 304
Minus Plus pag. 315.
CAPUT IX.
De indiciis spiritualis profectus. pag.329
ARTICULUS I.
De primo signo spiritualis profectus in diminutione peccatorum sito. pag. 329.
Defectus Profectus. pag. 332.
ARTICULUS II.
De aliis indiciis spiritualis profectus in refrænatione passionum, & Victoria tentationum consistentibus. pag 337.
Armatura Fortium. pag 339.
ARTICULUS III.
De reliquis tribus indiciis spiritua-

lis,

lis profectûs in extirpatione pravorum habitum, & implantatione bonorum, atque in perfecto modo operandi sitis. pag. 344.
Lydius lapis. pag. 349.
ARTICULUS IV.
De quibusdam indiciis defectûs in spiritualibus &c. pag. 353.
Religio depopulata. pag. 356.

CAPUT X.
De tribus votis, & claustralibus observationibus. pag. 370.
ARTICULUS I.
De tribus votis, castitate, obedientia, & paupertate. pag. 370.
§. I.
Quid & quotuplex sit votum, & quæ observanda circa illud in genere. pag. 372.
§. II.
De voto castitatis. pag. 379.
§. III.
De voto obedientiæ. pag. 381.
§. IV.
De voto paupertatis religiosæ. pag. 392.
Vinea sepibus tribus circumdata. pag. 409.
ARTICULUS II.
De Choro. pag. 412.
Casus Canonicus. pag. 416.
Factum Diabolicum, & Divinum. pag. 426.
ARTICULUS III.
De Capitulo. pag. 430.
Locus Benedictionis & Maledictionis. pag. 435.
ARTICULUS IV.
De Silentio regulari. pag. 437.
Fames Canina. pag. 447.
ARTICULUS V.
De Cubiculo. pag. 450.
Officina Sanctitatis. pag. 453.
ARTICULUS VI.
De usu temporis. pag. 456.
Mobile perpetuum. pag. 458.
ARTICULUS V.
De vita activa, & contemplativa & mixta. pag. 460.
Sponsa & Pastor. pag. 464.

CAPUT XI.
De statu Canonicorum Regularium. pag. 467.
ARTICULUS I.
De Origine Canonicorum Regularium. pag. 468.
§. I.
De Clericis Renuntiantibus à tempore SS. Apolorum. pag. 469.
§. II.
De Clericis Renuntiantibus tempore S. Augustini. pag. 474.
§. III.
De Clericis Renuntiantibus post tempora S. Augustini, & propagatione illius Regulæ. pag. 480.
§. IV.
De Statu Clericorum Renuntiantium à Sæculo XI. pag. 486.
Vita S. Augustini Clericorum Sancte vivendi norma. pag. 495.
ARTICULUS II.
De Nomine & habitu Canonicorum Regularium. pag. 501.

Au-

Augustinus nomine & habitu Canonicus Sanctus. pag. 507.

ARTICULUS III.

An S. Augustinus Canonicorum Regularium habitum tulerit, & Canonicus Regularis dici possit? pag. 512.

S. Augustinus terrena fastidiens. pag. 516.

ARTICULUS IV.

An Regula moderna S. Augustini sit Clericis Canonicis, vel Monialibus præscripta? pag. 520.

S. Augustinus Ecclesiæ Propugnator. pag. 524.

ARTICULUS V.

De Unitate & identitate Canonici Ordinis. pag. 525.

S. Augustini apparentis gloria. pag. 535.

ARTICULUS VI.

De novissimis quibusdam Privilegiis & spiritualibus favoribus. pag. 539.

Monumentum immortalis gloriæ S. Augustini. pag. 558.

CAPUT XII.

De Professione & S. Regula. pag. 560.

ARTICULUS I.

De requisitis ad Professionem, & quid sit. pag. 561.

Baptismus secundus. pag. 564.

ARTICULUS. II.

Variæ professionum formulæ, & Ordo Professionis Canonicæ modernæ describuntur, cujus partes singillatim exponuntur. pag. 566.

Holocaustum acceptabile. pag. 584.

ARTICULUS III.

De præstantia Religiosæ Professionis, ejúsque Privilegiis. pag. 588.

Laurea Martyrij. pag. 593.

ARTICULUS IV.

De reclamatione contra Professionem. pag. 596.

Casus infelix. pag. 601.

ARTICULUS V.

De S. Regula, ejúsque obligatione. pag. 605.

Signum prædestinationis. pag 609.

ARTICULUS VI.

De periculis ob laxitatem & contemptum S. Regulæ. pag. 612.

INDEX HISTORICUS.

Complectens quorundam Sanctorum, Beatorum, & Venerabilium Canonicorum aliorúmque vitas compendiosas, singulis Capitibus, & Articulis pro imitando virtutum exemplo insertas.

A.

S. *Ablebertus* Episcopus Cameracensis regularem, sanctámque duxit vitam. Miraculis claret. 152.

B. *Absalon* Episcopus Roschildensis humanos honores ut fugeret supra sedem suam Episcopalem Crucifixi effigiem posuit, ut accedentes non sibi sed Christi imagini honorē ac reverentiam fecisse scirent. Regularem disciplinam restituit. 74.

V. *Absalon* ad S. Victorem Parisiis Canonicus Abbas Sprencherpacensis in Trevirensi Dioecesi regularem disciplinam excitat. 335. Mira cujusdam visio ante ejus adventum. 336.

Alardus Pilsum Congreg. Windesemensis mansuetissimus vir sacrificio Missæ nunquam abstinet, mirè erga SS. Evcharistiam devotus. 449.

S. *Albinus* Episcopus Andegavensis in suo tyrocinio quàm austeram duxerit vitam? 340. miraculis in vita & post morem illustris 341.

S. *Aldobrandus*, sive Aldobrandinus Episcopus Forosemproniensis austeram ducit vitam. Hirundines facit obmutescere, coctámque coturnicem liberè avolare, Miraculis inclarescit. 594.

Alexander Nekam S. Albani Can. Reg. Abbas Oxonii in Anglia scientiâ præstantissimus in morbum tertiò incidit, dum è cathedra docere voluit, B V. Mariam originalis labis immunem non fuisse. 137.

Alphonsus Bavosius Bononiensis minuta temporis S. studiis adhibuit, brevi usus somno. Rector Generalis suæ Congregationis optimè præfuit. 74.

Ambrosius Marlianus Papiensis ad S. Petrum in Cælo aureo Papiæ Præpositus, Theologus & Orator celebris. 68.

B. *Archangelus Canedolus* Canonicus Regu-

Regularis S. Salvatoris virginea castitate, reliquísque virtutibus præfulget. 28. Passionum dominus pro parricidis orat, iisque ad mensam inservit. Asperam & solitariam auspicatur vitam, sed inde retractus Vicariatûs officio præficitur. Prophetiæ dono insignis Leoni X. Pontificatum prædicit. Archiepiscopatum recusat. 29. Sanctè mortuo, & miraculis illustri Epitaphium annectitur ad ejus honorem. Ibidem.

Arnoldus pius Reicherspergensis ingentes tentationes sustinuit à malignis spiritibus. 134.

S. *Arnulphus* Avenionensis Canonici Ordinis juxta Regulam S. Augustini zelosissimus Reformator ex magna Congregatione sua Pontifices Maximos, Cardinales & Episcopos plurimos numerat. 410.

S. *Augustini* vita Clericorum sanctè vivendi norma. 493. Ipse Episcopus Hipponensis nomine & habitu Canonicus sanctus mirè devotus erga SS. Eucharistiam, B. V. M. & sensus suos mortificans. 507. terrena fastidiens moribus angelicus, ciborum parcissimus, detractionis hostis, paupertatis amator, in vestitu moderatus, in adversis patiens, Christum videre meruit, castus & humilis. 516 Ecclesiæ Propugnator acerrimus. 524 Apparentis gloria. 535. Et variæ ejus apparitiones. 536. Monumentum immortalis gloriæ. 558.

Augustinus de Novis Ticinensis Congregationem Lateranensem amplexatus Doctoris laurea insignitus egregiè propugnavit causam Canonicorum contra A. A. Optimè præfuit Congregationi, variósque edidit libros Celebris Auctor. 564. ejus encomia. Ibidem

Augustinus Prandl Beyrbergensis Decanus devotissimus Roma Jubilæi tempore redux piissimè moritur. 430.

B.

V. *Bertholdus Bojus* Diessensis Præpositus regularis disciplinæ observantissimus, & passionum domitor serenissimæ D. Mechtildis Sacellanus nil de vitæ rigore remittit. 22.

S. *Beregisus* Lotharingus S. Auberti Abbas passionum rector gloriosus, & sensuum custos pro construenda Basilica D. Petro sacrâ cœleste indicium accepit. 84.

S. *Bernardus Mentonius* luctam spiritûs sustinet, dum juvenis illustrissimæ sponsæ deputatur, sed nocte nuptias antecedente divinâ mirabilíque ope evadit ad Canonicos sub venerabili Petro Archidiacono Augustæ Salassiorum. 59. Ferventi in Deum charitate æstuat, & eapropter alio-

aliorum consortia fugit. 98. Variis tentationibus fuit appetitus, ut sanctioris vitæ propositum desereret. 135. V. Petro in archidiaconatu succedens quàm altas virtutes exercuit? & mortificationes suscepit? 212. Redditus Ecclesiasticos in usus pauperum impendit: profanorum societatem fugit sola V. Valdiserii familiaritate sanctâ usus. 213.

V. *Bernardus Blancus* Can. Reg. vir insignis & Abbas scripsit librum præclarum Abisag Sunamitis intitulatum. Mirè austeram duxit vitam. 213. Erga SS. Eucharistiam summè devotus, & erga proximum charitate ignitus magnam in dæmones potestatem exercuit, præcipuè in morte. Ejus preces jaculatoriæ. Sanctè mortui corpus suavem emittit odorem, præsentibus stupentibus. 214. Supra tumulum inscriptum monumentum à Canonico quodam 215. Prophetiæ dono illustris. 218.

Bernardus Vischer ex Canonico Regulari S. Crucis Augustæ Vindelicorum Præpositus ad S. Zennonem in Bojaria propter restauratum Cœnobium, & succollatam disciplinam velut alter Fundator celebris.

Bertrandus Episcopus Barcinonensis accitis Canonicis ex Abbatia S. Rufi Cathedralem Ecclesiam ad regularem disciplinam reduxit. 113.

Blasius de novellis sanctitate vitæ, & reformandæ disciplinæ regularis zelo insignis ex humilitate Prælaturam deponit 85. Socius Lateranensis restitutionis ab Eugenio IV. designatus, ac Episcopus Adrianus sanctè moritur. 86. de eodem similiter agitur. 116.

Blasius Lusitanus Conimbricensis Congregationis Canonicus exactè observat regulas Ordinis, & Horas Canonicas sanctè peragit. 450.

S. *Bruno* Coloniensis Archiepiscopus inter publica aulæ imperatoriæ negotia orationi & contemplationi deditus SS. Reliquias Roma coloniam abducit, Ecclesiásque instaurat. Inter Principes pacem componit, & sanctè moritur. 181.

S. *Bruno* Herbipolensis Episcopus, primò Canonicus Regularis Goslariensis orationibus, jejuniis, & sanctis operibus oppidò deditus, in aula etiam Imperatoris rigorem vitæ non mutavit. Revelationem à S. Ambrosio accepit, subita oborta tempestate in castris Imperatoris, quem proin certiorem fecit. Miraculis clarus in SS. numerum relatus. 45.

C.

S. *Cadeoldus* Archiepiscopus Viennensis

nensis in Gallia solicitus animarum pastor, Monasteria regit velut Abbas. Diœcesin frequenter visitat, & Clericos sedulò hortatur ad vigilantiam 151.

Cambius Bossus Congreg. Lateran. sensus suos sanctè mortificat S. Novitiorum Magister. 229. vitam solitariam auspicatus retrahitur ad publica officia, quibus sanctè immoritur 230.

Camillus Beccius Casalensis. Congreg Lateran. Rector Generalis, Zelosissimus disciplinæ restaurator à Sixto V. Decretum accipit pro Canonico Ordine. Postea à Clemente VIII. Aquensis creatur Episcopus. 154.

Casparus Grozius Canonicus Garsensis cælesti visione ante mortem recreatus, per omnes Cœnobii angulos à tutelari Angelo ducitur pro expiatione commissorum ibi defectuum. 285. Ejus humilitas, charitas, & obedientia ante obitum, aliæque virtutes. 286.

Celsus Mancinus Ravennatensis ex Congregatione Lateranensi Doctor Theologiæ & Abbas S. Mariæ Pacis in urbe, Episcopus Alenanus Ecclesiam exornavit, aliisque virtutibus insignis. 61.

Christianus de Campis Belgla F. Laicus orationis studio,& charitate erga peste laborantes insignis in monasterio S. Agnetis piissime obit. 180.

Claudius Sanctesius educatur in Abbatia Cerauni à Canonicis. 319. Canonicum habitum assumens indolem ad studia tardam habet, sed ope B. V. M. excitatur. 320. Theologiæ lauream adeptus contra Calvini hæresin pugnat. 321. & celebri colloquio Hugonottorum Possiaci interest cum publica laude reginæ. 322. cum Cardinali Lotharingo ad Concilium Tridentinum pergit, & contra Bezam Apologeticum Librum edit. Ibidem à Henrico III. Eleemosinarius constitutus prælio interest. 323. Quantæ ejus preces sub conflictu. Excitat omnes ad devotam gratiarum actionem pro parta victoria. 324. Episcopus Ebroicensis creatus regularem nunquam dimisit habitum, paupertatis amator, quam ejus famulitium & mensa frugalis Clericis semper parata præseferebant. 325. Multùm laborat pro receptione Concilii Tridentini, erga pauperes liberalis etiam proscriptæ vitæ, præsertim tempore famis 326. inter maximos Galliæ tumultus arce sua pulsus, à militibus hæreticis captus, variisque affectus injuriis non sine propinati veneni suspicione piissimè obiit. 327. Ejus elogium. Ibidem. Translato corpore barba crevisse visa. 328. Epitaphium.

S. *Claudius* Archiepiscopus Bisuntinus horis Canonicis ritè persolvendis diu noctùque interest. Sanctè moritur illibato virginitatis flore. 78.

Claudius du Molinet Gallus insignis vir, quanta scripserit, egeritque? 411.

B. *Conradus* Coloniensis Præpositus ab æmulis, & regularis vitæ osoribus è monte ter præcipitatus divina ope illæsus servatur, gladiis tandem martyrii palmam obtinet. 23.

V. *Conradus* Kygilin Præpositus Waldseensis pro passionum refrænatione passionis Dominicæ contemplationes adhibuit. Pro sororibus tertiæ regulæ S. Francisci cænobiolum in pago Reuthensi construxit, ubi Elisabetha piissimaDei famula virtutum gloria effulsit. 31. Animabus in purgatorio magnam opem tulit. 32.

D.

S. *Dominicus*, ut fugeret inanem gloriam sibi insidiantem, abjectiora loca pro suis concionibus elegit. 73. minimos defectus in se reprehendit, & dolet. 278. à dæmone discit tentationes fratrum, & peccata 435. dum per Monasterii chorum, dormitorium, refectorium ducit, sed ut intraret capitulum, non potest efficere ex certa assignata causa. 436.

V. *Diethramus* devotissimus Sacerdos cum Ottone, & Berengero fundat Cœnobium Dietramzellense. 615.

E.

Eleuterius Leonicensis Congregationis Lateran. solidissimarum virtutum laude celebris Theologiæ professor. Abbas ad S. Leonardum decessit. 352.

F.

Franciscus Boluart Abbas S. Genovefæ Parisiis ob præclaras virtutes apud proceres in magno honore habitus, multa pro decore S. Religionis agit. 343.

B. *Fridericus Canonicus* Trajectensis in novitiatu eximias exercet virtutes. Ad Præmonstratenses abiens insignis B. V. M. cultor sanctam claudit vitam. 341.

Fridericus Gunderstorffer Præpositus Archidiaconalis Ecclesiæ Ranshoviensis regularis vitæ restituendæ zelo inflammatus leges certas præscripsit. 68.

G.

Gabriel Reeb Aichstadianus Præpositus Reebdorfensis Congreg. Windesemensis patientiæ virtute probatus, in B. V. & castissimum ejus sponsum S. Josephum mira devotione affectus, piissimè moritur. 595.

B. *Gau-*

B. *Gaufridus* S. Rufi Abbas, & postea Episcopus Dertosanus contra rebelles animi affectiones fortiter pugnat, & regularem vitam in cathedrali Ecclesia restabilit. 59. Cenotaphii illius inscriptio 60.

V. *Gerardus Delft* Congreg. Windesemensis Prior ex humilitate dignitate se abdicavit, & eapropter publicam sustinuit pœnitentiam, præclarum de ejus virtutibus testimonium. 86. Magna animi devotio in Sacrificio Missæ, & mira sui mortificatio. 87.

B. *Gilbertus Abbas* II. S. Joan. Valentianensis ingentes perpessus est afflictiones. Canoniam suam Congregationi Aroasiensi unit. 137. & flamis exustam reædificat. 138. Adversantibus Comite & asseclis exulare cogitur. Ibidem. Sed in lethalem morbum incidens Balduinus, ab exilio eum revocat, omniáque restituit. 139.

S. *Gilbertus* Bridlingtoniensis, aversatur ineptas lætitias, & risus, ad lacrimas verò pronus est. 261.

B. *Goldrophes* Lusitanus S. Petri de Folques Abbas sanctitate vitæ clarus. 261. & 262.

V. *Gondisalvus* Lusitanus adeo suas coërcuit passiones, ut nullus animi perturbati motus in eo notaretur. 12. Morientis animam in cœlum ferri angelico ministerio vidit B. Ægidius Ordinis Prædicatorum. 13.

S. *Gualterus*, sive *Walterus* Davidis Scotorum Regis filius D. Oswaldi Canonicus Regularis ex humilitate Episcopales recusat infulas. 73. & 74.

Guilielmus Broekius in Rubea valle Congreg. Windesemensis Antistes propter Passionum suarum moderationem spiritualibus repletur solatiis. 85.

B. *Guilielmus de Campellis* ex Archidiacono Canonicus Reg. S. Victoris postea Episcopus Catalaunensis divino amore flagrans, virtutibus inclarescit, & sanctitate. In Cisterciensem S. Bernardi familiam apprimè affectus, & hospitalis. 99.

Guilielmus Zegerus Congreg. Windesemensis religiosam vocationem gratiam gratiarum æstimans disciplinam sancte colit, silentii, & cellæ amator præcipuus.

B. *Gudinus* Lusitanus S. Vincentii Canonicus, postea Episcopus Lamacensis, & Bracharensis ob sanctitatem vitæ etiamnum in hominum memoria vivit. 101.

V. *Guntherus* Bojus Eberspergensis Præpositus Canonicorum Reg. Græcis & latinis litteris apprimè doctus, Principibus, & proceribus in veneratione habitus. 78.

H.

V. *Hartwicus* ex Decano Rottenbuechensi Præpositus Diessensis

sis sanctè vocatus ad religiosum statum, sanctè praeest. 610.
Henricus III. Episcopus Brixinensis ex Canonico, & Praeposito Berchtesgadensi virtutibus clarus Ecclesiam Cathedralem incendio vastatam restauravit. Plurima pietatis in Deum, liberalitatis in pauperes, & charitatis in suos Canonicos monumenta reliquit. 13.
V. *Henricus Beybergensis* I. Canoniae Antistes S. lipsana transfert in suam Ecclesiam, ubi B. Herluca mira SS. apparentium visione recreatur.
V. *Henricus Manden* Hollandiae Comitibus à consiliis, mundo valedicit. 262. mira ejus in ordine humilitas & patientia atque lacrimae. 263. Sancta ejus conversatio. Angelicum concentum audit in festo assumptionis B. V. M. 264. Christum etiam videt, & statum animarum purgantium cognoscit. Ibidem.
Hercules Monaldinus in Congregatione Lateranensi Novitius insignibus excellit virtutibus. Zelo flagrantissimus Concionator Romae integras hebraeorum familias convertit. Legatus Apostolicus ad conventum Melitensem piissimè obit multis encomiis celebratus. 351.
Hieronymus Schlaich Canonicus Waldseensis ob morum gravitatem, & praeclaram scientiam Episcopus suffraganeus Brixinensis fit. 262.
Hugo de Falieto Canonicus Regularis Cordubensis scientiis & virtutibus clarissimus varia edidit opuscula spiritualia, & in S. R. E. Cardinalem creatus suo aevo floruit. 65.
S. *Hugo de Gratianquolitanus* Episcopus nunquam aspicit foeminas. 227. S. Brunonis rigidum vivendi morem probat, facitque duas Canonicales Abbatias Carthusianorum eremos. 228. Sanctè obit.

I.

B. *Jacobus de Gabusianis* Canonicus S. Georgii de Brinate Praepositus adeò in pauperes liberalis fuit, ut Deus spectabili miraculo hanc virtutem comprobaverit exhaustum horreum subitò replendo. 84.
B. *Jacobus de Vitriaco* Canonicus Oegniacensis, Episcopus Tusculanus & S. R. E. Cardinalis plurima pro Ecclesia Dei peragit, praesertim in terra sancta, rarum virtutis specimen praebet. Scribit varia opuscula, & inter haec vitam B. Mariae Oegniacensis. 585.
Joannes Avila Hispanus maximè aestimavit suam ad Religiosum statum vocationem. Vir doctissimus & à Principibus magni habitus.

Joan-

Joannes Bernardi Belga Congreg. Windesemensis Prior Generalis alloquio suavissimus semper suis paratas habebat aures, sui moderator eximius in prosperis humilis, in adversis patiens, priùs suæ voluntati, quàm mundo mortuus. 68.

S. *Joannes Bridlingdoniensis* libertatem oculorum à suis Clericis procul esse desiderat. 228.

Joannes Clotinc F. Laicus mira dulcedine Marthæ labores cum otio Mariæ conjungens inter manuales occupationes devotè orat. 181.

Joannes Fronto Andegavensis mirando ingenio præditus post susceptum Canonicorum habitum Theologiæ Theses cum plausu defendit. 361. S. Thomæ Philosophiam in ordinem redigit. 362. Ejus humilitas, obedientia, morum compositio, humanitas, & indefessus labor 363. Theologiam prælegit P. P. sententiis exquisitam. 364. Octo linguarum peritus, sinceritate animi tamen unus, & propter insignem Doctrinam Cancellarius Academiæ Parisiensis. 365. Maluit in pagis, quàm in urbe animarum saluti incumbere, erga pauperes liberalis. Ibidem. Ejus charitatem etiam hæretici mirati sunt. Conciones ad populum habet. 366. Pueris & idiotis fidei rudimenta tradit, suóque alloquio omnes accendit. 367. & ægrotos visitat, consolatúrque. Ibidem. In febrim incidit, & post sex dies moritur piissimè. 368. Lugetur ejus obitus ab omnibus, funebres orationes à Parisiensi Academia habitæ, & Epicedia scripta in ejus laudem cum Cenotaphio. 369.

V. *Joannes Gilemans* Congreg. Windesemensis inter multiplices occupatiões, & Regularia officia orationis gustu perfruitur. Aliquando ariditatibus torquetur. Sub sacrificio Missæ Jesum sub puerili specie elevâsse visus est. 180.

Joannes Marius Colutius Firmanus Congregationis Lateranensis contra pestiferas sensuum illecebras studium literarum opponit, stupenda præditus memoria, facundus Orator, & Theologiæ Doctor. 22.

Joannes de Novenburgo Anglus Præpositus Can. Reg. Henrico III. Angliæ Regi à consiliis, & legatione etiam functus eligitur Episcopus Carleionensis, ast morte præventus cælesti infulâ coronatur. 352.

Joannes Robertus Conimbricensis magnos accipit favores ob suum zelum & devotionem SS. Martyrum pignora custodiendi. Miraculo subsistunt illa Conimbricæ. 101.

S. *Joannes Warnestum* insignis passionum

num & motuum moderator Canonicum Ordinem exſtructis collegiis promovet, nec non S. Ordini S. Benedicti varia præſtat beneficia. 44. è ponte cadens divina virtute illæſus ſervatur, & à ſicario impetitus à cælo impetrat, ut illius manus in aëre ſuſpenſa S. non tetigerit Epiſcopum. 45.

Joſephus à Nave regularis diſciplinæ exemplar abſolutiſſimum paſſiones ſuas refrænavit. In meditationibus extaſes paſſus, nonagenarius Veronæ piiſſimè obiit. 12.

L.

S. Laurentius illuminator ſub dominatu Gothorum Canonicis Regularibus S. Auguſtini Eccleſiam conſtruxit. Epiſcopus Spoletanus, civibus urbis portas violenter occludentibus ſuis precibus patefecit. 76. & 77.

B. Laurentius Juſtinianus ſenſuum & paſſionum domitor quantas mortificatiões ſuſcepit novitius Canonicus? 10. heroicam exercet patientiam, & humilitatem. 11. notabilis ſententia ejus de Sacerdotibus Sacrificium Miſſæ negligentibus. 12. Sub miſſa extaſes patitur. Saluberrima erigit ſtatuta, & ſanctè moritur. 12.

Laurentius Major in variis univerſitatibus ſtudia collocat. 218. Decanus Ranshovienſis raro exemplo & charitate confratres regit. 219. Baumburgenſis Præpoſitus poſtulatus Seminarium ſtudentium erigit, & regularem diſciplinam conſervat. 219. à Principibus in magno pretio habetur, & à magnis viris ſingulariter laudatur. 220.

V. *Leonardus Buck* Oſterwicanus in obeundis variis Congregationis officiis propter ſingulares animi virtutes omnibus eſt admirationi. In oratione mirè devotus in famâ ſanctitatis moritur Corſendoncii. 180.

Leonardus Huetter Canoniæ Subenſis in Bavaria Præpoſitus immunitatis Eccleſiaſticæ jura ſtrenuè defendit. 351.

S. Ludgerus Epiſcopus Monaſterienſis Trevirenſem recuſat infulam. 427. non niſi poſt peractas horas Canonicas ad Cæſarem ſe confert. 428. ſancta ejus vita & mors 429.

Ludovicus Orlandinus Venetus ex humilitate Epiſcopatum recuſat. ſummè æſtimat ſuam vocationem.

M.

S. Malachias propter oculorum mortificationem à S. Bernardo laudatur. 228. illius mira in ridendo modeſtia 249.

Marcus Marius Venetus Hebraicæ, Chal-

Chaldaicæ, Græcæ, Arabicæ, & Latinæ peritissimus Gregorio XIII. S. Pont. charus. 78.

Marius Locherensis ex Canonico Regulari S. Michaëlis ad Insulas WengensesUlmæ inSueviaSS. Theologiæ Doctor Episcopus Sidonensis, Cathedralis Ratisbonensis Concionator fervens contra errores Lutheri, & suffraganeus Frisingensis A. 1543. moritur piissimè. 60.

*Martinus Navarrus*Can.Reg. Doctor celeberrimus scientiæ miram vitæ sanctimoniam conjunxit. 333. Cultui B. V. M. devotissimè addictus. 334. omnes juvat consiliis suis, Societati JEsu calamitates prædicit. 335. Deum sibi semper præsentem cogitat, & sanctè moritur. ibidem.

V. *Michael Violaus* Gallus S. Euurtii Aurelianensis Abbas in studio litterarum sacrarum apprimè versatus, extemplo difficillimos locos illarum eruditè exponere potuit. Choro nunquam abesse voluit. Cujus consilia Magnates velut oracula venerabantur, donum singulare habuit domestica negotia cum spiritualibus conjungendi. Mortuo tota civitas cum confluente populo parentavit, ejus Epitaphium etiamnum legitur. 46.

Michael VVagnereuius Archidiaconus Parsensis regularis disciplinæ observantissimus. 155.

N.

Nanterus Gallus Prior S. Victoris Parisiensis virgineæ castitatis, & sanctitatis encomio, & publico epitaphio celebratur. 612.

Nebridius Molitor Mindelheimensis linguarum variarum peritus Claustri Neoburgi in Austria Canonicus Regularis zelosissimus, devotioni B. V. M. addictissimus, erga proximum charitate flagrantissimus, quam peste infectis exhibuit, & demum patientiæ virtute coronatus beatè obiit, dum pridem antea epitaphium sibi scripsit, profundæ humilitatis tesseram. 47.

O.

B. Odo Aquæ-Curtensis Canon. Reg. Abbas sanctiori vita Canonicum illustrat Ordinem. 116.

S. Ollegarius Can. Reg. & Abbas S. Rufi ob insignes virtutes Barcinonensis Episcopus, ac postea Archiepiscopus Tarraconensis vigilantissimi contra Ecclesiæ hostes pastoris munus obiit. Lites composuit Capituli. Ejus humilitas in subscriptione Literarum. Pro quiete Ecclesiæ comitia indixit, & multa laudabilia statuit, & Concilio Claramontano interfuit. 114. Ejus liberalitas in pauperes. Prophetico præditus spiritu. 115. post

mortem inclarescit variis prodigiis. 116.

Otto Lyman Congreg. Windesemensis silentii, chori & paupertatis singularis amator. 262.

P.

V. *Paulus* Bernriedensis ex Cathedrali Canonico Ratisbonienfi Bernriedensis asceta, tuetur suis scriptis Gregorium VII. Pontif. Max. & vitam B. Herlucæ describit, quantas fuerit passus persecutiones. 616.

Paulus Malchiodus Placentinus Congreg. Lateran. Abbas & præpositus ubique religiosæ perfectionis vestigia reliquit, præsertim humilitatis, & charitatis. Manuscriptis Commentariis illustris. 100.

Petrus de Babenberg Campidonensis Abbas Creuzlingensis ab hæreticis multa patitur, & optimè præest alter fundator appellatus. 611.

Petrus Bonsignorius Bononiensis eximio humilitatis, mortificationis, & devotionis Prælatus. 336.

Petrus Combret humilitatis maximæ studiosus ad suum Abbatem Alanum quæ scripsit? 436.

V. *Petrus Forerius* sensuum suorum custos & affectionum moderator famem & sitim violentam tolerat. 87. Ob tantam passionum refrænationem insana passione occæcatum juvenem post mortem à sua concupiscentia liberat. 87. Charitatem omnibus commendat, & à se institutis monialibus tanquam tesseram præscribit: hinc maximam habuit suæ conformitatem voluntatis cum divina. 118. Illius Decretum beatificationis, & Canonizationis à S. P. M. Clemente XI. ibidem. Mira ejus refrænatio oculorum, quam etiam à monialibus suis requirit, ne unquam in facie eum aspiciant. 228. 229. Modesta lætitia in vultu, & lacrimarum donum 260. minimos defectus deplorat, & reprehendit. 278.

Petrus Franciscus Maletus celebris Ecclesiastes Serenissimis Ducibus Sabaudiæ inprimis charus, magnæ virtutis, & totius Lateranensis Congregationis Abbas, Niciæ in Provincia Episcopus. 449.

Petrus de Juge Parisiensis Martyrii lauream accipit. 611.

Philippus Vetterl Ranshoviensis Canonicus excellit in scientiis & Prælatus electus ædificium Cœnobii restaurat. 337.

S. *Prosper* Lemovicis in Aquitania nobili satus prosapia à Leone I. inter Canonicos Lateranenses cooptatur, & strenuè pugnat contra hæreses. 350. Regiensis Episcopus creatus faucta vigilantiâ oves pascit, cœli gloria sublimatus 351.

R.

B. *Rathardus* Diessensis ex stirpe nobilissima & sanctissima Principum Andecensium oriundus seculum relinquit, & S. Augustini Sodalibus Cœnobium erigit. Ejus ossa sacra mirificè inveniuntur, dum Templum instauratur. 617.

Robertus Scriba Præpositus Bridlingtoniensis ineptas aversatur lætitias, & risus. Scriptis à se voluminibus Bibliothecam instruit. 261.

B. *Robertus Vulpeti* Virginitatis florem illibatum conservat. 450.

V. *Rudolphus* Rottenbuechensis Præpositus bonæ famæ odore & virtutum suarum fragrantiâ multos nobiles juvenes ad amplectendum habitum Canonici Ordinis attraxit. Rebus optimè administratis piissimè moritur. 32.

S.

S. *Sesnandus* Lusitanus Martyrii laureolam adeptus est propter singularem solitudinis & silentii custodiam. 455. Miraculum post ejus obitum patratum refertur. 456.

S. *Severinus* severissimè punitur, quòd Horas Canonicas omnes manè recitâsset. 426.

B. *Stanislaus Casimiriensis* abstinentia, austeritate vitæ, cæterisque omnibus virtutibus præclarus, erga S. Stanislaum Episcopum & Martyrem sibi apparentem devotissimus, & miraculis insignis. 448.

Stephanus Berout ex Cathedrali Decano Laudunensi Parisiis ad S. Genovefam Regularis Canonicus piissimus Novitius obit. 336.

Stephanus Leodiensis ex Canonico Reg. Ecclesiæ Metensis Episcopus Leodiensis suarum affectionum dominus, aliorum etiam Principum & Regis Caroli furorem mitigare potuit. 45.

Stephanus Serva Cremonensis Dæmonum astutias, ac tentationes probè gnarus evanidas reddidit, & ad S. Ubaldi pignora Exorcista ipse multos ab obsessione malignorum spirituum liberavit. 139.

T.

Titus de Novellis Ferrariensis maxima præbuit virtutum specimina in suo tyrocinio. 116. multùm laboravit in restitutione Patriarchi Lateran. & licèt reluctans Episcopus Adrianorum creatus ut optimus pastor gregi præfuit. 117.

B. *Theodorus Placentinus* ex contemplatione passionis Christi sæpissimè lacrimatur, non verò ridere visus. 261.

U.

Udalricus Schirm Canonicus Undensis, vir magnæ virtutis & experientiæ spiritualis Canonissis Inzkovianis Spiritualis præfectus sacram invexit vivendi normam, & Prælatus in Bavaria ac Suevia visitator Monasteriorum, munus suum sanctè implevit. 343.

Udalricus Strobelius Langenauensis Præpositus Wengensis Ulmæ gloriosus sui victor. 65.

S. Vigor Bajocensis Episcopus parentes à sanctiori proposito abstrahere volentes deserit, sensus suos mirè frænat. Et sanctè defungitur, miraculis illustris. 21.

W.

Walterus, vide Rualterus.

S. *Winvvaloëus* S. Patritium Hibernensem Apostolum Magistrum habet in institutione suæ vitæ. 341. mira ejus vita, & sancta mors. 342.

Wolfardus Mathia Medenblicensis Hollandus Congreg. Windesemensis abjectissima obit munia, Choro constanter inest, & rigidas servat abstinentias. 352.

Benevole Lector.

Ne in præsenti Tyrocinio leves quidam typi errores animum tuum suspendant, dignare ex præsenti tabula illos corrigere, alios vero levioris notæ pro tua discretione emendare.

Fol.	Col.	Lin.	Menda. Emenda.
13.	2.	29.	Liberalitatis in suos, lege, in pauperes & charitatis in suos
25.	2.	23.	ricantur. l. tricantur.
28.	2.	11.	menta. l. mente.
28.	2.	31.	præferrens. l. præfervens.
33.	1.	40.	emergerunt. l. emergerent.
61.	1.	6.	angustiorem. l. augustiorem.
64.	2.	11.	corpus serviendum. l. corpori serviendum.
79.	1.	25.	Tyrocii. l. Tyrocinii.
98.	1.	30.	inæquitudine. l. inquietudine.
98.	1.	38.	avilçret. l. valeret.
99.	1.	33.	inunxisths. l. inunxit 15.
117.	2.	1.	pro sana. l. profana.
119.	2.	7.	affectum. l. effectum.

135.	2.	29.	ludiens. l. ludicris.
176.	1.	ult.	uto, l. luto.
176.	2.	11.	rationibus. l, orationibus.
233.	1.	8.	utinam. l. ubinam.
303.	2.	35.	parvo. l. pravo.
362.	2.	33.	filium. l. filum.
368.	1.	36.	hodiernus. l. 18. Aprilis.
426.	2.	1.	P. Anselmo Bislinus. l. Bisling.

In Institutionibus Novitiorum M. Hugonis de S. Victore.

fol.	Col.	Lin.	
4.		5.	A. 1781. l. 1721.
5.			C. VI. perficere. l. proficere volunt.
5.			C. VIII. attenta. l. attendenda.
8.	2.	15.	considerare. adde. & quantum valet per semetipsum discernere.
10.	1.	30.	quando. adde. calor incentivi.
17.	2.	2.	ostendantur. adde. per amorem.
23.	1.	22.	genus. l. gestus.
29.	1.	47.	defluxio mentis. adde. in eo autem.
32.	1.	4.	agrano. l. agrario.
39.	2.	13.	modo assa. adde. modo pipere.

INSTITUTIONES NOVITIORUM CANONICORUM REGULARIUM

A

M. HUGONE de S. VICTORE PARISIENSI CANONICO REGULARI

Conſcriptæ, & inter Opera ejus magnis tribus Tomis comprehenſæ, nunc ad privatam Tyronum utilitatem, & ad publicum aliorum commodum editæ.

Cum Licentia Superiorum.

AUGUSTÆ VINDELICORUM,
Sumptibus Georgii Schlüter & Martini Happach. 1723.

Ad Lectorem.

CUm Tyrocinii Canonici partem primam typis pararem vulgandam, contigit, Regulam D. Aurelii Augustini *Ugonis de S. Victore, & Umberti V. Ordinis Prædicatorum Generalis Magistri commentariis doctissimis illustratam &c. Anno M. D. LXXXI. cum Facultate Reverendissimi Ordinarii Dilingæ* olim editã, ad privatam quorumcunq; sub vexillo Augusti Doctoris Augustini militantium utilitatem, comodúmque novis typis denuo publici juris fieri Anno scilicet Æræ Christianæ 1721. Placuit Viris Religiosissimis renovatus zelus, instauratus labor, nec non studium illud laudabile, ab interitu tam præclaras lucubrationes vindicandi, simúlque posterorum memoriæ, sub novo ac moderno quasi vestium ornatu, *novis*, inquam, *typis*, spectabiliores iteratis lectionibus efficaciùs, imprimendi, atque avita Regularis vitæ, & famosissimæ Aurelianæ Regulæ principia denuo propalandi. Placuit non solùm, sed & multorum accensus est fervor ita, ut etiam pro Tyronibus asceticas ejusdem M. Hugonis Victorini Institutiones similibus formis impressas exoptârint, commodam rati occasionem, si alteri *Tyrocinii* mei Parti illæ conjungerentur. Nec displicuit mihi gratiosa quórundam voluntas ex duplici ratione, quia sic Tyrones defectum *Tyrocinii Canonici* ex Institutionibus Hugonis supplere, atque documenta documentis in assignatis materiis cohærere animatvertentes, rigorosioris disciplinæ regulas non meo privato adscribere possent genio.

Quare si magnus quondam habitus fuit gratiæ locus Reverendissimis D.D. Michaeli in Waldsee, Antonio apud S. Crucem Au-

guſtæ, ac Hieronymo in Wettenhauſen Canonicorum Regularium Præpoſitis, quorum ſtudio, & impenſa illud opus (*Regula Auguſtiniana Commentariis illuſtrata*) è tenebris, atque interitu propemodum *tunc temporis* vindicatum, in publicum commodũ, atque inſtitutionem fuerit prolatum A. 1581. denuóque novis typis A. 1781. reſtitutum, quidni haud inferiores reponentur Reverendiſſimis Canonicæ diſciplinæ Zelatoribus, quorum intentioni ad omnimodam novellorum inſtructionem inſerviunt iſtæ Inſtitutiones M. Hugonis, Doctoris celebratiſſimi, & ævo ſuo alterius velut Auguſtini? Tu igitur, Candide Lector, ſi eadem benignitate, qua Expoſitiones ſuper Regulam Magni Auguſtini nuper excuſas ſuſcepiſti, Inſtitutiones iſtas reſpicere haud dignaris, ſtudium ſaltem Religioſiſſimi Auctoris, & intentionem promotoris, ad Inſtitutiones iſtas typis vulgandas multiplicibus votis illecti, æqui bonique conſule, ut communem ex tuo conſenſu nobiſcum participes charitatis fructum, quem omnium Sanctarum legum, & piorum Inſtitutorum Auctor Deus legenti, & pia lecta facienti uberrimè largiatur.

M. Hu-

M. HUGONIS DE SANCTO VICTORE CANONICI REGULARIS SANCTI VICTORIS PARISIENSIS.

De Inſtitutione Novitiorum Liber optimus,

Cujus hæc ſunt capita.

In ipſum opus Prologus tria definiens ad beatitudinem perducentia, quæ ſunt, ſcientia, diſciplina, bonitas.

Cap. I. Quibus modis inveniatur recte vivendi ſcientia?
Cap. II. Quid in omni actu agendum?
Cap. III. Quid in ſingulis locis agendum?
Cap. IV. Quid ſingulis temporibus agendum?
Cap. V. Quid erga ſingulas perſonas agendum?
Cap. VI. Quales ſe debeant exhibere, qui per doctrinam perficere volunt.
Cap. VII. De exemplis ſanctorum imitandis.
Cap. VIII. De iis, quæ in ſacris Scripturis ſunt attenta.
Cap. IX. Quomodo in omnibus operibus ſuis debeat homo eſſe circumſpectus.
Cap. X. Quid ſit diſciplina & quantum valeat?
Cap. XI. De diſciplina ſervanda in habitu.
Cap. XII. De diſciplina ſervanda in geſtu.
Cap. XIII. De diſciplina ſervanda in locutione, & primò quid loquendum?
Cap. XIV. Cui loquendum ſit?
Cap. XV. Ubi loquendum?

Cap. XVI. Quando tacendum, & quando loquendum?
Cap. XVII. Quomodo loquendum sit?
Cap. XVIII. De Disciplina in mensa, & primo in habitu, & gestu,
Cap. XIX. De triplici observatione disciplinæ in cibo, & primo quid comedendum.
Cap. XX. Secundo quantum comedendum?
Cap. XXI. Tertio quomodo comedendum?

Sequitur igitur jam dictus Prologus.

Quia Fratres largiente Domino de vana conversatione hujus sæculi per desiderium Sanctum conversi estis, & ad ipsum, qui fecit vos tota mentis intentione, ac voto redire disponitis, oportet vos nunc ipsam viam discere, per quam possitis ad illum, quem quæritis, pervenire. Ipse est enim vera, & sempiterna vita, extra quem, sicut nemo vivere potest, ita, quicunque in ipso, & cum ipso vivit, beatus est. Si igitur Deum quæritis (imo quia quæritis) veram profecto ac perpetuam beatitudinem habere desideratis. Ad beatitudinem autem nemo pervenire potest, nisi per virtutem, & virtus non alio modo veraciter apprehenditur, nisi disciplina virtutis non negligenter custodiatur. Usus enim disciplinæ ad virtutem animum dirigit, virtus autem ad beatitudinem perducit. Ac per hoc exercitium disciplinæ esse debet vestra inchoatio, virtus perfectio, præmium virtutis æterna beatitudo. Hæc est Fratres via, & ista est Patria, per quam currimus, & ad quam pervenire desideramus. Hanc viam & hanc patriam Psalmista viderat, cùm dicebat: *Beati immaculati in via, quia ambulant in lege Domini.* Hanc viam & hanc Patriam viderat, cùm dicebat: *Disciplina tua correxit me in finem.* Disciplina namque Dei in finem corrigit, quia plenè & perfecte ho-

Psal. 118
Psal. 17.

hominem reformans, per virtutem ad beatitudinem perducit. Hanc viam & hanc Patriam tunc etiam viderat, cùm dicebat: *Bonitatem, & disciplinam & scientiam doce me.* Consideravit namque, quod per bonitatem venitur ad beatitudinem, atque ideo bonitatem doceri se petit, quia per hanc ad illam pertingere concupivit. Sed quia rursum vidit, quòd ad bonitatem obtinendam disciplina necessaria esset; adjunxit & dixit: *disciplinam doce me.* Paratus enim erat disciplinam servare, & non solùm ad illam servandam spontaneum se obtulit, sed ut illam quoque accipere mereretur, supplicavit. Postremo quia vidit neminem servare posse disciplinam boni operis, qui non habeat scientiam veræ discretionis, hanc quoque sibi dari quasi quoddam fundamentum & principium Sanctæ conversationis postulavit. *Bonitatem*, inquit, *& disciplinam, & scientiam doce me.* Et ut se idoneum ad hæc discenda ostenderet, novissimè secutus adjunxit: *quia mandatis tuis credidi*, ac si diceret, Deo. Ideo docere me debes qualiter tibi servire debeo, quia præceptis tuis jam per contumaciam non resisto: Credo bonum esse, quod præcipis; credo, verum esse, quod promittis: acquievi jam propter te mea relinquere, & idcirco quæso per te merear tua bona obtinere, quia mandatis tuis credidi. Sic & vos Fratres gratia Dei jam credidistis mandatis ejus, reliquistis vestra propter ipsum, quærite nunc sua ab ipso, ut mereamini per sua venire ad ipsum. Credidistis mandatis ejus dicentis: *Si vis perfectus esse, vade & vende omnia, quæ habes, & veni, sequere me, & habebis thesaurum in cælo.* Fecistis, quod præcepit, speratis, quod promisit, petite nunc ab ipso, quod ad id obtinendum expedit. Nullus jam carnalis affectus à percipienda gratia ejus vos impedit, reliquistis Patrem & Matrem, Fratres & Sorores, Cognatos & Affines, & præcinxistis vos ad currendam viam ejus. Nihil jam amori illius præponitis, illum solum quæritis, pro quo lucrificando omnia

Psal. 118.
Psal. 118.
Matt. 19.

hujus

hujus mundi blandimenta, quasi absinthium amara, & omnem gloriam, atque decorem, quasi stercora reputatis. Intrate viam ejus, & currite ad ipsum, tanto citius requiem habebitis, quanto citius ad eum pervenietis. Via ad ipsum sunt scientia, disciplina, bonitas, per scientiam itur ad disciplinam, per disciplinam itur ad bonitatem, per bonitatem itur ad beatitudinem. Hoc est, propter quod vobiscum loqui cœpimus, ut, quantum Dominus dederit, de hac via, qua ad ipsum itur vos instruamus.

Quibus modis inveniatur rectè vivendi scientia.

CAPUT. I.

PRimum igitur scire debetis, quòd hanc scientiam (quæ ad institutionem rectè & honestè vivendi pertinet) multis modis hominem colligere, & comparare sibi oportet, partim ratione, partim doctrina, partim exemplo, partim meditatione Sanctarum Scripturam, partim assidua inspectione operum, ac morum suorum. Ratione quidem hoc modo. Debet siquidem diligenter considerare, quid liceat, & quid non liceat, quid deceat, & quid non deceat, in omni actu, & in omni loco, in omni tempore, ergà omnem personam.

Quid in omni actu agendum.

CAPUT. II.

IN omni actu, hoc est qualiter Sacra & Divina mysteria impleri oporteat, qualiter humana officia, & quæ ad usum corporis pertinent exercere conveniat. Quàm timoratum, quàm sollicitum, quàm devotum, ac religiosum in Dei servitio homo exhibere se debeat, quàm spontaneum, quàm hilarem, & quàm paratum offerre in sublevandis necessitatibus proximorum, quàm parcum, quàm honestum, & quàm nulli importunum in iis, quæ ad se pertinent quærendis, ac perficiendis præstare, ut semper & sibi sit parcus, & proximo promptus,

& Deo devotus. Qualiter assuescat suas in omnibus voluntates frangere, & alienis se voluntatibus (quantum fas & decens esse constiterit) per omnia discat inclinare. Qualis sedens, qualis jacens, qualis ambulans, qualis loquens, qualis tacens; qualis comedens, qualis jejunans, qualis denique aliquid agens, & qualis vacans esse debeat.

§. Quid in singulis locis agendum.

CAPUT. III.

NOn solùm autem quid agat, sed etiam in quo loco quid agere debeat, consideret necesse est. Alius est modus habendi in eo loco, ubi Deus adoratur, alius in eo ubi corpus reficitur. Alius in eo qui locutioni deputatus est, alius in eo ubi silentium custoditur. Alius denique intus, alius foris, alius in secreto, alius in publico. Et quamvis in nullo loco disciplinam suam homo deserere debeat, diligentius tamen, & magis sollicitè ibi conservanda est, ubi vel neglecta pluribus generat scandalum, vel custodita bonæ imitationis exemplum. Discernendum est igitur, quæ sint illa, quæ in custodienda disciplina nusquam intermitti possunt, & quæ rursum illa sint, quæ pro loco & tempore nunc intermitti, nunc exerceri volunt. Sæpè tamen illa, quæ in publico necessaria sunt, quemdam prius in secreto exercitationis usum exposcunt, quia si ea prorsus in occulto negligimus, uti postmodum eis dum opus est in publico non valemus. Et tunc aut prorsus à disciplina deficientes intuentibus scandalum facimus, aut ineptè id, quod in nobis non est simulare conantes, irrisionem excitamus.

§. Quid singulis temporibus agendum.

CAPUT. IV.

SImiliter quoque & tempora agendi discernenda sunt. Alius est modus vivendi in nocte, alius in die. Nox tempus est silentii, & quietis, dies tempus laboris, & motionis, & operis. In nocte secum debent esse homines, & aut fessa membra somno reficere, aut orationibus vel meditationibus Sanctis

ctis in silentio animum exercere. In die verò de secreto suo in unum coëunt, & mutuo videndos se, & imitandos ostendunt. Tunc exempla bonorum operum; tunc exhortationes verborum dare & accipere alium alii, & alium ab alio licet. Tunc qui alienos actus scrutatur: impudens jure dicitur, tunc qui alienos actus (quantum expedit) imitari dissimulat, torpens & inutilis merito nominatur. Sed nec eadem esse debet facies nostra postquam refecti sumus, quæ fuit priusquam cibum sumpsimus. Ante sumptum cibum magis hilares nos esse convenit, ne ipsa nostra abstinentia gravis & molesta videatur. Post verò magis modestos & tacitos, ne per gulæ vitium crapula nos inflammâsse putetur. Ante sumptum cibum doctrinæ & orationis tempus est, post verò operis, quia & tunc exercendus est animus, dum adhuc ad studium spirituale levis est, & tunc reprimenda est caro, quando incentivi ejus per cibum amplius excitatus est. Sic & festi dies aliud studium, & alium conversationis modum exigunt, atque alium ii in quibus operari licet, exposcunt. In illis nos oportet ad Ecclesiam studiosius & alacrius convenire, & ad celebranda Divina Mysteria devotiùs intendere, atque in oratione diutius perseverare, habitu, incessu, & actu majorem devotionem erga cultum Divinum demonstrare, nihil non Sanctum, nihil non Divinum; nihil non ordinatum agere, linguam à vaniloquio cohibere, pedes ab excursu & discursu stringere, oculos comprimere, vultum inclinare, mentem erigere, omnem denique actum & omnem motum cordis pariter & corporis ministerio divino mancipare, atque (ut ita dicam) quadam conversationis novitate festos dies honorare. In cæteris verò diebus, quibus operari licet, nullus omninò ociosus apparere, sed unusquisque in eo, quod sibi injunctum fuerit, non quod ipse elegerit, opere (quantum scientiæ & virium suarum possibilitas suppetit) sese debet exercere. Quantum enim decoris addit diebus festis quies vacationis, tantum ornamenti confert diebus cæteris labor operis: ita, ut & in illis quisquis noluerit esse quietus, Judex sit vanitatis suæ, & in istis qui non fuerit studiosus, testis pigritiæ. Carnales siquidem mentes, ne vel in illis diebus quiescant, vanitas exagitat, vel ne in istis in bono opere se exerceant, pigritia ligat, qua propter non negligenter quidem habenda est in bono opere discretio temporum.

rum; quia ficut malum opus nullo tempore laudabile eſt, ita bonum opus quodammodo reprehenſione dignum judicatur, ſi tempore opportuno factum non eſt.

§. Quid erga ſingulas Perſonas agendum?

CAPUT. V.

Diſcretio perſonarum, quantum quidem pertinet ad dilectionem, ſecundum meritum: quantum verò ad venerationem, ſecundum ætatem & officium habenda eſt. Meliores diligere, Superiores honorare debemus, quia per contumaciam eſt ſive in eo, qui propter inferiorem gradum, in homine virtutem deſpicit: ſive in eo, qui propter vitam inferiorem, gradum ſuperiorem contemnit. Iſtis ergo honor, illis amor impendatur, ſic tamen ut & honor iſtorum ſit voluntarius, & illorum amor venerandus. Reverentia enim ſine amore magis ſervilis eſt, & amor ſine reverentia puerilis judicari debet. Cum tanta igitur humilitate & reverentia melioribus exhibendum eſt beneficium dilectionis, ut illis quaſi ex neceſſitate videamur eſſe ſubjecti, & cum tanto affectu atque hilaritate Superioribus ſolvendum eſt obſequium ſubjectionis, ut ſolo potius dilectionis debito illis credamur aſtricti. Iſtis ſic reddamus ſua, quaſi noſtrum impenderemus; illis ſic exhibeamus noſtra, quaſi ſuum redderemus.

Sex denique modis diſcretionem perſonarum habendam ex his colligimus, tribus ſecundum dignitatem, & tribus ſecundum converſationem. Alii namque ſecundum dignitatem Superiores ſunt, alii æquales, alii inferiores. Superioribus obedientiam, timorem, obſequium & venerationem debemus exhibere: cum æqualibus pacem & concordiam cuſtodire: invicem obſequio beneficio & honore prævenire: in omni actione & verbo Superiorem eis locum tribuere. Et ſi quando fortaſſis in aliquo negotio eos præire cogamur, cum omni humilitate & reverentia, quæ facienda ſunt, non præcipere, ſed demonſtrare, & ſi ut ipſi nos præcedant contigerit, cum alacritate & devotione quaſi ex neceſſitate ſubjecti obedire. Inferioribus ſemper beneficium & auxilium impendere, nunquam improperare. ſine contumelia corripere, ſine ſuperbia gubernare, ſine crudelitate caſtigare,

re, cum pietate fovere. Venerationem non exigere, societatem, atque æqualitatem amare, majoribus per timorem subdi, æqualibus per charitatem obsequi, minoribus per humilitatem coæquari, præcipientibus parati, obedientibus modesti, maledicentibus taciti, Laudantibus verecundi. Item secundùm conversationem alios nobis quasi Superiores alios quasi æquales, alios, quasi inferiores debemus attendere. Illorum conversatio inferior est nobis, quorum facta etsi condemnare non præsumimus, imitari tamen non debemus. Illorum conversatio pro nobis est, quæ sic nostræ infirmitati contemperata est, ut & virtutis exemplum præbeat, & cooperandi facilitate in consortium nos suæ exercitationis admittat. Illorum Conversatio Supra nos est, quam venerari quidem & admirari possumus, imitari autem non valemus. Illorum conversatio Superior nobis est, qui per longum disciplinæ exercitium in tantum profecerunt, ut virtutem illorum nostra infirmitas quamvis incipiat per amorem appetere, per imitationem tamen non valet coæquare. Illorum Conversatio quasi par nobis est, quorum opera ita nostris viribus contemperantur, ut in eis nihil sit, quod possibilitatem nostram excedat, & tamen devotio nostra satis in eis, quod imitari possit inveniat. Illorum Conversatio, quasi inferior nobis est, qui vel tanta nequeunt, quanta nos facere possumus, vel talia faciunt, qualia nos imitari non debemus. Proinde in his talis habenda est discretio, ut Superioribus quidem in omni loco, & in omni opere vel sermone exhibere studeamus reverentiam, & quiquid egerint, aut ubicunque fuerint, non præsumamus impudenter eis nos quasi coæquando ingerere. Sic namque debemus in ejusmodi, virtutis exemplum quod imitemur, quodammodo taciti, & à longè considerare, ut tamen consortium cooperandi nunquam præsumamus expetere, quatenus dum eis ubique cedimus, facile ex nostra modestia clareat, quàm humilia de nobis, & quàm sublimia de illis sentiamus. Negligentes verò, & maximè eos, quorum opera vel studia reprehensione digna apparent, tali nos cautela declinare oportet, ut & fugiamus, quod faciunt, & tamen judicare non præsumamus, quod sunt. Cogitemus in ejusmodi, nobis neque dari exemplum, neque permitti judicium, quia hoc in eis fortassis ignorantia aut infirmitas excusat, quod si à nobis fieret, excusationem non ha-

habeteret. Itaque necesse est, ut sicut perfectorum societatem propter reverentiam appetere non præsumimus, ita quoque istorum consortium propter cautelam fugiamus, illos honorando, quia talibus sociari digni non sumus, istos cavendo, quia talibus sociati facilè corrumpi possumus. Præterea, sicut is, qui Superioribus semper sociari appetit, se elatum esse indicat, ita qui cum pejoribus assiduè conversari concupiscit, depravatum se esse demonstrat. Et ideo cùm malorum consortium appetere nolumus, duplex nobis utilitatis fructus provenit, quia & culpam fugimus, & innocentiæ nostræ testimonium perhibemus. Quotidiana igitur, & frequens conversatio nostra cum mediis & æqualibus nobis esse debet, ita,ut inter eos etiam quoscunque,in bono opere ferventiores cernimus, eorum societatem, atque familiaritatem avidius appetamus. Cum his verò tanta nobis pacis & Concordiæ servandæ diligentia sit, ut in nullo unquam negocio, quantum in nobis est, fraterna dilectio perturbetur. Studeamus eis injuriam nunquam inferre, aut molestiam, illatam verò nobis propter amorem Fraternæ charitatis æquo animo sustinere, nihil contentiosé, aut arroganter erga eos agere, sed parati semper in omni opere, & pertinaciter insistentibus cedere, & laborantibus libenter subvenire. Et quia inter pares nonnunquam perversa quædam virtutis æmulatio esse solet, ut videlicet sibi invicem de successu virtutum invideant,& ob hoc in exercendo bono opere tantùm ne inferiores videantur, alter alterum prævenire contendant, tanto nos discretionis moderamine continere necesse est, *ut operam nostram* (sicut dictum est) *neque ingeramus nolentibus, neque petentibus subtrahamus, quia in utroque livoris suspicio esse potest.* Siquando autem in aliquo forte negocio laborantibus opem ferre cupimus, tanta hoc humilitate, & mansuetudine faciendum est, ut iisdem ipsis manifestum sit, quòd non excellentiam operis, sed consortium quæramus laboris. Cæterum quantum pertinet ad nos summopere nitendum est, ne quando vel in labore minus patientes, vel in obedientia præceptorum minus alacres, vel in charitatis operibus exequendis minus inveniamur ferventes, quatenus bona conversatio nostra eisdem præbeat incitamentum virtutis, à quibus formam & exemplum sumpsit boni operis. Ista fratres, si assiduè volueritis cogitare,scietis, &citò intelligetis,quæ

b 3 sit

ſit via diſciplinæ, quæ vos per exercitium boni operis ducat ad conſummationem bonitatis. Sed & ſi fortè ad hæc inveſtiganda atque diſcernenda, quantum expedit per vos minus ſufficitis, habebitis Domino adjuvante doctrinam, & exempla bonorum, ubi & facienda audietis, & facta videbitis. Et ne in hac etiam parte vobis miniſterium noſtræ exhortationis deſit, oſtendam nunc breviter, quales vos vel ad percipiendam doctrinam, vel ad imitanda Exempla bonorum exhibere debeatis.

§. Quales ſe debeant exhibere, qui per Doctrinam proficere volunt.

CAPUT. VI.

QUoniam igitur ad ſcholam virtutum erudiendi acceditis, ſcire debetis contentiones verborum nullo modo deinceps ad vos pertinere, quia ſpiritualis doctrinæ ſtudium non litigantes, ſed auſcultantes requirit, ſicut per Moſen populo in Lege Dei erudiendo dicitur : *Audi Iſrael, & obſerva, ut facias* non dixit, *& loquere, ſed potius tace.* (Deut. 6.) Et ſicut Apoſtolus Jacobus admonet, dicens : *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* (Jacob. 1.) Et videte, quàm convenienter poſtquam multiloquium prohibuit, etiam de cavenda ira præceptum ſubjunxit, dicens : tardus ad loquendum, & tardus ad iram, ut patenter oſtenderet, quòd qui linguam ſuam à multiloquio nonvult compeſcere, non poterit diu animum ſuum à furore iracundiæ illæſum cuſtodire. Multiloquium enim contentiones generat : contentiones verò ad jurgia & maledicta linguam excitant : maledicta autem ad iracundiam, & (quod adhuc gravius eſt) ad fraternum odium animum inflammant. Propterea ſcriptura dicit : *In multiloquio peccatum non deerit, & in multiloquio peccatum non effugies.* (Prov. 10.) Et Jacobus Apoſtolus omne genus beſtiarum domari poſſe aſſerit : *Linguam, peſtem eſſe indomabilem, quæ univerſam rotam nativitatis noſtræ inflammat, & ob hoc perfectum eſſe virum, qui in lingua ſua non offendit.* (Jacob. 3.) Nam, quin rixæ, & contentiones de peſtifera ſemper radice oriantur, dubium non eſt, quoniam niſi cor prius intrin-

trinsecus per elationem intumesceret, nequaquam lingua foris à custodia humilitatis suæ in contumeliam verborum se relaxaret. Sed dum superbè præ aliis sapientes videri volumus, erubescimus vel nostram ignorantiam ab aliis argui, vel aliorum sapientiam quasi ad nostram depressionem approbari. Sicque nonnunquam contra conscientiam nostram, vel nostrum errorem impudenter defendimus, vel alterius veritatem malitiosè impugnamus.

Jacob. 3. Hæc est *sapientia hujus mundi,* quam idem Apostolus Jacobus *carnalem* vocat, *& Diabolicam, quæ versuta est, & maligna*, illas solummodo astutiæ vias exquirens, quibus possit errorem suum tegere, & alienam veritatem quamvis manifestam, in opinione stultorum, & insipientium hominum depravare. Sed non talis est sapientia, quæ desursum venit, quæ nescit etiam semetipsam contra veritatem diligere, semper parata vel bonum, quod non habet ab habentibus libenter petere, vel malum quod sustinet cum aliis & coram aliis veraciter accusare. Propterea de ipsa idem Jacobus

Jacob. 3. Apostolus sic ait: *Sapientia autem quæ desursum est primum quidem pudica est, deinde pacifica, modesta, suadibilis, bonis consentiens, plena misericordiâ, & fructibus bonis, indicans sine simulatione.* Proinde Fratres charissimi linguam vestram à superfluitate non solùm inanium verborum restringite, sed in ipsis etiam, quæ recta sunt, mensuram, & modum tenete, & in collatione Sanctorum magis Auditores, quàm Doctores esse eligite. Os clausum, & aures apertas habete, & quanto estis ad loquendum modestiores, tanto estote ad intelligendum sagaciores. Sufficiat vobis (si forte res sic exigat) quod sapitis petentibus humiliter insinuare, contra resistentes autem nunquam præsumatis pertinaciter dicta vestra defendere, quia sicut jam vobis prædiximus, multarum molestiarum causas jurgia ministrant, & mox ut lingua indiscretè ad multiloquium resolvitur, ad disturbandam pacem cordis vestri quasi janua hosti aperitur. Restat ergo Fratres, ut si verè Discipuli veritatis esse cupitis, tales vos studeatis exhibere, quibus veritas facilè persuaderi possit, quia & ipsa doctrina veritatis tales Auditores amat, qui eam & à Sapientibus exhibitam humiliter suscipiunt, à simplicioribus quoque administratam arroganter non contemnunt, qui in scientia Dei hoc est in peritia benè agendi cunctos prudentiores, & sapientiores, quàm se esse existimant, nec erubescunt

Ma-

Magistros habere omnes, à quibus discere possunt, quod ignorant, qui benè dicta omnium libenter approbant, errores verò alienos (quantum ad se pertinere cognoverunt) pro tempore st.dent vel modestè corripere, vel prudenter dissimulare. Qui denique studium scientiæ, morum disciplina exornant, & mansuetudinem ac modestiam mentis suæ non solùm in custodia oris sed etiam in habitu, & gestu corporis sui demonstrant, sed & de bonorum Exemplis, quæ in præsenti vobis dicenda existimo, paucis nunc (si potero) verbis demonstrabo.

§. De Exemplis Sanctorum imitandis. CAPUT. VII.

QUare putatis Fratres vitam & Conversationem bonorum imitari præcipimur, nisi ut per eorum imitationem ad novæ vitæ similitudinem reformemur? in ipsis si quidem similitudinis Dei forma expressa est, & id circo cum eis per imitationem imprimimur, ad ejusdem similitudinis imaginem nos quoque figuramur. Sed sciendum est, quòd nisi prius cera emollita fuerit, formam non recipit, sic & homo quidem per manum actionis alienæ ad formam virtutis non flectitur, nisi prius per humilitatem ab omni elationis & contradictionis rigore molliatur. Neque enim per Exemplum alterius aliquando in melius reformari poterit, qui adhuc per elationis vitium & bona aliena oppugnat, & sua mala defendit. Necesse est ergo, ut si veraciter bonos imitari volumus, prius per veram humilitatem ad obedientiam corda nostra temperemus, quatenus vita nostra tanto citius ad novitatem redeat, quanto promptius in omnem, quam viderit virtutis speciem, per voluntariam obedientiam se inclinat, & tanto altius ei vestigium alienæ bonitatis incipiat inhærere, quanto arctius studet bona aliorum imitari potius, quàm carpere. Aliam nobis adhuc non contemnendam considerationem ad præsens negocium forma sigilli exhibet. Figura namque, quæ in sigillo foris eminet, impressione ceræ introrsum signata apparet, & quæ in sigillo intrinsecus sculpta ostenditur, in cera exterius figurata demonstratur. Quid ergo aliud in isto nobis innuitur, nisi

nisi quia nos, qui per exemplum bonorum, quasi per quoddam sigillum optimè exsculptum reformari cupimus, quædam in eis sublimia & quasi eminentia, quædam verò abjecta, & quasi depressa operum vestigia invenimus? Sanctorum quippe opera, quæ quantum ad existimationem hominum non ad dignitatem, sed ad utilitatem pertinent, illa in conversatione eorum quasi deorsum pressa jacent. Quando verò talia operantur, quæ humanas mentes in admirationem sui pertrahunt, quasi quasdam in se eminentes sculpturas ostendunt. Quod ergo in illis eminet, in nobis introrsum recondi debet, & quod in illis depressum est, in nobis est erigendum, quia nos cùm facta eorum ad imitationem trahimus, sublimia quidem in abscondito, & abjecta in manifesto facere debemus, ne vel illa si ostendantur amorem accepti favoris inani gloriæ servire incipiant, vel ista si abscondantur per timorem vilitatis præmium retributionis amittant. Nescio quam homo deinceps habeat excusationem ignorantiæ, cui tot jam viæ demonstrantur, quibus possit ad scientiam veritatis pervenire. Ecce post discretionem rationis propriæ, per quam dirigitur, post doctrinam sapientium, per quam eruditur, post exempla bonorum, quibus instruitur, adduntur etiam præcepta scripturarum, quibus ad omnem vivendi rationem informatur. Postremo adjunguntur tentationes, quibus exercitatus per quotidianam experientiam de veritate præceptorum certior efficitur.

§. De iis, quæ in Sacris Scripturis sunt attendenda.

CAPUT VIII.

VOs autem Fratres, qui scholam disciplinæ jam intrastis, in lectione Divina prius debetis quærere: quod mores instruat ad virtutem, quàm quod sensum acuat ad subtilitatem, magisque velle informari præceptis scripturarum, quàm quæstionibus impediri. Cùm igitur Divinas Scripturas legitis, solerter perpendite, quid ibi dictum sit ad excitandum in vobis amorem Dei, quid ad contemptum sæculi, qui ad cavendas insidias ini-

inimici, quid ad bonos affectus nutriendos & prava desideria extinquenda valeat, & quid citius cor per compunctionis ardorem accendat. Quid disciplinam in opere, quid humilitatem in cogitatione, quid patientiam in adversis habere doceat, quid denique ad agenda bona securum, & ad mala cavenda doceat esse circumspectum. Hoc modo lecta scriptura intelligentiam confert salutarem, & hanc ipsam sapientiam (quam pro virtute libenter despicitis) melius postmodum per virtutem invenitis.

§. Quomodo in omnibus operibus suis, debeat homo esse circumspectus.

CAPUT IX.

Restat hoc novissimum, & maximè fortassis præ cæteris necessarium, ut videlicet homo in omnibus operibus suis sit circumspectus & providus, quotidiana discussione cogitationes, locutiones pariter, & facta sua apud semetipsum examinet. Sapientes quippe semper agendo discunt, & per exercitium bonorum operum quotidianis profectibus in majorem virtutis agnitionem excrescunt. Per experientiam namque eorum, quæ faciunt, ad ea, quæ postmodum agenda erunt, cautiores fiunt. Videt enim, quod sæpè opus, quod bona intentione inchoari, creditur, tanto citius hominem in deceptionis laqueum præcipitat, quanto de intentionis suæ principio securus finem actionis minus observat, & imprudens quasi via plana ad foveam currit, quia videt, quid faciat, sed quid factum suum sequi debeat, non attendit. Item non considerat, quod nonnunquam evenire solet, ut affectus animi ita ambiguus sit, ut nisi ex fine operis discernere non possit homo qualitatē suæ intentionis. Si verò diligenter consideret, ad quem finem tendat mentis affectio, tunc jam planè vitium esse dignoscitur, in quo prius sibi animus falso de virtute blandiebatur. Et rursum invenitur aliud adhuc esse, propter quod circumspectio homini ubique necessaria est, quoniam ad id etiam, quod bonum est, agendum tanto magis homo peritùs efficitur, quanto diligentius facta sua circumspiciens, seipsum quotidiè in proficien-

ficiendo superare conatur, cùm sollicitè attendit, quid agat, quid agere debeat, utrum id, quod faciendũ est, faciat: utrũ quantum, & qualiter faciendum est, faciat: utrum bono operi malum aliquod non admisceat: utrum bonum, quod agit, quanta oportet devotione impleat: utrum alterius ut suum bonum diligat: utrum suum ut alterius malum reprehendat: per singulos dies vitam suam ad judicium vocat: mane quando surgere debet considerat, quid egerit per noctem: in vespere, quando cubitum vadit, considerat, quid egerit per diem, quantum ad bona agenda solito alacrior, quantum ad mala vincenda solito constantior. Si quid ex iis, quæ agenda non erant, præsumpserit, si in aliquo opere suo insidiis inimici supplantatus sit, qualiter demum per judicium transactæ deceptionis futuram illius fraudem cavere possit, quatenus eum nec superveniens tentatio improvidum ad malum opus deiiciat, neque indiscretum in bono opere præsens negligentia fallat. Quisquis cor suum in ejusmodi studio exercet, existimo, quòd cito ad illam bonam, & salubrem scientiam perveniat, quam, (sicut supra diximus) ad servandam disciplinam & bonitatem Psalmista dari sibi postulabat. Restat igitur nunc, ut ea quoque, quæ de disciplina nobis demonstranda sunt, proferamus. Docebimus ergo vos primum, quid sit disciplina, deinde quid valeat, postremo quomodo observari debeat.

§. Quid sit disciplina, & quantum valeat.
CAPUT X.

Disciplina est conversatio bona, & honesta, cui parum est mala non facere, sed studet etiam in iis, quæ benè agit, per cuncta irreprehensibilis apparere. Item Disciplina est membrorum omnium motus ordinatus & dispositio decens in omni habitu & actione. Audistis quid sit Disciplina, nunc attendite, quàm utilis, & quàm necessaria sit. Disciplina est compes cupiditatis, malorum desideriorum carcer, frænum lasciviæ, elationis jugum, vinculum iracundiæ, quæ domat intemperantiam, levitatem ligat, & omnes inordinatos motus mentis, atque illicitos appetitus suffocat. Sicut enim de inconstantia mentis nascitur inordinata motio corporis, ita

quoque dum corpus per disciplinam stringitur, animus ad constantiam solidatur. Et paulatim intrinsecus mens ad quietem componitur, cùm per disciplinæ custodiam mali motus ejus foras fluere non sinuntur. Integritas ergo virtutis est, quando per internam mentis custodiam ordinatè reguntur membra corporis. Interior namque est custodia, quæ ordinata servat exterius corporis membra. Sed qui statum mentis perdit, subsequenter foras in inconstantiam motionis defluit, atque exteriori mobilitate indicat, quòd nulla interius radice subsistat. Unde per Salomo-
Prov. 6. nem dicitur. *Homo Apostata vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & in omni tempore jurgia seminat.* Propterea enim hunc talem (quem de indisciplina, & discordia pariter notare voluit) prius Apostatam nominavit, quia nisi prius intus à conspectu conditoris aversione mentis caderet; foris postmodum ad inconstantiam & ad jurgia non veniret. Liganda ergo sunt foris per disciplinam membra corporis, ut intrinsecùs solidetur status mentis, quatenus dum undique exterior custodia interiori mobilitati coërcendæ opponitur, tandem mens ad pacem in semetipsa colligatur. Omnium namque vitiorum motus disciplina coërcet, & quantum mala desideria foris coërcendo comprimit, tantum per eam bonum desiderium interius convalescit. Paulatímque eadem virtutis forma per consuetudinem menti imprimitur, quæ foris per disciplinam in habitu corporis conservatur. Ecce vidimus, quantum valeat disciplina, nunc qualiter custodiri debeat, consideremus. Quatuor sunt præcipuè in quibus servanda est disciplina, in habitu, in gestu, in locutione, in mensa, id est, in comestione.

§. De Disciplina servanda in habitu.
CAPUT XI.

IN habitu quinque modis disciplina custoditur, in genere, & qualitate, in colore, & formatione, & coaptatione vestimentorum. In genere, scilicet ne sint vestimenta nostra nimis preciosa. In qualitate, ne nimis sint subtilia vel mollia. In colore, ne nimis sint nitida, sive quolibet alio modo supra quam propo-

proposito religiosæ conversationis expetit fuscata. In formatione, ut sint decenter & religiosè composita, & humilitatis signum habentia, id est, non nimis magna aut dependentia, aut fluxa, nec nimis stricta, sive quolibet alio modo secundum sæculi vanitatem detorta. Coaptio ad modum portandi pertinet, nam sunt quidam stulti, qui stultis placere cupientes, quodam artificio vestimenta sua circa se componunt. Alii verò majori scurrilitate ridiculosè transvertunt, alii autem ut pompam de se faciant, explicant ea, & quantum possunt, latius distendunt. Alii temerè corrugata in unum colligunt, alii contorquentes & complectentes involvunt. Alii toto conamine stringentes & findentes ea, omnia corporis sui lineamenta, inverecundissima quadam turpitudine aspicientibus numeranda exponunt. Alii jactando & ventilando pannos suos, levitatem mentis suæ ex ipsa habitus sui mobilitate ostendunt. Alii incedentes sinuoso syrmate terram verrunt, & limbis dependentibus imo retro consequentibus caudis in similitudinem vulpium vestigia sua obducunt. Benè profectò, ut postquam pertransierint, pereat memoria illorum, ne sint amplius in recordatione in terra viventium. Qui ut ostendant de numero illorum se esse, de quibus Psalm. dicit: *Non sic impii, non sic, sed* Ps. 1. *tanquam pulvis, quem proiicit ventus à facie terræ*, quacumque perrexerint, quasi turbo tempestatis pulverem concitant, & ipsi filii tenebrarum illud lumen foris oculis hominum subtrahunt, quod intus cæcata mente perdiderunt. Est autem, in quo de eis etiam in præsenti vita vindictam capimus, quia iisdem suis pannis, quibus nebulam pulveris luminibus nostris iniiciunt, ad complanandam viam pedibus nostris, lutum platearum abstergunt. Quid amplius dicam? tædet me omnia vanitatis ostentamenta numerare, in quibus stulti, & vecordes, mulieribus, imò meretricibus, studia sua aufferunt, & tanto dedecore, quanta superstitione cum habitu pene sexum mutaverunt. Alii sunt mille modi, quibus homines vanissimi & superstitiosissimi spectaculum de se intuentibus præbere concupiscunt. Sed hæc omnia Servus Dei magnâ debet constantiâ despicere; cùm videat nullos nisi stultos, & irrisione dignissimos studiis talibus deservire. Hæc enim omnia veræ Religioni contraria sunt, & omnes, qui studium, & curam his adhibeant, quantum â Religione alieni sint, patenter ostendunt. Sed

gratia Dei omnes, qui modo in Religione constituti talibus student, & per hæc hominibus placere cupiunt, omnibus hominibus magis viles, & contemptibiles fiunt. Et è converso, qui hæc propter Deum despiciunt, non solùm coram Deo, sed etiam coram hominibus chariores, & honorabiliores existunt. Eant ergo nunc miseri & stulti, ac omnis honestatis ignari, eant & comant pannos suos, qui non intelligunt, quàm justè in viris Religiosam vitam professis cultus preciosarum vestium reprehenditur, qui per Apostolum Paulum etiam fæminis prohibetur, *non*, inquit, *in veste pretiosa.* Videant ergo, quanta, non dico, reprehensione, sed confusione, imò potiùs quanta damnatione digni sunt, qui in proposito Religionis, cultui preciosarũ vestium student,
Luc. quia *Dives ille*, *qui* in Evangelio,
16. *purpura, & bysso induitur, postea, in tormentis inferni æternaliter cruciandus sepelitur.* Quid autem in purpura, nisi color & precium, & quid in bysso, nisi mollities reprehenditur? Cùm ergo carni suæ & in purpura decorem, & in bysso mollitiem adhibuisse dicitur, procul dubio superbus simul, & Luxuriosus fuisse comprobatur. Qui ergo corpori suo prius illicitè fomenta vitiorum exhibuit, jure postmodum hoc cruciandum flamma tormentorum accepit. Et tamen dives iste nondum propriis rebus ab renuntiaverat, sed quia in iis, quæ possidebat, temperantiam servare noluit, post illicitum usum rerum temporalium ad pœnam sempiternam pervenit. Si igitur ille, quia propriis abusus est, tantam damnationem meruit, quid putamus isti facient, qui propria non habentes alienam eleemosynam cultui suæ elationis impendere non
pertimescunt? *Væ eis! quia ipsi* Oseæ
(sicut per Prophetam dicitur) 4.
peccata populi comedunt, & victimas Oseæ
in profundum declinant, quia quod 5.
alii pro Redemptione animarum suarum offerunt, hoc ipsi accipientes per illicitum usum ad damnationem animarum suarum convertunt. Væ corona Esa.
Superbiæ Effraim, & flori decidenti, 28.
quia omnis caro fœnum, & omnis gloria ejus, quasi flos agri. Exsic- Esa.
catum est fœnum, & cecidit flos, quia 40.
spiritus iracundiæ Domini exsufflavit in illud. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, verbum autem Domini
manet in æternum. Quid igitur su- Eccl.
perbit cinis & pulvis, fumus evanes- 10.
cens & vapor ad modicum parens? Quid est homo nisi putredo, & filius
hominis nisi vermis? Vermis ipse, & Jac.
vermis hæreditas ejus, hæreditabit 4.
enim homo vermes, bestias, serpentes. Eccl.
Quantumcunque excolatur, & 10.

or-

ornetur, quid est aliud caro, quàm caro? quid igitur prodest in habitu, qui foris ad tempus adhæret, gloriam quærere, & corruptionis putredinem, quæ in nobis est, & semper permanet, non considerare? Propterea debent amatores Religionis opere demonstrare, quantum ipsi terrena despiciant, nec carnem, quæ moritura est, cultu superstitioso excolere, sed pompæ indumentorum morum ornamenta anteferre. Vestimenta plus vilia, quàm preciosa, plus grossa, quàm subtilia, plus aspera, quàm mollia, plus fusca, quàm nitida, plus neglectè, quàm accurratè composita vel adoptata amare, quatenus, si non possint in vestimentis suis per omnia commoditatem abscindere, numquam tamen præsumant eis uti ad ostentationem. Poterant hæc fortassis benevolis ad eruditionem modestiæ & humilitatis sufficere, sed scio duros & rebelles animos, nisi ad hæc mordacionibus lupatis frænati fuerint, non facile à via pristini erroris declinare. Quos quidem oportet in cunctis observationibus usque ad unguem stringere, & ut nullus deviandi locus tergiversationi relinquatur, ad singula vestigia determinatis præceptionibus obligare.

§. De Disciplina servanda in gestu. CAPUT XII.

GEnus est motus, & figuratio membrorum corporis ad omnem agendi & habendi modum: hic sex modis reprehensibilis invenitur, scilicet, si est aut mollis, aut dissolutus, aut tardus, aut citatus, aut procax, aut turbidus. Mollis significat lasciviam, dissolutus negligentiam, tardus pigritiam, citatus inconstantiam, procax superbiam, turbidus iracundiam. Nam quòd inordinati motus corporis corruptionem & dissolutionem indicent mentis superius jam demonstratum est, ubi Salomonis testimonio virum Apostatam exterioribus indiciis aversionem animi sui promentem ostendimus, ait enim: *Homo Apostata vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, quia videlicet, cùm mens interius à custodia sui solvitur, membra foris ad omnem actum inordinatè commoventur.* Et velut corpus paralytici modum quidem habet, sed officia membrorum in suis actionibus servare non valet, sic iste impa-

Prov. 6.

pa-

patientia quidē & fluctuatione mentis ad quælibet præceps impellitur, sed in omnibus, quæ agit nullo rationis moderamine gubernatur. Sed sciendum est, quòd in his vitiosis gestibus quidam inter se similes quodammodo esse videntur, & quemadmodum vitia, de quibus nascuntur, inter se non multum discrepant, ita ipsi quoq; motus exteriores quandam inter se concordiam perversitatis observant: sicut similes sunt gestus mollis, & procax, dissolutus, & tardus, citatus & turbidus, quia & vitia ipsa inter se similia sunt, sicut & lascivia & jactantia, negligentia, & pigritia, inquietudo, & impatientia. Propterea omnes isti inordinati gestus, quia de interioribus animæ prodeunt corruptionibus, in multis Scripturarum locis graviter argui, & reprehendi inveniuntur: quæ etsi per singula enumerare non possumus, ne tamen pro nihilo rem in tantum exaggerare videamur, quædam ex his exempli causa revolvemus. De molli & procaci gestu lasciviam, & arrogantem animam Dominus per Isaiam Prophetam arguit, dicens: *Descen-*
Esa. 47. *de, sede in pulvere Virgo filia Babylonis, sede in terra, non est solium filia Chaldæorum, quia ultra non vocaberis mollis & tenera, tolle molam, mole farinam, denuda turpitudinem tuam, discooperi humerum, revela crura, transi flumina.* Et post pauca: *sede, tace, intra in tenebras filia Chaldæorum, quia non vocaberis ultra domina Regnorum.* Quæ ergo descendere præcipitur, de procaci gestu, & typo arrogantiæ increpatur. Unde & benè subjungitur: *non est solium filia Chaldæorum*: quia sæpè homo apud alios tanto magis despectus habetur, quanto magis apud se ipsum per tumorem arrogantiæ extollitur, ut impleatur illa sententia veritatis, qua dicitur: *omnis, qui se exaltat, humiliabitur, & omnis, qui se humiliat, exaltabitur.* Luc. 14. De quo adhuc subinfertur, cùm dicitur, *sede, tace, intra tenebras filia Chaldæorum, quia non vocaberis ultra domina Regnorum.* Magna etenim tunc hominem confusio sequitur, quando se ab aliis despici videt, etiam pro eo, in quo ipse gloriatur. Sed quia lascivia & mollities amica est procacibus & superbis, increpata arrogantia lasciviam etiam arguit, cùm subjungit: *tolle molam, mole farinam, denuda turpitudinem, discooperi humerum, revela crura, transi flumina quia ultra non vocaberis mollis, & tenera.* Quàm sit ergo odibilis apud Deum lascivia & procacitas; & hoc patenter ostenditur, quòd scriptura tam districta animadversione, & dejectionem arrogantibus, & asperitatem

tem mollibus superventuram comminatur. Hinc est rursum, quòd per eundem Esaiam contra lascivos & procaces dicitur: Hæc dicit Dominus: *Pro eo,*
Esa.3. *quòd elevatæ sunt filiæ Sion, & ambulaverunt extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant, decalvabit Dominus verticem Filiarum Sion. Ambulabant extento collo, & nutibus oculorum*, hîc notatur arrogantia. *Ibant & plaudebant, ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant*, hîc notatur lascivia. Sequitur: *decalvabit Dominus verticem Filiarum Sion*, hæc est pœna arrogantium. *Et Dominus crinem earum nudabit*, hæc est pœna lascivorum, & quia hæc vitia luxus pretiosarum vestium sequi solet, pœna quoque ejus subinfertur,
Esa.3. cùm dicitur: *in die illa auferet Dominus ornatum calceamentorum & lunulas, & torques, & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & periscelidas, & murenulas, & olfactoria, & inaures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & pallia, linteamina, & acus, & specula, & sindones, & vittas, & theristra, & erit pro suavi odore, fœtor: & pro Zona, funiculus: & pro crispanti crine, calvitium: & pro fascia pectorali, cilicium.* Ecce! quàm diligenter omnia vanitatis insignia enumerat, ut hæc, in quibus homines nullam vel admodum parvam culpam esse putant, quàm districtè à Deo pensentur, ostendat.

§. Dissolutum & tardum Salomon arguit, dicens: *Per agrum* Prov.
hominis pigri transivi, & per vineam 24.
viri stulti, & ecce totum repleverant urtica, operuerant superficiem ejus spina, & maceria lapidum destructa erat; quod cùm vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam. Usquequo piger dormis, usquequo de somno non consurgis? paululum dormies, modicum dormitabis, pauxillum manus conseres, ut quiescas, & veniet quasi cursor egestas tua, & mendicitas tua quasi vir armatus.
Et rursum: *Vade ad formicam, ô* Prov.
piger, & considera vias ejus, & disce 6.
prudentiam, quæ cùm non habeat ducem, nec Præceptorem nec Principem, parat æstate cibum sibi & congregat, quod comedat in Prov.
hyeme. Item de pigro: *Sicut*
acetum dentibus, & fumus oculis, sic 10.
piger iis, qui miserunt illum. Et de Prov.
dissoluto: *Manus fortium domina-* 12.
bitur, quæ autem remissa est, tributis
serviet. Et iterum de pigro: *vult,* Prov.
& non vult piger, anima autem ope- 13.
rantium impinquabitur. Rursum
de dissoluto: *qui mollis, & dissolu-* Prov.
tus est in opere suo, frater est sua ope- 18.
ra dissipantis. Item de pigro:
abscondit piger manum suam sub as- Prov.
cella, & laborat, si ad os suum appli- 19.
cuerit eam. Item: *desideria occi-* Prov.
dunt pigrum, noluerint enim quic- 21.

Prov. 6. *quam manus ejus operari* Et iterum: *dicit piger, leo est in via, in medio platearum occidendus sum.* Item: ibidē. *Sicut ostium in cardine suo, sic piger vertitur in lecto.* Et in libro Ecclesiastico de pigro, tardo, & dissoluto dicitur: Eccl. 22. *In lapide luteo lapidabitur piger, & omnes loquentur super aspernationem illius. De stercore boum lapidabitur piger, & omnis, qui tetigerit eum, excutiet manus suas.* Multa sunt alia, si enumerare velim, quæ ad increpationem, vel ad irrisionem horum in Sctipturis dicuntur, de quibus hæc ad exhortationem præsentem vobis dicta sufficere possunt.

§ Citatus vel inquietus simul, & turbidus gestus per Salomonem iterum reprehenduntur, ubi (sicut jam in Superiori exemplo demonstravimus) de viro Apostata dicitur: Prov. 6. *Homo Apostata vir inutilis graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, pravo corde machinatur malum, & omni tempore jurgia seminat.* Huic extemplò veniet perditio sua, nec habebit ultra medicinam. Quàm sit enim perditioni proximus, ipse sua actione satis demonstrat, qui per inquietudinis vitium in semetipso pacem perdit etiam priusquam foris obsistentem inveniat. Et quò præcipitandus sit, patet, si occasionem furoris invenerit, quem nullo turbante exterius sua intus levitas, & impatientia ad furorem præcipitem rapit. Unde benè postquam inconstantiæ, & levitatis signa enumeravit, dicens: *Annuit oculis, digito loquitur, terit pede*, novissime indicium furoris expressit, dicens: *omni tempore jurgia seminat.* Quia sicut dictum est, primùm per levitatis vitium, & inquietudinem pax internæ tranquillitatis dissolvitur, ac sic deinde agitata mens in foveam furoris præcipitatur. Quamvis enim id ipsum, quod dixit, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, tam furoris quàm inquietudinis signum sit, tamen hic esse solet ordo perditionis, ut primum homo per inquietudinem, constantiam gravitatis deserat, ac sic tandem usque ad impatientiam furoris erumpat. Habet etiam hic gestus, id est, citatus, sive inquietus, cum molli, ac procaci affinitatem, quià levitas aliquando lasciviam, aliquando impatientiam designat. Inquietus gestus lascivo, & procaci concordat, sicut per Salomonem dicitur: *De fenestra domus mea per cancellos prospexi, & video parvulos, considero vecordem Juvenem, qui transit per plateas juxta angulum, & prope viam domus alienæ graditur in obscuro, advesperante die, in noctis tenebris, & caligine. Et ecce mulier occurrit illi ornatu meret-* Prov. 7.

retricio, præparata ad capiendas animas, garrula, & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis. Nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians, apprehensúmque deosculatur juvenem, & procaci vultu blanditur. ibid. *Statim eam sequitur. Quasi bos ad victimam ductus, & quasi agnus lasciviens & ignorans & nescit, quòd ad vincula stultus trahatur, donec transfigat Sagitta jecur ejus, veluti, si avis festinet ad laqueum, & nescit, quia de periculo animæ illius agitur. Via inferi domus ejus, penetrantes inferiora mortis.* Nemo ergo deinceps putet, parum relinquere eos, qui contra disciplinam ad turpes motus, & inordinatas gesticulationes membra sua inflectunt, quia nunquam scriptura tam severè istos exteriores corporis motus in nobis reprehenderet, nisi omnis exterioris hominis inhonesta figuratio, & motio indecens ab interiori mentis corruptione manaret. Propterea multum valet disciplina ad coërcendos pravos motus animi, quatenus mala desideria dum per custodiam disciplinæ stringuntur, ne foras effluant, tandem aliquando etiam interius surgere, ac moveri omninò desuescant. Quia igitur vitia gesticulationum descripsimus, ordo exigit, ut nunc, quis sit in omni gestu modus Disciplinæ, | definiamus, quod etsi fortasse per singula facere non possumus, magis tamen expedit aliquid inde ad eruditionem dicere, quàm omnino silere. Primum ergo diligenter observandum est, ut singula membra suum teneant officium, neque usurpent alienum, deinde ut unumquodque suum opus tam decenter, ac modestè impleat, quatenus per indisciplinam aspicientium oculos non offendat. Nam in quolibet horum peccetur, dignum reprehensione est, sive scilicet membra inter se actus suos confundant, sive id, quod justè agere debent, recte non expleant. Discretio actionum in membris conservanda est, ut scilicet id agat unumquodque membrum, ad quod factum est, ut neque loquatur manus, neque os audiat, nec oculus linguæ officium assumat. Sunt enim quidam, qui nisi buccis patentibus auscultare nesciunt, & quasi per os sensus ad cor influere debeat, palatum ad verba loquentis aperiunt. Alii (quod adhuc pejus est (in agendo vel audiendo quasi canes sitientes linguam protendunt, & ad singulas actiones velut molam labia torquendo circumducunt. Alii loquentes digitum extendunt, supercilia erigunt, & oculos in orbem rotantes, aut profunda quadam consideratione defigentes,

cujusdam intrinsecus magnificentiæ conatus ostendunt. Alii caput jactant, comam excutiunt, vestimenta adaptando componunt, & latera cubitando, pedésque extendendo ridiculam satis ostentationis formam fingunt. Alii, quasi ambæ aures ad audiendum factæ non essent, alteram tantùm collo detorto voci venienti opponunt. Alii typum nescio quem figurantes, oculorum inter videndum alterum claudunt, alterum aperiunt. Alii majori ridiculo dimidiato ore loquuntur; sunt præterea mille larvæ, mille subsannationes, & corrugationes narium, mille valgia, & contortiones labiorum, quæ pulchritudinem faciei, & decorem disciplinæ deformant. Est enim facies, disciplinæ speculum, cui tanto major custodia adhibenda est, quantò minus, si quid in ea peccatum fuerit, celari potest. Temperanda est igitur facies, & mortificanda in gestu suo, ita, ut nec protervè exasperetur, nec molliter dissolvatur, sed semper habeat & rigidam dulcedinem, & dulcem rigorem. Alii navigant brachiis incedentes, & duplici quodam monstro, uno & eodem tempore pedibus deorsum in terra ambulant, & lacertis sursum in aëere volant. Quod est, quæso, monstrum hoc, quod simul in se fingit, & hominis incessum, & navis remigium, & avis volatum? Libet in hoc, Poëticæ illius subsannationis elogio proclamare.

Humano capiti cervicem pictor equinam Horat. in Arte
Jungere si velit, & varias inducere plumas,
Undique collatis membris, ut turpiter atrum
Desinat in piscem mulier formosa supernè.

Certè tale mihi videtur hoc portentosæ figurationis Schema.

Cujus velut ægri somnia vanæ.
Finguntur species, ut nec pes, nec caput uni
Reddatur formæ.

Sed ne fortè Satyram potiùs, quàm doctrinam edere videamur (cùm plurima adhuc enumeranda supersint) modestiæ hic quoque oblivisci non debemus. Etiam sic fortassis negligentibus, & indisciplinatis, quantum ipsi in his erubescere debeant, melius silendo ostendemus. Scire tamen debent, unum esse vitium, quod prius intrinsecus statum mentis dissipat, ac postmodum extrinsecus in membris ordinem actionis perturbat, sicut jam sæpiùs memorato Salomonis testimonio comprobatum est, ubi in Apostata homine prius quidem mentis aversio,

Prov. 6.

Eccli. 19.

versio, atque defluxio præcessisse dicitur, ac postmodum confusio, atque perturbatio actionis subsecuta memoratur. In eo enim, quod dicitur, *homo Apostata vir inutilis*, notatur defluxio mentis, quod dicitur, *graditur ore perverso, terit pede annuit oculis, digito loquitur*, demonstratur confusio actionis. Hinc etiam est illud, quod dicitur in libro Ecclesiastici: *Ex visu cognoscitur vir, & ab occursu faciei cognoscitur sensatus. Amictus corporis, & risus dentium & ingressus hominis enunciant de illo*: Quia videlicet per illud, quod foris, sive benè, sive malè agitur interior animi qualitas intuentium oculis patenter indicatur. Et idcirco oportet, ut ad hanc perturbationem sedandam custodia disciplinæ opponatur, quæ unum quodque membrum ad suum officium restringat, quatenus dum alterum membrum operatur, alterum aut omnino quietum maneat, aut si fortè ejus opera illi necessaria esse cognoscitur, suo motu ad cooperandũ illi decenter, & ordinatè moveatur, ita, ut nihil confusè, nihil præposterum in membris corporis agatur, sed ut sciat unumquòdque in quo alteri debeat succurrere, & in quo, dum aliud movetur, se debeat quietum custodire. Est enim quasi quædam Respublica corpus humanum, in quo singulis membris sua officia distributa sunt. Dum ergo unum membrum alterius membri officium inordinatè sibi vendicat, quid aliud, quàm concordiam universitatis perturbat? Dúmque aliud suo motu alterius motum impedit, certè illi, quam natura moderatur, dispositioni contradicit. Prima igitur est custodia disciplinæ in gestu, ut unumquodque membrum in eo, ad quod creatum est, officio se contineat, neque alterius membri ministerium sui admixtione confundat. Id est, ut oculi videant, aures audiant, nares olfaciant, os loquatur, manus operentur, pedes, ambulent, quatenus neque transmutentur officia membrorum, neque inordinatè permisceantur. Secunda est custodia disciplinæ in gestu, ut unumquodque membrum id, quod facit, eo modo atque mensura faciat, quo faciendum est, id est, nec plus nec minus, nec aliter, quàm oportet faciat. Quatenus in actu suo sic & dirigatur, & moveatur, ut in nulla unquam parte temperantiæ limitem, aut formam honestatis excedat, hoc est (ut id paucis exemplis probemus) ridere sine apertione dentium, videre sine defixione oculorum, loqui sine extensione manuum, & intentatione digitorum, sine contor-

[Margin notes: Prov. 6. — Eccli. 19. — Prima Lex. — Secunda.]

torsione labiorum, sine jactatione capitis, sine elevatione superciliorum, incedere sine modulatione gressuum, sine ventilatione brachiorum, sine gesticulatione scapularum, sedere sine divaricatione crurum, sine alterutra superiectione pedum, sine extensione vel agitatione tibiarum, sine alterna accubitatione laterum, jacere sine disjectione membrorum. Et ut tandem de hac parte finem loquendi faciamus gestus hominis in omni actu esse debet gratiosus sine mollitie, quietus sine dissolutione, gravis sine tarditate, alacer sine inquietudine, maturus sine protervia, & sine turbulentia severus. Mollem gestum temperat turbidus, & turbidum mollis, dissolutum procax, procacem dissolutus, citatus tardum, & tardus citatum, quia inter vitia contraria medius limes virtus est. Hæc de gestu ad præsentem doctrinam dicta sufficiant. Si qui verò tam duri cordis fuerint, ut his admonitionibus informari nequeant, illos quidem acrioribus stimulis urgeri oportet, ut, quod sponte facere nolunt, faciant vel inviti. Scio enim, quàm difficile sit, cor malitiâ induratum ad formam disciplinæ, & speciem honestatis incurvare, sed necesse est, ut dura materia, cùm facile ad formam non flectitur, ei & acrioris flammæ incendium, & mallei gravioris tunsio adhibeatur.

Qualitas personarum

§. De Disciplina in Locutione servanda: Et primò, quid loquendum.

CAPUT. XIII.

Quid loquendum.

IN locutione quinque res sunt observandæ, hoc est, quid dicatur, cui dicatur, ubi dicatur, quando dicatur, & quomodo dicatur. Quid autem dicendum sit, hoc primum generali distinctione discernitur, ut videlicet nunquam in sermonibus disciplinatis ociosa adhibeantur. Otiosa autem sunt omnia, quæ sunt aut nociva, aut inhonesta, aut inutilia. Inutilià autem sunt, quæ nec loquentibus, nec audientibus prosunt. Inhonesta sunt, quæ vel illius, qui loquitur, vel illius, cui loquitur, vel illius de quo loquitur dignitati non conveniunt. Nociva sunt, quæ suis suasionibus animos auditorum, sive ad errorem, sive ad pravitatem inducunt. Hæc autem tria, id est, nociva, inho-

Eccl. 22. ibidē.

Prov. 9.

honesta, inutilia, duobus modis discerni possunt, id est, secundum qualitatem rerum, de quibus locutio fit, & secundum qualitatem personarum, per quas, vel ad quas, vel de quibus locutio fit. Qualitas Personarum quatuor modis consideratur, id est, secundùm ætatem, secundùm scientiam, secundùm officium, secundùm conditionem. *Secundùm ætatem*, quia aliud convenit locutionibus senum, aliud locutionibus juvenum. *Secundùm scientiam*, quia aliud convenit locutionibus sapientium, aliud locutionibus simplicium. *Secundùm officium*, quia aliud convenit locutionibus eorum, qui negocia exteriora tractant, aliud locutionibus eorum, qui secretioris vitæ quieti & studio contemplationis invigilant. *Secundùm conditionem, ac statum*, quia aliud convenit locutionibus eorum, qui sunt prælati, aliud locutionibus eorum, qui sunt subditi. Senes loqui debent de discretione benè consulendi. Juvenes de instantia benefaciendi. Sapientes de mysteriis scripturarum. Simplices de exemplis bonorum operum. Ii, qui exteriora tractant negocia, de solertia acquirendi, ii, qui quietam vitam ducunt, de disciplina vivendi. Prælati de provisione rerum, subjecti de obedientia præceptorum. Et unusquisque, qui loquitur secundùm qualitatem personæ suæ, qualitatem materiæ inquirat congruam, de qua loquatur.

Qualitas personarum

§. Cui Loquendum.
CAPUT. XIV.

SEquitur, ut postquam elegerit homo, quid dicat, etiam, cui dicat, diligenter attendat. Quia sicut ait quidam sapiens: *Qui narrat verbum non audienti, quasi qui excitat dormientem de gravi somno.* Et iterum: *cum stulto ne multum loquaris, & cum insensato ne abieris.* Et Salomon dicit. *Qui arguit impium, generat maculam sibi. Noli arguere derisorem, ne oderit. Argue sapientem; & diliget te. Da sapienti occasionem, & addetur ei sapientia. Doce justum, & festinabit accipere.* Sed rursum in libro Ecclesiastico de discretione loquendi dictum est: *Cum viro irreligioso tracta de sanctitate, & cum injusto, de justitia, & cum muliere de iis, quæ æmulatur, cum timido de bello, cum negociatore de trajectione, cum empto-*

Eccl. 22. ibidē. Prov. 9. Eccl. 37.

tore de venditione, cum viro livido de gratiis agendis, cum impio de pietate, cum inhonesto de honestate, cum operario agrano de omni opere, cum operario annuali de consummatione anni, cum servo pigro de multa operatione. Ubi intelligi datur, quòd boni pravorum colloquia aliquando appetere, aliquando vitare debent. Appetere debent boni pravorum colloquia, quando & sua exhortatione illos sperant posse corrigi, & tantum de sua stabilitate confidunt, ut non timeant ex illorum prava suggestione corrumpi. Quando vero & illorum duritiam, & suam infirmitatem considerant, expedit eis, ut fugiant, ne, dum illos non valent admonitionibus suis corrigere, paulatim incipiant ipsi ad pravitatem illorum declinare. Cùm ergo propter nostri ædificationem loquimur, cum illis loquamur, quorum doctrina possimus ad virtutem instrui. Gùm autem propter ædificationem proximi loquimur, cum illis loquamur, quos speramus per nostram exhortationem à pravitate sua posse emendari. Alioquin & Sapientes velle docere, superbia est, & obstinatos corripere, insipientia. Quia & injuriosus proximo est, qui meliori non exhibet reverentiam, & injuriosus sibi est, qui non emendat, sed provocat erga se insipientis vesaniam. Ergo qui cum alio loquitur, primum consideret, utrum propter se, an propter illum loquatur. Si propter suam utilitatem loquitur, videat ut ille talis sit, de cujus colloquio utilitas sibi provenire possit. Si propter illum loquitur, caveat ne talis sit ille, qui vel sua exhortatione non indigeat, vel ita in malo obstinatus, ut exhortatione corrigi se non permittat. Si ergo sic est, nunquam nisi vel ad nostri vel ad aliorum eruditionem loqui debemus, & in ipsa nostra locutione talem discretionem servare, ut semper studeamus, & à Sapientiotibus discere, & minus doctos (ita duntaxat si se doceri patiantur) studeamus erudire. Et sicut interrogando, de illo potissimum, quod nos magis urget, verba facimus, sic docendo, illud quod magis personæ auditoris congruit, proferre debemus, ut contra vitium, quod in eo sanare cupimus, competens nostri sermonis remedium opponamus quemadmodum suprà dictum est: *Cum Religioso de Sanctitate, cum injusto de justitia, cum pigro de multa operatione loquendum esse.* Eccl. 37. Facile ergo, cui sit loquendum, agnoscimus, si id quod dicitur, quale sit, diligenter consideremus, quia id profecto unicuique magis dici convenit, quod ad illud, in Aug. quo

quo ipſe plus laborat, malum ſanandum conſilio commodiori occurrit. Verbi gratia, quando conſtantiam laudare volumus, ad puſillanimes non ad ſuperbos ſermonem noſtrum dirigere debemus, quia cùm vitium ſuperbiæ ſub prætextu conſtantiæ nonnunquam ſe contegat, ſi cœperimus ſuperbis laudare conſtantiam, dum eos ad virtutem hortari credimus, amplius in ſuo vitio confirmamus. Exhortemur ergò ad conſtantiam timidos, ad timorem ſuperbos, ad frugalitatem prodigos, ad liberalitatem avaros, ad humanitatem parcos, ad parcitatem guloſos, ad conſilium temerarios, ad fervorem zeli tepidos, ad ſilentium verboſos, ad verbum exhortationis nimis tacitos, ad alacritatem ſegnes, ad manſuetudinem impatientes, ad juſtitiam negligentes, ad indulgentiam crudeles, ad verecundiam procaces, ad quietem præcipites, ad prudentiam incautos, ad ſollicitudinem oblivioſos, & ad modeſtiam inverecundos, & omnino quidquid dicere volumus, cui dicendum ſit, ex ipſa prius noſtri ſermonis qualitate colligamus.

§. Ubi Loquendum.
CAPUT. XV.

SEquitur tertia diſcretio loquendi, ut cùm aliquid dicere volumus, prius ubi illud dici conveniat, conſideremus. Nam quædam ſunt loca, in quibus perpetuum ſilentium ſervandum eſt. Quædam verò, in quibus humanos ſermones, id eſt, confabulationes ad alterutrum edere non licet, exceptis iis verbis, quibus homo cum Deo, & ad Deum loquitur, quando vel in orationibus, vel in lectionibus, ſive in hymnis, & canticis manifeſtè vel occultè prolatis Deo famulatur. Unde & B. Auguſtinus, *in oratorio nihil agendum eſſe*, dicit: *præter id, ad quod factum eſt*. Sunt item alia loca, in quibus pro diſciplina, & inſtructione morum verba habenda ſunt; quædam iterum, in quibus de intelligentia, & expoſitione ſcripturarum collationes (cum diſciplina tamen & reverentia, hoc eſt, ſine contentione & clamore, & qualibet turpitudine verborum) haberi poſſunt. Poſtremò ſunt alia loca, in quibus magis licentia loquendi laxatur, ita, ut non ſolùm de ſpiritualibus rebus, ſed etiam de exteriorum diſpoſitione & proviſione ſermones admittantur. Loca in

Auguſt.

in quibus vana & superflua dici debeant, invenire non possum. Neque igitur in divinis & sacratis locis confabulationes inducere, neque in illis locis, ubi de disciplina agendum est, quæstiones aut contentiones verborū ventilare, neque in illis, ubi de intelligentia divinarum Scripturarum tractandum est, exteriora negocia admiscere debemus, nec ea, quæ sunt paucis revelanda, in manifesto propalare.

§. Quando tacendum, & quando loquendum. CAPUT. XVI.

QUarta loquendi discretio est, quando quid dicendum sit attendere. Est tempus quando nihil, & est tempus, quando aliquid dicendum est, nullum verò tempus est, quando dicenda sunt omnia. Tempus est, quando nihil dicendum est, quia tempus tacendi: & tempus, quando aliquid, quia tempus loquendi: tempus verò quando omnia, nunquam, quia sicut
Prov. 25. idem Salomon ait: *Mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore suo. Habet igitur omne verbum tempus suum, quando proferri debeat, tempus quando taceri.* Quando autem loquendum sit, melius ostendemus, si prius, quando tacendum sit, demonstremus. Tempus enim tacen-
Tacendi tempus. di tempus loquendi debet præcedere, quia prius per silentium tempore tacendi discitur, quod postea per verbum tempore loquendi proferatur. Propterea non ait Salomon: *Tempus loquendi & tempus tacendi*, sed *tempus tacendi, & tempus loquendi*, Eccli. 3.
quia prius (sicut dictum est) in silentio forma loquendi sumitur, quæ postmodum tempore loquendi in voce teneatur. Aliquando tacere debemus propterea, quòd alter prior loqui cœpit, ne fortè, si sermonem ejus verborum nostrorum prolatione interrumpamus, & eum, qui loquitur, & eos, qui audiunt, pariter offendamus. Aliquando tacendum est propterea, quia ad id, quod dicere volumus, animos auditorum paratos adhuc non esse consideramus. Aliquando tacendum est propter multiloquium vitandum, vel etiam propterea, quòd ipsi, qui locuturi sumus, nondum apud nosmetipsos congruam loquendi formam invenimus, quia profectò animus auditorum magis offenditur, si sermo, qui ædificare debet, confusus, & in-

Job. 29.

Joan. 16.

inordinatus proferatur. Aliquando tacendum est propterea, quòd ii, qui præsentes habentur, nequaquam tales sunt, ad quos verbum debeamus facere, quod duobus modis fieri potest, scilicet dum vel reverentia dignitati personæ impenditur, vel malitia incorrigibilis atque ideò indigna admonitione existimatur. Singula hæc exemplis Scripturarum probare possumus, quia non uno, sed multis singula quæque confirmari Scripturarum testimoniis invenimus. Quòd sermonem eorum, qui priores nobis loqui cœperant, non debeamus interrumpere, sed semper loquentes alios, & præcipuè eos, qui utilia & recta loquuntur, propter custodiam disciplinæ reverenter sustinere, atque exspectare, Sanctus Job nobis ostendit, qui cùm de sua disciplina & de aliorum erga se reverentia loqueretur, inter cætera sic ait.
Job. 29. *Qui me audiebant, exspectabant sententiam meam, & intenti tacebant ad consilium meum, verbis meis addere nihil audebant, & super illos stillabat eloquium meum.* Item sæpè propter infirmitatem auditorum tacendum esse, Dominus suo exemplo docet, qui cùm Apostolos adhuc imbecilles, & ad sublimioris doctrinæ eruditionem impares aspiceret, ait.
Joan. 16. *Adhuc multa habeo vobis dicere sed nō potestis portare modò.* Item aliquando tacendum esse propter præcipitationem loquendi vitandam, Salomon in proverbiis ostendit, dicens. *In multiloquio peccatum non deerit, qui autem moderatur labia sua prudentissimus est.* Prov. 10. Item *labia justi considerant placita, & os impiorum perversa.* ibidē. Item *qui prius respondet, quàm audiat, stultum se esse demonstrat, & confusione dignissimum.* Prov. 18. Item in libro Ecclesiastico: *Ne ventiles te in omnem ventum & non eas in omni via sic enim peccator probatur in duplici lingua.* Eccl. 8. *Esto mansuetus ad audiendum verbum Dei, ut intelligas, & cum omni sapientia proferas responsum verum. Si est tibi intellectus, responde proximo, sin autem, sit manus tua super os tuum, ne capiaris in verbo indisciplinato.* ibidē. Item sæpè propter reverentiam personæ tacendum esse in eodem demonstratur, cùm dicitur. *Prinsquam interroges, ne vituperes quemquam, & cùm interrogaveris corripe justè, priusquam audias, ne respondeas verbum, & in medio seniorum, ne adjicias loqui.* Eccl. 2. Item sæpè propter malitiam auditorum tacendum esse Salomon docet, dicens: *In auribus insipientium ne loquaris, quia despicient doctrinam eloquii tui.* Prov. 23. Item *ne contendas cum pessimis, & ne æmuleris impios.* Prov. 27. Item *vir sapiens, si cum stulto contenderit, sive irascatur, sive rideat, non inveniet requiem.* Prov. 29. Quisquis

loquendi tempus. quis hæc impedimenta loquendi cavere voluerit, facilè fortassis, & sine difficultate, quando sit loquendum agnoscet, si tamen hoc attendit, quia aliud tempus est, quando ei, qui voluerit loqui, conceditur, aliud est tempus, quando ei, qui noluerit loqui pro culpa reputatur; Sapiens autem æquè cavet, vel ne eo tempore, quando loqui debet, per negligentiam sileat, vel ne omni tempore, quando loqui licet per licentiam concessam in multiloquium cadat. Rectè ergo tempus loquendi discernitur, si homo, ne unquam, quando loqui debet, sileat, nec semper, quando licet, loquatur. Restat nunc, ut postquam ostendimus, quid, vel cui, & ubi, & quando loquendum sit, etiam qualiter loquendum sit, demonstremus.

Prov. 17.
Prov. 16.
Prov. 12.
Prov. 16.

§. Quomodo loquendum sit?
CAPUT XVII.

Prov. 24.
Prov. 18.

QUalitas, id est, modus loquendi in tribus constat, hoc est, quo gestu, quo sono, qua significatione quid dicatur. Disciplina jubet, ut loquentis sit gestus modestus & humilis, sonus demissus, & suavis, significatio verax, & dulcis. Modestiam debet habere gestus loquentis, ut nec inordinatè, nec impudicè, nec turbulentè inter loquendum membra moveat, neque oculorum nutibus aut indecenti conformatione sive transmutatione vultûs placorem sui sermonis imminuat. Humilis debet esse gestus loquentis, ut apud auditores gratiam sermo ejus inveniat. Sonus loquentis esse debet demissus, ne strepitu, & immoderata clamositate auditores suos aut injustè terreat, aut justè offendat. Suavis debet esse, ne prolationis asperitate tantò fiat animis audientium onerosior, quantò ad aures durior venit, & injucundior. Significatio, id est, sententia sermonis ideò debet esse vera, quia fallax verbum, etiam si facundè, aut compositè dicitur, nihilominus tamen ab auditore aut noxium, aut otiosum (si fuerit intellectum) reputatur. Sed & cum veritate necesse est, ut sermo loquentis dulcedinem habeat, quia sæpè etiam veritas auditori amara efficitur, si aut sine ratione, aut sine dilectione, hoc est, vel importunè, vel impiè contra eum proferatur. Singula hæc Scripturæ Sacræ testimoniis comprobemus. Quòd habitus indisciplinatus sermonem

placorem, gratiâ, aut comitate.

con-

contemptibilem faciat, Salomon ostendit, dicens: *non decent stultum verba composita.* Et iterum: *Non est speciosa in ore stulti parabola.* Et iterum: *Fons vitæ eruditio possidentis: doctrina stultorum fatuitas.* Et iterum: *doctrina sua nascitur vir, qui autem vanus, & excors est, patebit contemptui.* Item: *quomodo pulchras frustra habet claudus tibias, sic indecens est in ore stultorum parabola.* Quòd verò typus elationis sermonem hominis ingratam auditoribus reddat, Salomon iterum testatur, dicens: *Excelsa stulto sapientia in porta non aperiet os suum.* Et iterum dicit: *cum obsecrationibus loquetur pauper, & dives effabitur rigidè.* Quantum autem sermo clamosus à disciplinatis cavendus sit, ipse auctor disciplinæ ostendit, de quo per Isaiam scriptum est: *Non clamabit, neque accipiet personam, neque audietur foris vox ejus.* Verbum autem asperum, & rixosum omninò sermonibus disciplinatis secludendum esse per eundem probatur, cùm dicitur: *Labia stulti immiscent se rixis, & os ejus jurgia provocat.* De verbo etiam mendaci, quantum sit cavendum idem ipse insinuat, dicens: *Testis falsus non erit impunitus, & qui mendacia loquitur, non effugiet.* Sed & verbum dulce, quantum valeat in sermone, Liber Ecclesiasticus patenter demonstrat, ubi dicit. Verbum dulce amicos multiplicat, & inimicos mitigat, & lingua eucharis in bono viro abundat.

Prov. 17. Prov. 16. Prov. 12. Prov. 16. Prov. 24. Prov. 18. Esa. 42. Prov. 18. Prov. 19.

§. De Disciplina in mensa servanda, & primo in habitu, & gestu.

CAPUT XVIII.

IN mensa est duplex custodia disciplinæ: ibi enim debet homo servare disciplinam in habitu suo, & disciplinam in cibo suo. Disciplinam in habitu suo tribus modis, in disciplina tacendi, in disciplina videndi, in disciplina continendi sese. Taciturnitas inter epulas necessaria est idcirco, quoniam lingua, quæ omni tempore prona ad peccatum labitur, periculosius, cùm per crapulam inflammata fuerit, ad loquendum relaxatur. Propterea enim *Dives, qui inter epulas loquacitati servierat, post in inferno positus vehementius in lingua ardebat.* Custodia oculorum inter epulas propterea necessaria est; quia non decet ibi præcipuè, ut vagos homo habeat oculos, neque curiosè, & (ut amplius aliquid dicam) impudenter ea, quæ apud alios aguntur, circumlustrando prospiciat, sed ut potiùs pudicè demissis lu-

Luc. 16.

luminibus ea tantum, quæ sibi anteposita & apposita sunt, attendat. Custodia quoque continendi sese ibi negligenda non est, quatenus videlicet, neque in habitu, neque in gestu indecens aliquid aut inhonestum agatur. Nihil cum strepitu, aut tumultu fiat, sed omnia membra cum modestia, & tranquillitate in disciplina contineantur. Non sicut quidam faciunt, qui, cùm ad sedendum assederint, inquieta quadam agitatione, & confusione membrorum intemperantiam animi sui designant. Caput excutiunt, brachia exerunt, manus in altum expandunt, & non sine magna turpitudine quasi totum epulum simul sint absorpturi ingentes quosdam conatus, & gestus satis indecoros ostendunt. Anhelant, & suspirant præ angustia, ita, ut existimes eos alium rugienti ventri patentiorem aditum quærere, quasi angustia faucium non possit esurienti stomacho satis sufficientem abundantiam ministrare. In uno ergo loco sedentes oculis, & manibus, quæ propè, quæ longè omnia circumcurrunt, simul panes comminuunt, vina in calices, & pateras effundunt, discos in gyrum circumducunt, & velut Rex super obsessam civitatem assultum facturus dubitant ubi primùm expugnationem aggrediantur, dum simul in omni parte irruptionem facere concupiscunt. Plus justo fortassis ista dicentes, verecundiæ obliti sumus, sed nescit aliquando impudentia erubescere, nisi fuerit manifestè confusa. His igitur tribus modis debet quisque inter epulas conservare disciplinam in semetipso, videlicet, ut & linguam suam à loquacitate restringat, & oculos suos à circumspectione cohibeat, & ut cætera membra omnia cũ modestia, & quiete contineat.

§. De triplici observatione disciplinæ in cibo, & primo quid comedendum.

CAPUT XIX.

SEquitur etiam triplex observatio disciplinæ in cibo, observatio in eo, quid sumat, observatio in eo, quantum sumat, observatio in eo, quomodo sumat. Observatio in eo quid sumat, id est, ut neque nimis pretiosa, & delicata expetat, nec nimis rara & insolita requirat, nec nimis lautè, & accuratè præparata concupiscat. In primo enim Luxus arguitur, in secundo curiositas, in tertio superstitio notatur. Sunt namque quidam, quorum fauces satis ridicula infirmitate ægrotant, quæ

nimis rara. nimis exquisite cocta.

nimis delicata.

quæ nisi pinguia & delicata deglutire non possunt. Et si quando eis parci aut frugales cibi oblati fuerint, statim aut indigestionem stomachi, aut pectoris siccitatem aut obripilationem capitis, aut si qua sunt talia ad frivolas excusationes prætendunt. Alii delicias, & luxum ciborum magna constantia aspernantur, sed ab eis iterum non minori, aut tolerabiliori petulantia communium cibariorum usus omninò despicitur. Nova quædam & insolita ciborum genera exquirunt, ita, ut sæpè propter unius ventrem hominis per omnes circum pagos turba famulorum discurrat, & vix tandem vel ignotas de desertis procul montibus radices evellendo, vel pauculos de imis gurgitibus profunda scrutatione pisciculos trahendo, sive intempestiva de arentibus rubetis arbuta colligendo, unius appetitus petulantiam compescere queat. Et sanè mihi non satis patere potest, quod vitium istos exagitet, nisi fortè, quia per quandam animi insolentiam multos in suo obsequio occupari gaudent, sive, quia per tumorem elationis cæteris omnibus, quantum cibo dissimiles sunt, tantum meritò dissimiles videri volunt. Alii superstitiosum nimis in præparandis cibis studium adhibent infinita decoctionum, & frixurarum, & condimentorum genera excogitantes, modò mollia, modò dura, modò frigida, modò calida, modo elixa, modo assa, modo allio, modo cumino, modo sale condita, secundum consuetudinem prægnantium mulierum desiderantes. Hi profectò non solùm arguendi, sed etiam deridendi sunt, qui quasi caupones ad omnem clepsydram eliciendi gustûs gratia palatum extendunt. Igitur contra hæc vitia sananda necessarius est rigor disciplinæ, qui istas gulæ petulantias intra certum limitem cohibeat, quatenus se neque ad immoderatas delicias, neque ad novitates, neque ad superstitiosas præparationes ciborum appetendas diffundat.

nimis rara. nimis exquisitè cocta.

§. Secundo, quantum comedendum.

CAPUT XX.

Deinde sequitur custodia disciplinæ in eo, quantum quis sumere debeat, cujus mensura hæc mihi esse videtur, ut neque contra honestatem, neque supra necessitatem. Non omnis venter idem capit, alius sic contentus, alius verò sic. Cui minus sufficit, iste priusquam ad turpitudinem edacitatis perveniat,

niat, in ſuperfluitatem offendit: cui multum opus eſt, in eo ſæpè honeſtas comedendi læditur, etiam priuſquam ad ſuperfluitatem perveniatur. Ergo ille, cui parum ſatis, magis ſuperfluitatem caveat, ille verò, cui multo opus eſt, magis ad honeſtatem attendat, quia neque ille, niſi temperantiæ metas tranſierit, ad turpitudinem veniet, neque iſte, niſi prius honeſtatis oblitus fuerit, in ſuperfluitatem impinget.

§. Tertio. Quomodo comedendum.

CAPUT XXI.

POſtremò eſt obſervatio in cibo, quomodo quis cibum ſumere debeat. Hoc eſt, quàm mundè, & quàm temperatè. De immunditia comedendi pauca exempla proferre ſufficiat, ut dum in quibuſdam ſuis partibus cernitur, facilè per ſimilitudinem ubique caveatur. Quidam inter comedendum dum ſcutellas exonerare volunt, quadrata ferculorum fruſta adipem ſive saginam ſuperroratam diſtillantia menſalibus involvunt, aut ſuper injiciunt, donec iterum eviſceratis interioribus ea, quæ remanſerant, in priſtinum locum reponant. Alii bibentes digitos mediotenus poculis immergunt. Alii unctas manus ad veſtimenta ſua detergentes, rurſus ad cibaria tractanda redeunt. Alii nudis articulis coclearis vice olera ſua piſcantur, ita, ut in eodem jure & manus ablutionem & venter refectionem quærere videatur. Alii ſemicorroſas cruſtas, & præmorſas collyridas cybariis iterando infigunt, & reliquias dentium ſuorum offas facturi in poculis demergunt. Hæc ſicut ſupra diximus dicentibus erubeſcenda fuerant, ſi à facientibus præſumpta non fuiſſent. Nunc autem ſuſtineat in audiendo verecundiam, qui noluit in faciendo habere diſciplinam. Verumtamen hæc de immunditia indiſciplinatè manducantium ad exemplum dicta ſufficiant. Temperantiam manducandi intelligimus in eo, ſi tractim homo, & non cum nimia feſtinatione comedat: Ubi nos quidem quantum fieri poteſt modum & menſuram omnes tenere ſuademus, legem tamen nullam dare præſumimus, quia (ſicut jam ſupra diximus) alius ſic & alius ſic. Hæc vobis fratres de ſcientia & diſciplina interim nos diximus: bonitatē verò orate ut vobis det Deus. Am.

Ma. Hugonis de Sancto Victore Canonici Regularis Sancti Victoris Pariſienſis Libelli de Inſtitutione Novitiorum Finis.